

ARNOLDI  
VINNII JC.  
TRACTATUS QUATUOR,  
*N E M P E*  
DE PACTIS, JURISDICTIONE,  
COLLATIONIBUS,  
ET TRANSACTIONIBUS;  
*CUM INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS.*

Quibus additæ sunt

SIM. VINNII A. F. ORATIONES.  
*Editio novissima prioribus emendatior.*



LUGDUNI,  
Sumptibus PETRI BRUYSET, & SOCIORUM.

M D C C X L V I I .  
*CUM PERMISSU REGIS ET APPROBATIONE.*





# SYLLABUS CAPITUM.

## TRACTATUS

### *De Pactis.*

I.	U id pactum , pactio , conven-	
	tio , pactum conventum , <i>Pag. 1.</i>	
II.	Q De pactis seu conventionibus	
	publicis. 6	
III.	A n iues hostibus , prædonibus , piratis	
	data servanda sit. 7	
IV.	D e pactis legitimis. 8	
V.	D e conventionibus nudis. 11	
VI.	D e vi nudarum conventionum. 15	
VII.	A liarum præter Romanos gentium no-	
	nstris hodie moribus , ac jure Canonum	
	ex nuda conventione actionem dari. 19	
VIII.	D e conventionibus non nudis , quæ	
	vulgo pacta vestita. 21	
IX.	D e pactis incontinenti contractibus ad-	
	jectis. 29	
X.	A n pacta incontinenti adjecta contracti-	
	bus stricti juris ex parte actoris similiter	
	insint , ut bonæ fidei judicis. 34	
XI.	Q uænam actio detur ad pertendum id ,	
	quod pacto in bonæ fidei contractu in-	
	terposito cautum. 39	
XII.	D e pactis tacitis. 41	
XIII.	D e pactis in rem & in personam deque	
	eorum vi ac potestate. 46	
XIV.	Q ui cum quibus pacisci possunt. 47	
XV.	A n quis pactione sua alteri nocere aut	
	prodeesse queat. 52	
XVI.	Q uatenus pactum debitoris fidejussori ,	
	aut debitori fidejussoris proft : & de pa-	
	ceto unius è duobus reis. 54	
XVII.	D e pactis majoris partis credito-	
	rum. 57	
XVIII.	D e quibus rebus pacisci possi-	
	mus. 58	
XIX.	D e pactis circa successiones. 62	
XX.	D e pactorum cæterarumque conventio-	
	num interpretatione. 66	
XXI.	D e effectu & potestate pactorum. 68	

## TRACTATUS

### *De Jurisdictione & Imperio.*

I.	D E imperio mero. 72
II.	D e iis , quæ præcipue circa Imperium merum quærenda. 74
III.	A n meri imperii exercitio mandari posfit. 76
IV.	S oline Principi iisve , qui summam in republ. potestatem habent , merum imperium jure proprio competat , an etiam magistratibus , quibus id concessum. 78
V.	D e jurisdictione , quam vocant simpli- cem. 79
VI.	D e jurisdictione ordinaria & extraordi- naria , contentiosa & voluntaria. 81
VII.	D e mixto imperio. 82
VIII.	D e jurisdictione propria & mandata. 85
IX.	Q uando jurisdictione mandata , quatenus & quo effectu translata intelligatur. 89
X.	D e jurisdictione prorogata. 91
XI.	D e prorogatione de re ad rem , & de per- sona ad personam. 94
XII.	Q uibus modis jurisdictione finiatur. 97

## TRACTATUS

### *De Collationibus.*

I.	D E significatione hujus dictionis collatio . 100
II.	Collatio qua contemplatione introducta , aucta aut restricta. ibid.
III.	Q uid sit collatio. 102
IV.	I nter quos locum habeat collatio. 103
V.	A n alii præter descendentes collatione fungantur. 106
VI.	D e diverso jure succendentibus. 107
VII.	D e mutatione progressu temporis facta circa personas conferentium. 108
VIII.	D e filio & ex eo nepote institutis : item de filia instituta , quæ alias extantibus masculis statuto excludeantur. 109

## SYLLABUS CAPITUM.

IX. Quando seu qua in successione locum ha-	
beat collatio.	111
X. De bonis collationi obnoxiiis.	112
XI. De collatione adventitiorum.	113
XII. De collatione dotis & donationis propter	
nuptias.	114
XIII. De collatione sumptuum præter dotem	
& donationem propter nuptias.	117
XIV. De collatione lucri, quod filiis fam. in-	
dustria partum ex re patris: item eo-	
rum, quæ relista per speciem ultimæ	
voluntatis.	121
XV. De collatione simplicis donationis.	122
XVI. De modo conferendi, & poena non con-	
ferentis.	127
XVII. De fine & effectu collationis.	130

## T R A C T A T U S

*De Transactionibus,*

I. De usu verbi <i>transfigere</i> , quid sit trans-	
actio, & quid differat à pacto.	132
II. Quibus modis transactio fiat.	134
III. Qui transfigere possunt.	136
IV. De quibus transfigere possimus.	139
V. De transactione facta super his, quæ te-	
flamento relicta.	144
VI. An & quatenus de alimentis transfigere	
liceat.	147
VII. Quatenus in causis criminalibus trans-	
actio permissa.	153
VIII. De vi & effectu transactionis.	164

## NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

**A**vendo veduto per la Fede di revisione, ed approvazione del P. Fr. TOMASO MARIA Gennari Inquisitore nel Libro intitolato : *Arnoldi Vinnii Jurisconsulti Tractatus quatuor, de Partis, Jurisdictione, Collationibus & Transactionibus*, non esservi cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo licenza, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 6. Gennaro 1734.

( ANDREA SORANZO Proc. Rif.

( Z. PIERO PASQUALIGO Rif.

(

AGOSTINO GADALDINI Segr.

Registrato nel Magistrato Eccellentissimo degli Esecutori contro la Bestemmia li 25.  
Gennaro 1734.


ANGELO LEGRENZI Segr.

## APPROBATIO CENSORIS.

**E**x mandato Illustrissimi Galliarum Cancellarii, perlegi Librum cui titulus est : *Arnoldi Vinnii Jurisconsulti Tractatus quinque, nempe de Partis, Jurisdictione, Collationibus & Transactionibus & Questionibus Juris selectis*, &c. atque editionis iteratione dignissimum reperi. Paginis, die 26. Octobris, anno Domini 1747.

Signé, RASSICOD.

ARNOLDI



ARNOLDI  
VINNII JC.  
TRACTATUS  
DE PACTIS.

C A P U T P R I M U M.

Quid pactum, pactio; conventio, pactum conventum.

1. *Pacti & pactioris definitio.*
2. *Pactum & pactio idem, & N<sup>o</sup>. 5.*
3. *Pactum generali significatione idem, quod conventio, & N<sup>o</sup>. 7.*
4. *Actu plus est in specie, quam in genere: genus, symbolum communis specierum essentiae.*
5. *Generali appellations pacti etiam contractus nominatos contineri.*
6. *Prætorem edictio de pactis edicere de conventionibus omnibus.*
7. *Pacta conventa quomodo prætor servet.*
8. *Cur in definitione mentio fiat duorum aut plurium.*
9. *Quid sit illud in idem.*
10. *Pactum speciali significatione passim pro pactio nudo.*
11. *Pactum conventum, nihil aliud quam pactum per se positum.*
12. *Pactum conventum proprie non est pactum *γένεσις.**
13. *Quod nostris pactum conventum dicitur, Græci Jurisconsulti reddiderunt *συμφωνίαν* simpliciter.*
14. *Si quando pactum, aut pactum conventum pro instrumento pacti usurpatur, tropica locutio est, non propria.*

Vinn. Tract. Varii.

1. **A C T U M** sive pactio est duorum vel plurium in idem placitum & consensu. *Placitum & consensus.* Constant. Harmenop. libr. 1. tit. 9. cap. 1. ἀποκριτικὴ καὶ συγκαταθέτειν, *Synops.* Attaliatæ titul. 6. ὅρον τοῦ πακτού. In Pandectis Florentinis legitur, in idem placitum consensus. Ceterum parum referri, utro modo legas. Ita definitur pactio ab Ulpiano in *I. i. §. 2. hoc tit.* & eodem modo ab eodem auctore, pactum in *I. 3. de pollicit.*

2. Unde apparet utrumque idem esse, atque æque late vocis utriusque significationem patere, contra quam existimat Duarenus ad *d. I. i. §. 2. hoc tit.* In una *I. juris gentium. 7. §. sed cum nulla. 4. & aliquot §§. seqq. eod.* plus sexies promiscue pacti & pactioris verbo idem Ulpianus utitur. Sunt qui putant pactum proprie dici jus, quod ex pacto existit, sive obligationem ex actu pacisciendi natam: sed sine ulla auctoritate, ullave vel in speciem probabili ratione. Nam in *I. i. §. 1. eod.* tantum grammatica quedam affertur deductio.

3. Sed & pactum generali significatione non minus late pater, quam nomen con-

A

## TRACTATU\$

ventionis, & contractus quoque omnes continet; quod & ipsum definitio pacti evidenter ostendit. Etenim si contractus quoque omnis est duorum vel plurium in idem consensu, necessario unum ex his tribus sequitur, ut aut contractus idem sit, quod pactum, aut genus pacti, aut pacti species; atqui nec idem est, quod pactum, nec genus pacti, ac de eo inter omnes convenit: neceesse igitur est pacti esse speciem.

4. Nihil officit, quod plus est in contractu, quam in pacto generaliter sumpto: nam semper actu plus est in specie, quam in genere. Quippe genus non est particeps differentiarum, *ειναι τοι διαφοραι* ut docet Arilt. Philip. 7. 12. & ut Porphyrius c. 3. *διαφοραι ιστι, η μετατοιχια τοι της της γης.* & mox, *γενες διαμετρητικης της της γης.* & mox, *γενες διαμετρητικης της της γης.* Id est, genus quidem potentia omnes habet differentias, quae sub ipso sunt, actu vero nullas. Etsi autem tota essentia speciei non est in genere: tota tamen generis essentia aequaliter inest in singulis speciebus; semperque genus, ut latius patens, de specie sua praedicatur, & non convertitur. Ut ecce, homo est amplius quid, quam animal seu corpus animatum sentiens; omnis tamen homo est animal: è converso vero non omne animal est homo. Similiter contractus est aliquid amplius, quam pactum in genere sumptum, seu duorum vel plurium in idem placitum: omnis tamen contractus est pactum sive plurium in idem placitum. At vero ex contrario non omne pactum est contractus: verbi causa pactiones ad librandum comparatae, placita de contrahendo, pura emendo, permutando, &c. conventiones legitimæ, nec non negotio alicui adjectæ, licet sint pacta, contractus tamen non sunt. Unde Græci Jurisconsulti pactum, quod *ουφωνον* vocant, fieri dicunt *τη τη συντηρηση, η διαλυθηση* ad contrahendum vel distrahendum: contractum vero *τη τη συντηρηση* *τη τη συντηρηση* *τη τη συντηρηση* ad constituantem obligationem, & alterum alteri reddendum obnoxium.

5. Hoc quod dicimus, verum esse manifeste quoque arguunt hi loci, *I. si domus.* 8. *I. solent.* 15. *de prescript. verb.* *I. legem.* 10. *C. hoc tit.* ubi inter pactum nudum & non nudum hæc distinctio ponitur quod illud actionem non pariat, ex hoc autem nascatur actio prescriptis verbis; item *I. 6. C. de jure dot.* in cuius specie matris pactum dicitur actionem prescriptis verbis constituere. Constat autem inter omnes, actionem prescriptis verbis non dari, nisi *ειναι παραγαγετον* ex contractu, *d. I. 7. §. 2. hoc tit.* & pass. *tit. de prescr. verb.*

6. Ad hæc non modo contractus innominatos, verum etiam certo nomine ac forma distinctos generali pacti appellatione contineri appetit ex *I. duo.* 71. *pro. soc.* quo loco contractum de societate habitum pallam; et nominari pactum conventum societatis & mox iterum pactum conventum de societate. Idem quoque evincitur ex eo, quod in *I. si unus.* 27. §. 2. *vers. idem dicemus. hoc tit.* Paulus scribit, consensu contractam obligationem, & re integra contrario pacto sublatam, veluti empti novissimo pacto non resuscitari: sed id pactum proficere ad novum contractum. Quid enim hoc aliud est, quam si dixisset, posterius pactum novum esse contractum, novam emptionem? Sane sic idem ille hoc explicat *I. pacta conventa.* 72. *pr. vers. an idem de contr. empt.* Item ex *I. traditionibus.* 20. *Cod. hoc tit.* ubi cum traditio opponatur cuilibet conventioni & pacto nudo à traditione, etiam contractibus nominatis opponitur, veluti emptioni & venditioni; ac proinde illic appellatione pactorum certum est etiam contractus nominatos intelligi. *fac. §. 3. Inst. de empt.* Denique cum ususfructus & servitudes prædiorum dicuntur confitui pactionibus & stipulationibus, §. 1. *Inst. de usufr. §. ultim. Inst. de serv. præd.* per pactiones necesse est, ut intelligamus contractus quoslibet juris gentium comparatos ad dominium, aut jus aliquod in rem transferendum. Ex his facile occurri jam poterit objectionibus Borcholti *c. 1. de pact. n. 6.* & seqq. nec non eorum quoque errori, qui afferunt in usu juris nostri non tantum pactum, pactionem, conventionem, sed etiam contractum pro eadem re sumi, nihilque interesse, contraxisse aliqui dicantur, an pacti esse vel convenisse: hoc enim non minus absurdum est, quam si quis dicat, idem significare genus & speciem, animal & hominem: pactio enim & conventione nomina sunt generis, contractus nomen speciei. Itaque etsi qui contraxerunt, etiam pacti esse & convenisse restè dicantur, quod solum probant: tamen ex converso non omnes, qui dicuntur pacti, dici possunt iniuste contractum, ut non multo ante demonstratum est, & plenius demonstrabitur inferius. Venditant illi quidem opinionem suam etiam pro communi interpretatione sententia: sed falso: ac ne unum quidem reperiri credimus, qui idem assertat, aut qui neget, quod illi negant, ea quæ sub diversis vocibus idem significant, esse synonyma aut *ισοδυναμητα.*

7. In edicto prætor conjunxit hæc duo, *pacta conventa.* *d. I. 7. §. ait prætor. ff. hoc tit.* Ulpianus interpres edicti definivit pac-

tionem & conventionem, quæ verba in edito non sunt: quod & ipsum certum argumentum est, pactum, paclum, conventionem, conventum idem valere & declarare; quemadmodum etiam convenire & pacisci plerumque pro eodem dicimus. Sic promissum & promisso, præceptum & præceptio, jussus & jussio, inventum & inventio, & sexenta hujuscemodi idem valent & significant: estque in hisce omnibus eadem analogia & ratio. Sed hic queret aliquis cum D. Cujacio, cur si pacti aut pactionis nomen æque generale sit, atque conventionis, Ulpianus in l. 1. §. 3. ff. h. t. tantum de verbo conventionis dicat, generale id esse? Respondeo perperam ex eo colligi pactionis aut pacti verbum generale non esse: nam ex definitione, quæ præcedit, satis intelligitur hoc verbum generale esse: sed Jurisconsultus docere voluit etiam conventionis verbum generale esse, de quo prima fronte dubitari poterat propter verbi originem, quod non videtur pertinere ad eos, qui de negotio transigunt, quorum consensus & factum discessio potius, quam conventione videri potest, ut bene Donell. ad Rubr. C. hoc tit. n. 10.

8. At dices, huic sententiae consequens est, prætorem hoc edito etiam de contractibus edicare: quod tamen & alienum esse videtur à sententia prætoris, qui pollicetur se pacta conventa servaturum, cum contractus satis jure valeant sine tuitione prætoris; & <sup>anno</sup> argumento collocationis editi: quippe quod non aliam ob causam positum sit inter ea, qua judicium antecedunt, quam quia pacta ad item remorandam pertinent, sola autem eo pertineant pacta, quibus id agitur, ne petatur. Hinc denique esse, quod post editum propositum omnis fere hoc titulo tractatio Jurisconsultorum sit de iis pactis, quibus quid remittitur; quamquam subinde alia miscentur. Ita disputat Duarenus comment. ad. l. 1. ff. h. t. & lib. 2. disput. c. 8. Respondeo, hoc edito edicens prætor, de pactis conventis edicare intelligitur de conventionibus omnibus, ac proinde etiam de contractibus, arg. d. l. 1. §. 3. l. 7. pr. §. 1. & 2. eod. quod quidem videri poterat huic loco minus convenire, si hoc solum prætor polliceretur se pacta conventa servaturum: nunc autem excipit ea, qua dolo malo & contra leges facta sunt, quod est ejusmodi, ut de contractibus fere solis statui necesse fuerit. Nam cum nudæ conventiones actionem non pariant adversus has reus satis munitus est ipso jure. Porro illa exceptio doli aliave defensio, qua repellitur ex contractu agens

æque ad moram judicio afferendam & tuendum reum pertinet, atque illa, quæ datur ex pacto convento de non petendo. Quod si vera esset sententia Duareni, non hoc efficeretur, contractus non esse pacta; sed illud potius, non alia esse pacta, quam quibus paciscimur, ne petatur, ut recte Baro ad. l. 7. §. quin imo. ff. hoc tit.

9. Ergo, inquis, verba hæc prætoris, pacta conventa servabo, sic interpretaris, data aut actione, aut exceptione, prout hac aut illa ad servandum paclum opus erit? Quid ni vero; Sic enim & alibi prætor dicitur tueri adjudicationes, exceptiones aut actiones dando. l. inter cohæredes. 44. §. 1. fam. exercit. Contractus igitur servat prætor dando actionem: nam & actiones civiles solent prætores editis monitoriis proponere, & dare potentibus, l. 1. ff. commod. Servat conventiones alias seu pacta nuda, siquidem ad liberandum comparanda sunt, dando exceptionem: si vero ad obligandum, non aliter actionem dat, quam si specialiter jure civili aut honorario confirmata sint, aut contractibus bona fidei in continent adjecta, l. 6. l. 7. §. quin imo. l. si tibi. 17. §. 2. ff. hoc tit. l. 1. ff. de pecun. constit. Etenim verba prætoris cum hac moderatione accipienda sunt, Quod ejus per leges, &c. licet, arg. l. 1. in fin. ff. ex quib. caus. maj. Si vero dolo malo, aduersus leges, aut bonos mores conventio facta fuerit, eam neutrō tuetur modo. Illud non magni pondoris est, quo tamen nonnullos in contrarium moveri video, quod in jure nostro plerumque pacta contractibus opponuntur, atque identidem negatur ex pacto obligationem aut actionem nasci: nam tum pacti verbum in specie sumitur pro pacto nudo, quomodo & passim absolute positum à veteribus accipitur, d. l. 7. §. quin imo. §. ff. hoc tit l. 10. Cod. eod. l. solent. 15. ff. de prescr. verb. l. 1. Cod. de pact. conv. tam. sup. dot. Non enim novum est, ut idem verbum & generis nomen sit, & speciei, quod nomina adoptionis, cognitionis, notionis, &c. satis probant.

10. Quod in definitione mentio fit duorum aut plurium, hoc eo pertinet, ut hinc removeantur ultimæ voluntates, & itidem vota ac pollicitationem, in quibus unius tantum vel testantis voluntas, vel voventis aut offerentis promissum spectatur, l. 12. in fin. de leg. l. 2. l. 3. de pollic. Intelligo autem pollicitationem proprie dictam, id est, quæ fit reipub. Nam id nomen interdum etiam pro promissione stipulanti facta, & pro pacto convento accipitur, l. ea qua. 43. §. 1. de contr. empt. l. 1. §. pen. de A 2

*dot. coll. l. 6. C. de dot. prom. l. 5. C. de contr. stip.* Votum autem est pollicitatio Deo facta, c. 6. & 7. ext. de vot. Cicero definit sponsonem, qua Deo obligamur.

11. In *idem* valet in eandem rem, quæ recipitur, id est, in hoc, ut aliquid fiat negotii vel contrahendi vel dirimendi causa: nam ad materiam subjectam unumquodque referri debet. Neque enim verbi gratia, si duo jurisperiti, de aliqua juris quæstione consulti, idem responderint, talis consensus pactio aut pactum recte appellabitur. Græci expresse addiderunt, *την την ομοιοτηταν την περιστασιν*, *την αυτην την περιστασιν*.

12. Effectum igitur hactenus est, verba hæc *pactum, pactio, conventum, conventionis*, vi sua generalia esse, ejusdemque omnia significationis. Cæterum, ut quoque dictum est, pacti nomen etiam specialem significationem habet, & à veteribus passim pro forma pacti, quod alias cum adjuncto nudum dicitur, usurpari solet: atque hoc etiam usuvenit, cum duo hæc conjunguntur, *pactum conventum*. *l. 7. §. quin immo. l. si unus. 27. in fin. hoc tit. l. pacta conventiona. 72. de contr. empt. l. 4. l. ult. de pignor. cum similib.*

13. Atque ego quidem existimo idem plane esse *pactum conventum*, quod *pactum* per se possum; nullaque in re ab altero differre. Duo hæc substantiva, *pactum conventum*, junguntur plerumque *et* ut & alia quædam, veluti *æquum bonum purum putum, sarta tetta*: idque fit rei magis explicandæ gratia *και την επιτην*. Ali quando etiam *pacta* & *conventa* veteres dicebant. Cicero in illa pro *Cæcinn.* Quæ *judicia, aut stipulationis, aut pacti & conventioni formula non infirmari aut infringi potest, si ad verba rem defletere velimus?* Juvenalis *Satyr. 6.*

*Conventum tamen & pactum, & sponsalia nostra*

*Tempestate paras.*

Ubi non satis perite *Britannicus conventum* interpretatur cœtum & multitudinem hominum. Seneca 3. de *benefic.* Utinam nulla *stipulatio emptorem venditori obligaret, nec pacta conventaque impressis signis custodirentur, & apud Paulum lib. 1. recept. sentent. titulus primus inscribitur de pactis & conventionis.* Re ipsa autem nihil interest, utrumque, an alterum solummodo exprimatur.

14. Claudio Salmasius, facili decus, putat *pactum conventum* veteribus proprius id *pactum*, quo scriptura interveniente factum est, magistrisque juris omnibus

exprobret hujus rei ignorantiam, *lib. de mod. usur. c. 12.* Ego vero non unam habere mihi rationem videor, cur hoc doctissimo viro concedere non debeam, atque existimem injuste interpretes nostros ab eo reprehendi. Utar eadem libertate adversus summum virum, qua ille usus est adversus alios: nec abnuo, quin ille ipse mihi judex in hac causa detur. Primum illud satis constat, minime quadrare in propriam significationem verbi *conventum*, ut id accipiatur pro scripto aut conventionis instrumento. Deinde cum in edicto prætor ait se pacta conventa servaturum, non magis hoc ad pacta scripta pertinet, quam ad cætera: quemadmodum nec illud, quod dici solet, pacta conventa in continentia adjecta inesse bona fidei judiciis, *l. 7. §. quin immo. 5. ff. hoc tit.* Paeti conventi exceptio nostris non est exceptio pacti scripti, sed pacti cuiuslibet seu justæ conventionis, ut & passim promiscue hæc nostri usurpant. Si quis mihi veterum scripta in hunc titulum percurrere voluerit, reperiet centies hæc nomina, *pactum & pactum conventum*, confundi atque pro eadem re sumi. Qui titulus in pandectis inscribitur *de pactis dotalibus*, in Codice inscriptus est *de pactis conventionis tam super dote, &c.* certum autem est utrumque titulum pertinere tam ad pacta dotalia *εγγεγέα*, quam ad *εγγεγέα*; nec ulla est in toto illo titulo Codicis constitutio, in qua hæc duo, *pactum conventum*, juncta invenias; sed mentio tantum fit legis aut pacti datis dationi adjeci, dative instrumento interpositi.

Quinimo ipsa illa *l. 4. ff. de pignorib.* qua D. Salmasius utitur ad opinionis suæ confirmationem, eam perspicue evertit, aut ego vehementer fallor. Contrahitur, inquit Cajus, *hypotheca per pactum conventum, cum quis pacificatur, ut res ejus propter aliquam obligationem sint hypothecæ nomine obligatae.* Nec ad rem pertinet, quibus fit verbis, sicuti est & in his obligationibus, quæ consensu contrahuntur: & ideo & sine scriptura, si convenit, ut hypotheca sit, & probari poterit, res obligata erit, de qua conveniunt. Non ait Jurisconsultus hypothecam contrahi per *pactum conventum*, cum quis scriptura interveniente pacificetur, sed generaliter, cum quis pacificetur: ac proinde etiam cum pacificetur *εγγεγέα*. Et quia per *pactum conventum* hypotheca contrahitur, ait nihil interesse, quibus verbis fiat, & posse etiam sine scriptura fieri, ac prorsus ita contrahi, ut contrahuntur obligations nudi consensus, in quibus, ut substantiam capiat obligatio, sufficit consensum quo-

## D E P A

modocunque declarari, l. 2. ff. de oblig. & act. Ex hoc igitur loco Caii non illud evincitur, quod contendit D. Salmasius, pactum conventum esse, quod scripto confignatum est, sed quod non asservimus, pactum conventum Cajo idem esse, quod pactum simpliciter sive nudam conventionem, fac. l. 1. ff. de pign. act. §. item Serviana. 7. in fin. inst. de action. Quod si per pactum conventum intelligeret σύμφωνον γραμμάτων, falsa esset collectio Jurisconsulti, sibique ipse contradiceret.

15. Sed neque Graci Jurisconsulti, quod pactum conventum nostris dicitur, reddiderunt γραμμάτεον ut idem vir illustris existimat; verum σύμφωνον simpliciter. Titulo Codicis de pactis conventionis tam super dote, &c. responderet titulus apud Constantium τῶν γραμμάτων συμφώνων &c. in Basilicis τῶν αὐτοκότος, καὶ τῶν τοῦ αὐτοῦ πάκτων ὑποσυμφώνων. Constantinus autem cum hypothecam hoc modo definit; ὅποιον μὴ τοῦ παρχειμον τῷ χριστῷ, ὑποπθειμον δὲ τῷ διατεῖται τῷ γραμμάτεον, τούτος τὸν τῷ χριστῷ παρχειμον τῷ διατεῖται. Pignus autem est, quod ad creditorem transit, hypotheca cum non transit nec possellio ad creditorem: idque ita esse patet ex eo, quod mox apud Constantimum sequitur, οὐχιον δὲ τῷ τοῦ χριστοῦ παρχειμον τῷ διατεῖται. Pignus autem est, quod creditori in manus traditur. Idem alibi, πυρίας στοχευον τῷ παρχειμον τῷ διατεῖται τῷ δὲ μὴ παρχειμον, ἀλλὰ συμθεωντις ὑποθέντι εἰσι. Pignus proprie dicitur, quod creditori traditur quod vero sine traditione pacto convento contrahitur, hypotheca est. Nimurum differentia pignoris & hypotheca non in eo conflitit quod haec γραμμάτεος illud ἀγενάς contrahatur: sed quod haec pacto convento, id est, γραμμάτεος, illud non nisi re tradita, §. item Serviana. in fin. Inst. de action. §. ult. inst. quib. mod. re contr. obl. d. l. 9. §. 2. de pign. act. instrumentum intervenierit, nec ne ad differentiam pignoris & hypothecæ nihil attinet, igitur εἰς γραμμάτεον Harmenopulo non est per pactum conventum, sed instrumento pacti conventi: quippe qui non ideo γραμμάτεος meminit, quod sine instrumento hypotheca non contrahitur, sed quia probationis causa scriptura fere adhiberi solet d. l. 4. ff. de pignor. l. 4. ff. de fid. instrum. cum similib. In Basilicis autem lib. 25. tit. 2. sententia Caii in d. l. 4. de pignor. his verbis expressa est, εἰς ἵνα τοῦ στοχευ-

## C T I S.

ζῆν τῆς οὐνοκοπίους η̄ ἵππη πατέτες συναγαγόμενος συναπέντες, θύτη τῇ ὑπελέπῃ συμφώνῳ συνίσταται οἶος δήποτε βίβλος καὶ αὐτοφάνης. τὰ γὰρ ἐγράφα δὲ τὴν ἀπόδημην γένεται. Id est, quemadmodum in obligationibus sit ut obligatio adstringat de re qualibet consentientes, ita & hypotheca pacto convento contrahitur, quibuscumque verbis, etiam citra scripturam: nam scripturae probationis caria fiunt, &c.

16. Plane factum pactum conventum nonnunquam apud auctores usurpari pro instrumento, in quo pactum conventum descriptum est, & apud Ulpianum in l. duo societatem. 71. ff. pro soc. sed tropica ista locutio est; non propria, sumpropter metonymiam contento pro continente, ejusdemque tropi usus occurrit etiam in voce pactum l. 7. §. quod fere. 12. ff. hoc tit. ibi. quod fere novissima parte pactorum ita solet inseri. id est, novissima parte instrumenti de pactis confecti. Nemo tamen ob id dixerit pactum proprie esse conventionem scriptam, sic per eandem figuram lex accipitur pro tabulis legis l. eum debere. 33. ff. de serv. præd. urb. l. si in leg. 24. ff. locat. & passim apud alios cautio & obligatio pro chirographo. l. lecta 40. ff. de reb. cred. l. 5. ff. fam. ercisc. l. ult. Cod. de cond. ex leg. l. 7. de num. pec. stipulatio pro stipulationis instrumento l. 1. §. pen. ff. de edend. Cicero, partitionib. Scriptorum privatum aliud est, publicum aliud. Publicum lex, senatus-consultum, fædus. Privatum tabulae, pactum conventum, stipulatio. Græcis quoque familiare est, ut συμβόλαια γραμμάτεα, sive καπηλεῖας η̄ συμβολίνια, instrumenta pactorum ac conventorum, appellant συμβόλαια simpliciter, figurare tamen, ut ex contento continens intelligatur. Jam etiam cæteris, quæ à D. Salmasio in contrarium afferuntur, facile, ut opinor, obviam iri poterit.

## C A P U T I I.

### De pactis seu conventionibus publicis.

1. *Publica conventione quid est & à quibus fiat,* & N°. 4.
2. *An Princeps pacem cum hostibus faciens privatorum injurias ob causam belli acceptas remittere posset.*
3. *Private conventionis species est, cum Princeps contrahit cum subditis emendo, vendendo, &c.*
4. *Duces belli citra speciale mandatum pacem aut inducias facere non possint.*
5. *De quibus rebus duces belli relle paciscantur.*

**P**ACTIONUM sive conventionum quædam publicæ sunt, quædam privatae. *l. convention. 5. ff. hoc tit.* De conventionibus publicis parcus differemus, quoniam ita disputatio Politicorum tota propria est: Nam conventiones publicæ non tam legum civilium auctoritate, quam communi omnium gentium iure reguntur, multumque hic valent, ac præcipuum fidem merentur judicia & sententiae illustrium Scriptorum, tum Philosophorum & Historicorum, tum Oratorum etiam & Poetarum. Denique juris publici tractatio atque cognitio fere à Juri consulto hodie non expectatur, si causas publicorum criminum atque alia nonnulla excipias.

1. Publica conventio, definitore Ulpiano in *l. conventionum. 6. ff. hoc tit.* est, quæ fit ex causa publica. Hujusmodi autem pacatorum faciendorum potestas penes eos solos est, qui summa rei præfunt, aut qui eam potestate ab his, quorum ea propria est, acceperunt. Ulpianus *d. l. 5.* quid sit publica pæctio, declarat duobus exemplis: *publica*, inquit, *conventio est, quæ fit per Principem*, (ita enim omnino legendum est cum Russardo, non per pacem, quod idoneum sensum non habet) *aut quoties inter se ducet belli quædam paciscuntur*. Græci hunc locum sic reddunt, ἀκόντια δὲ (τοιχῷα) τὰ πάλιν ἑρεποντες εἰρήνην, καὶ εἴρην τοῖχον, ἡ ἄνοια τοῦντον, *publicæ conventiones sunt, quæ fiunt per principes aut duces exercitus, veluti ad pacem aut aliud quid tale*. Et quidem dubium non est, quin Princeps de negotiis ad rempub. spectantibus recte atque utiliter paciscatur, sive aliud quodcumque foedus cum hostibus faciat: siquidem pæctiones initre etiam quæ bellum finiant, eorum est; quorum est bellum, cum suæ quisque rei moderator sit atque arbiter.

2. Sed queritur, pacem faciendo cum hostibus, an privatorum damna atque injurias ob causam belli acceptas remittere possit? Et puto posse arg. *l. 1. §. 2. in verbis, sunt enim quædam publicæ utilia. ff. de just. & jure. c. in nostra. ibi pro bono concordia ext. de injur.* Atque omnino concludimus remissionem favore publicæ pacis factam, etiam si facta sit invitis subditis, valere, si aliter discordia sedari & pax haberi nequeat: & maxime cum occupata per injuriam bona longo tempore possessa sunt, quæ si à possessoribus auferantur multa concuti & perturbari necesse sit. Optimæ conciliaciones sunt, quæ iram & offendarum memoriam delent, & ut ait Iloocrates Panath. ἐργάζεσθαι οὐδὲν πει-

πειται τοῖς τούτοις φροντίαις, in pace non decet antemalorum recordari. Et omnino in foederibus ineundis non tam cogitandum est de sarcenda in præsens amicitia quam id curandum, ne partes, quæ non ad differenda, sed ad auferenda mala conveniunt, bello iterum implicentur, ut disputat Diogenes. Halicarnassensis *lib. 3.* Exemplum habemus apud Val. Maximum *lib. 4. cap. de animi moderatione*, De Thrasylbulo, qui cum civitatem Atheniensium triginta, tyrannorum servitio liberasset, plebiscitum interposuit, ne qua præteritarum rerum mentio fieret; quæ malorum oblivio auras ab ipsis vocitata est. Quod exemplum & M. Tullius aliquando Romæ publico otio consulere volens sequendum esse censuit, *Philip. 1. in princ. Bodin. lib. 2. de repub. c. 5. & lib. 5. cap. 6. Grot. lib. 3. de jur. belli. & pac. c. 20. Duar. ad. l. 5. ff. hoc tit. Gail. 2. obs. 57. & de pace publ. nū. 25. Matt. Cuno tract. de paci. cap. 22. per tot. vide & Vasq. 1. contr. 4.*

3. Paeti vero non publici, sed privati species est, cum Princeps paciscitur aut contrahit cum subditis, verbi causa, emendo aliquid, aut vendendo: neque enim hoc facit, quæ Princeps; & verillimum est, quod vulgo jactatur, Princepem in his jure privatorum uti. Nam quod legibus solitus esse dicitur, hoc non eo pertinet, ut ad contraetus obseruantiam adstringi non debat. Lex naturalis est, quæ fidem servari jubet: quæ proinde neque populi consensu, neque senatus auctoritate solvi potest.

4. Alterum exemplum publicæ conventionis afferit Ulpianus *d. l. 5. hoc tit.* de ducibus belli inter se paciscientibus. Non tantum igitur Princeps, siue, qui summum imperium habent, pæcta cum hostibus initre publicæ utilitatis causa possunt: verum etiam ducibus belli idem permisum est. Ceterum belli duces non nisi de illis rebus quæ ad administrationem belli pertinent, deque his, quæ ipsis concessa intelliguntur, jure pacisci possunt. Unde petenda decisio questionis, quæ ab interpretibus movetur, an à ducibus belli citra principis aut populi consensum, cuius nomine & auspiciis bellum geritur, pax aut inducia constitui possint.

5. Dicendum enim est non posse, nisi hoc specialiter iis concessum sit; eumque, cui ducendi regendique exercitus, aut etiam in universum belli gerendi cura commissa sit, pacem cum hostibus faciendo, fines mandati & muneris sui excedere; neque enim belli gerendi pars est, bellum finire. Agesilai responsum ad Persas fuit,

*τελείωσις πάντων τούτης της εἰρήνης αρbitrium penes civitatem esse. Eumenes apud Livium lib. 37. Qui rata ista pax erit, quam non ex auctoritate senatus, non iussu populi Romani peregerimus?* Et Sallustius de pace inter Aulum, exercitus Romani ducem relictum, dum frater consul Albinus Romanum proficiscitur, & Jugurtham Numidarum regem facta, Senatus, inquit, uti par fuerat, decernit, suo atque populi iussu nullum potuisse fædus fieri. Ac pari de causa nec Caudina, nec Numantiana sponsio populum Romanum obligavit.

6. Plane inauctas dare ducum est, nec summorum tantum, sed etiam minorum, sed iis solum, quos oppugnant, aut obsecros tenent, & se suaque copias quod attinet: nam alios duces pares non obligant, quod Fabii & Marcelli historia apud Livium lib. 24. declarat. Manifestè igitur labitur Bartholus in d. l. §. ff. hoc tit. cum simpliciter pronuntiat, ducem bellum, aut, ut ipse loquitur, capitaneum guerra posse facere treguam seu inducias indicere. Rursum ducibus non competit, homines, imperia, agros bello quæsitos concedere: qua de causa Syria Tigrani adempta, quanquam Lucullus dederat. In res alias, quæ in præda sunt, jus aliquod concedi ducibus videmus, non tam ex vi potestatis, quam cujusque populi moribus. Enimvero nondum quæsita condonare omnino in ducum est potestate: quia homines cum oppidis sæpe se dedunt sub conditionibus vita salvæ, aut & libertatis & bonorum, de quibus summae potestatis arbitrium exquiri res plerumque non patitur. Plenius hac exequitur Grot. lib. 3. de jur. belli & pac. c. 22. add. Bodin. lib. 5. de repub. c. 6.

## C A P U T III.

An fides hostibus, prædonibus, piratis data servanda sit?

1. *Etiam hostibus fidem datam servandam esse.*
2. *Dolus malus est post fidem datam hostem fallere.*
3. *Explanatio l. 2. C. de commerc. & mercat.*
4. *Prædones quoque & piratas communionem habere juris naturæ.*
5. *Promissionem impunitatis fastam atrocem aliquod facinus detegentibus servandam esse.*

FIDEI observatio est ex jure gentium, l. 1. ff. h. t. l. dum amplius. 84. §. 1. de reg. jur. l. bona fides. 31. ff. depos. Itaque cum Jure gentium quælibet justa pactio vim obligandi habeat, appareat etiam hosti fidem

datam servandam esse: nam & cum hostibus jus gentium colitur, l. ult. ff. de legationib. Utique enim si cum hostibus quoque sit communio juris gentium, cum iisdem etiam conventionum, ac proinde & obligationum communio sit necesse est. Silius Italicus lib. 25.

—Optimus ille

*Militiae, cui postremum primumque tueri  
Inter bella fidem.*

Denique si fidem hostibus datam contemne-re liceat, nihil aliud inde sequi poterit, quam perpetua disfidentia, crædes & bellum perenne. Sed hic nobis occurrit ex Ul-piano l. 1. §. 3. ff. de dol. mal. ubi ait bonum dolum esse, & pro solertia haberet, si quis contra hostem aliquid machinetur, eumque fallat. Cui non absimile illud Augultini in c. dominus caus. 23. qu. 2. In justo bello ad iustitiam nihil interest, aperte an ex ini- diis pugnetur. Et quod apud Ammianum Marcellinum legimus, nullo discrimine vir-tutis ac doli prosperos omnes laudari debere bellorum eventus.

2. Respondeo, id verum esse concedo, antequam fides data est: at fides semel data servanda est, quia cum hoste jus gentium colimus. Augustinus Epist. 1. ad Bonifacium, cuius fragmentum relatum est in cap. noli. caus. 23. quest. 2. Fides, inquit, quando promittitur, etiam hosti servanda est, contra quem bellum geritur. Hinc est, quod qui legatos hostium violant, eos jus gentium violare apud autores passim legimus d. l. ult. de legation. Liv. lib. 15. & 38. Cic. Ver-rin. 3. Quamobrem malo, turpi ac vafro commento pacta eluserunt, & perfidæ ve-lamentum quæliverunt Thraæs, qui olim pacti aliquod dierum inducias, noctu ex-cursiones agebant. Item male Romani, qui cum ex pactis cum Antiocho initis di-midium navium Antiocho relinquere debe-bant, naves dissecuerunt, dimidiumque in-cenderunt, altero dimidio relicto. Hic dolus quoniam post fidem datam adhibetur, malus est: cum contra, si fides hosti data non sit, licita sit omnis machinatio: eo-que pertinet illud Virgilii lib. 11.

*Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?*

3. Udalricus Zafius objicit huic sententiae l. 2. Cod. de commerc. & mercat. Sed satis constat etiam cum barbaris juris gentium communionem esse, l. Divus Hadrianus. 6. in fin. ff. de bon. dannat. Deinde aliud est, aurum illis subtili ingenio & arte ho-nesta subducere, quod licet, aliud fidem datam fallere, quod non licet. Vetus ibi Im-perator aurum ad illos exportare: quod & hodie in Anglia, Hispania, & alibi

## T R A C T A T U S

non licet , & ita Athenis multa erant , quæ dicebantur ἀπόφευκται , nimirum τὰ ἀποφέυκτα , quæ verita erant è terra Attica exportari , ut πάντα ἡ νομοθέτης ὅλη , abies , pix , stappa , &c. Denique jubet Imperator , ut potius ingenio & arte , nempe per negotiationem aurum ex illis locis deducatur in Romanorum ditionem , dum Romani illuc merces deferunt , & pro iis aurum accipiunt.

4. Sed quid de prædonibus & piratis ? Saneni non sunt justi & legitimi hostes , *I. hostes.* 24. ff. *de capi.* & *postlim.* Ceterum idem hic dicimus , quia etiam cum illis nobis est communio juris gentium , *I. bona fides.* 31. ff. *depos.* Non habent quidem isti specialem istam communionem , quam inter hostes in bello solenni introduxit jus gentium : attamen quia homines sunt , communionem habent juris naturæ , ex quo nascitur ut pacta sint servanda. Caesar *lib. 3. de bell. civil.* aperte scribit , actum à Romanis ducibus in Pyrenæis montibus cum prædonis & fugitivis de compositione , legatosque ad eos missos fuisse. Belli piratici magnam partem Cn. Pompejus pactionibus confecit , vitam illis pollicitus , & sedes , in quibus sine rapto viverent ; & tyranni interdum libertatem reddiderunt impunitatem paeti. Diodorus memorat Apollonio fugitivorum duci fidem servatam à Lucullo : alii id genus alia. At inquies , qui atrociter malefici sunt , neque pars sunt ullius civitatis , hi à quovis homine puniri possunt , si jus naturæ respicimus. Qui vero puniri possunt , ut vitam amittant , his etiam & res & jura sua possunt offerri : neque enim est contra naturam spoliare eum , si possit , quem honestum est necare , ut recte disputat Cicero *lib. 3. de offic.* Inter jura autem est etiam hoc jus ex promisso quæsumus : post igitur & hoc ei in poenam auferri. Respondeo processurum hoc , si non tanquam cum maleficio actum esset : at si quando cum tali , qua talis est , actum est , simul de remittenda , quod hanc rem attinet , poena actum censeri debet : quia semper ea sumenda interpretatio est , quæ cavet , ne actus in vanum recidat , *I. quotiens.* 12. l. ubi. 21. *de reb. dub.* Non male apud Livium *lib. 34.* Nabis , cum tyrannidem ei objiceret Q. Flaminius , *De nomine hoc respondere possum , ne qualisunque sum eundem esse , qui fui , cum tu ipse mecum , T. Quinti , societatem pepigisti , & mox : Jam feceram hæc , qualiacunque sunt , cum societatem mecum pepigistis. addit , Si quod ego mutassim , mili meæ inconstantiae ; cum vos mutetis , vobis vestræ ratio reddenda est.* Grot. *lib.*

*de t. jure. bell. c. 19. n. 3. & seqq.*

5. Quid dicendum de magistratibus , qui coniurationem in tempore aliudve atrox factus dregentibus impunitatem aut præmium aliquod pollicentur : Nimis quibus fides publica ob hujusmodi causam datur , eos non decipi non modo suadere rationem naturalem , verum etiam civilem quandam , ne scilicet cæteri in futurum ad similia facinora indicanda fiant tardiores. Atque ita S. P. Q. R. de Catilinarie coniurationis indicibus Cicerone consule faciendum decrevit , add. Bodin. *lib. 5. de republ. c. 6.* Grot. *lib. 3. de jure. bell. & pac. c. 19. & 4. seqq.* Hotom. *illustr. contr. c. 7.* Cunon. *tract. de paci. c. 29. n. 35. & seqq.*

## C A P U T I V.

## De pactis legitimis.

1. *Legitima conventione quid.*
2. *Exempla vetera pactorum legitimorum , & in his specialis juris ratio.*
3. *Aliud exemplum vetus , cum ratione juris singularis.*
4. *Exemplum pacti legitimi recentius , sc. quo dos promittitur.*
5. *Alia nova species , pactum donationis.*
6. *Item alia , qua usuræ argentariis promittuntur.*
7. *Ad pacta legitima referri posse & pacta honoraria , constitutum , & conventionem de pignore.*
8. *Exempla pactorum legitimorum , quibus actio ipso jure tollitur : inter quæ & lex commissoria & additio in diem.*
9. *Laudatur Graecorum de pactis legitimis sententia.*
10. *Stipulatio , acceptilatio , contractus literarum an species conventionis legitime.*

P R I V A T A conventione est , quæ fit ex causa & de re cujusque privata ac familiari. Eaque vel legitima est , vel juris gentium , *I. 5. ff. hoc tit.*

1. Legitima est , quæ manente nuda ac simplici forma conventionis , ex speciali confirmatione alicujus legis efficax est vel ad obligandum & agendum , vel ad obligationem & actionem ipso jure tollendam. Confirmationem dicimus specialem , nam & contractus juris gentium possunt dici jure civili confirmari , sed tantum in genere , scilicet hoc ipso , quod recepti sunt : quippe usus quoque vim approbationis habet , §. 1. *Inst. de obligat.* hoc tamen non obstante conventiones juris gentium appellantur , *I. juris gentium 7. pr. ff. hoc tit.*

2. Pacta legitima, quæ quidem actionem producerent, nulla adhuc fuisse tempore Pauli, cuius est d. l. 7. h. t. existimat Antonius Faber, sed fallitur. Nam talis pacti exemplum habemus in l. etiam 30. ff. de usur. item in l. in quibusdam 7. ff. de naut. fæn. quarum in altera idem ille juris auctor tradit etiam ex nudo pacto civitatis debet usuras creditarum ab eis pecuniarum, in altera illud etiam obtinere in pecunia trajectitia, id est, ea, quæ trans mare vehitur periculo creditoris, quod ipsum, & à Scævola, qui sub Antonino Philosopho floruit, traditum est, l. periculi. 5. §. 1. d. t. Licet autem incertum sit, quarum legum id auctoritate sit introductum; illud tamen satis constat, contra rationem juris communis utrumque constitutum esse jure singulari ac proinde speciali aliqua lege aut constitutione pacta ita fuisse confirmata, alterum haud dubie ob favorem reipub. alterum propter periculum, quod creditorem pecunia nauicæ spectat, ex quo navem navigare convenit, l. 3. d. tit. Regulariter enim & jure communis usurae foenebris pecunia circa vinculum stipulationis non debentur, l. Titius. 24. ff. de prescript. verb. l. 5. §. 2. ff. de solut. l. 3. Cod. de usur. atque hoc apud Paulum quoque & Scævolam ostendunt particulae & etiam.

3. Aliud exemplum pacti legitimi, jam tum ætate Pauli confirmati, nobis supeditat l. frumenti. 12. C. de usur. ubi Alexander Severus, cui Paulus à consiliis fuit, rescribit, etiam ex nudo pacto accessionem sive usuras frumenti vel hordei mutuo dati præstandas esse: in quo item jus est singulare; nam regulariter, ut jam dictum est, usurae pecuniae creditæ peti nequeunt, nisi in stipulatum deductæ fuerint. l. 1. l. 3. Cod. eod. Huic autem speciali juri forte causam præbuit utilitas & necessitas publica, ut invitarentur creditores ad facilius eas res mutuo dandas, quæ ad viçtum omnino sunt necessariae, & quarum ob id usu minus carere possumus quam pecuniae. Forte etiam, quod frugum tum aridarum tum liquidarum æstimatio & pretium subinde mutatur, pro varietate locorum & temporum. §. si quis agens. Inst. de action. l. 3. ff. de eo quod cert. loc. Utique ob hanc causam ~~alio~~ <sup>ad alios</sup> placuit majores recipere usuras frugum quam pecuniae mutationem. l. oleo. 23. C. de usur. de quo præclara quedam apud D. Salmas. lib. de mod. usur. c. 8.

4. At post tempora Pauli plura hujus generis pacta introducta sunt constitutionibus Principum. A Theodosio & Valentiniano vim conventionis legitimæ accepit pactum, Vinn. Tract. Varii.

quo dos promittitur. l. ad exactionem. 6. C. de dot. promiss. Quamquam autem Connarus lib. 5. comm. c. 3. & Donellus ad l. legem. 10. C. hoc tit. putant pactum de dote danda esse conventionem, cui subsit causa, videlicet ipsa nuptiarum coitio; propterea quod promissioni dotis semper insit hæc conditionis. si nuptiae fuerint secuta. l. stipulationem. 21. ff. de jur. dot. ac proinde promissionem talem incidere in contractum innominatum facio ut des: tamen magis est, ut id falsum sit. Nam si ratio illa, qua utuntur, bona esset, ex eo efficeretur, omnem pene conventionem conditionalem habere in se negotium & causam, quod utique aperte falsum est. Sed nec quodlibet factum ad constituendum contractum innominatum intervenire sufficit, verum tale intervenire necesse est, ex quo ad alium aliquid perveniat, quod sit fundamentum ~~euāmāyuxrō~~ & actionis civilis. At tale factum non est, uxorem docere aut nuptias contrahere. Accedit, quod ex causa facio ut des datur actio aut præscriptis verbis in id, quod interest, aut de dolo ( nihil enim nunc refert, utra detur ) Neutrum autem horum est in casu proposito, & dos plenumque exigitur conditione certi. Quid quod & post contractas nuptias dos promitti potest, ut hic quoque pactum sit utile ad exactionem, per d. l. Denique novum in d. l. 6. jus constitui ex eo satis appetit, quod etiam ante illam constitutionem ex contractu facio ut des certo jure actio competit, l. 5. §. 3. l. solent. 15. ff. de prescr. verb. & recte itaque Græci apud Hartmenop. lib. 4. tit. 8. §. 13. ἀντὶ ταγμάτων γενεσθεῖσα μαρτυρία οὐκέτι. i. e. ex nuda promissione parter dotem debet. Cæterum hujus disputacionis nulla amplius horde videatur esse utilitas, postquam auctoritate constitutionis Justinianæ l. un. C. de rei ux. art. semper singatur intervenisse stipulatio tam ex parte mariti, quam ex parte uxoris, ita recte DD: comm. post Gloss. Cyn. & Salic. in d. l. 6. de dot. promiss. dissentit tamen Fortun. Garz. in l. 6. h. t. n. 23. & seqq. contendens stipulationem ex parte uxoris duntaxat finiti intervenisse in d. l. un. C. de rei ux. art. non autem ex parte mariti, ut ut verba legis expresse repugnant.

5. Constitutione Justiniani confirmatum est pactum donationis, quod in præsens conceptum est, seu quo quis in præsentia se donare dicit, veluti, dono tibi centum aureos: ex hoc enim pacto, licet nudo, Justinianus actionem dedit contra regulam juris antiqui. l. si quis argentum. 35. §. ult. C. de donat. §. 2. Inst. eod. Quod si pactum

donationis causa in futurum conceptum sit, veluti si quis dixerit, donabo tibi centum aureos, manebit hic etiamnum jus vetus, neque ex nuda hac pollicitatione promitterens magis nunc obligabitur, quam ante, arg. *I. præcipimus. in fin. C. de appell.*

6. Ejusdem Principis constitutione Novella 136. c. 4. cautum, ut usura etiam ex nudo pacto debeantur argentarii: quod cautum propter communem utilitatem, quam in contractibus exhibent *argenteas* sive argentarii, dum multis se periculis immiscunt, ut ingruentibus aliorum necessitatibus medeantur. Eandemque ob causam placuit certas usuras, & quidem besses, argentariis præstandas esse, etiam si modus certus usurarum dictus non sit: quod in aliis non habet locum, *I. quod in stipulatione.* 31. *I. tutor. 41. §. ult. ff. de injur. 18. γεγονότα τοις οὐρανοῖς ἀποδεῖσθαι τοις βούλησαν σε αὐτὸν διατάξει τοιαντας λεπτοτέρας ἀδικίας,* ait Julianus d. Nov. 136. c 4. lib. 24. Basili. tit. 4. c. 4.

7. Possunt hoc etiam referri pacta, quæ jure honorario confirmata sunt ad actionem parviendam, cum eundem effectum edictum prætoris habeat, quem habet lex aut senatusconsultum; quo intuitu edictum prætoris etiam ab ipso Cicerone act. 3. in *Verr.* lex appellatur: maxime autem hodie postquam ex confirmatione Justiniani edicta prætorum non minus pro legibus, quam ceteræ partes juris civilis haberi coeperunt. Hujus autem generis pacta duo in jure nostro occurrent, constitutum sive conventionem, qua quis citra stipulationem constituit se solviturum, quod vel ipse, vel alius debet, *i. ff. & C de pecun. constit.* item conventione de pignore, *I. si tibi. 17. §. 2. ff. hoc tit.* ubi Jurisconsultus ait, de pignore jure honorario ex pacto actionem nasci, hoc nimis significans, jure prætorio etiam nuda conventione pignus obligari, creditorique constitui jus in re, *I. i. ff. de pign. act.* ac pro re ita persequenda etiam actionem creditori editio propositam esse, actionem videlicet in rem, Servianam vel quasi Servianam sive hypothecariam, *§. item Serviana. 7. Inst. de action.*

8. Posterioris generis pacta legitima, quibus scilicet ipso jure obligatio & actio tollitur, sunt, ne furti, ne injuriarum agatur, *I. si tibi. 17. §. 1. I. si unus. 27. §. 2. vers. sed si pactum. & §. 41 ff. hoc tit.* quippe quæ pacta lex duodecim tabularum confirmat, dum de furto deque injuriis pacifici expresse permittit, *I. 7. §. si pacificare. 14. in fin. ff. eod.* Gell. lib. 20. c. 1. Non obstat, quod de furto & injuriis pacti infames fieri

dicuntur, *I. 4. §. ult. de his qui not. infam.* Nam hoc de eo casu accipiendum est, quo quis pacificatur, postquam jam res deducta est in jus ad prætorem; quoniam ille crimen confiteri intelligitur, ut mox subjicitur ex Paulo *I. 5. d. r.* utique si cum pretio quantocunque pactus sit, *d. I. 5. §. 3.* Nihil autem impedit, quominus actio ipso jure pacto tollatur, licet pactos sequatur infamia. Ad hoc posterius genus videntur etiam referri posse duas conventiones in contractu exemptionis & venditionis præcipue celebrari solitæ, additio in diem, & lex commissoria; utpote quæ & ipsæ ad hunc effectum jure civili confirmatae sunt, ut existente conditione conventionis contractus ipso jure resolvatur, etiam postquam res integra esse desit, secuta scilicet traditione, nisi aliud diserte placuerit, *I. 2. ff. de addit. in diem.* *I. i. l. 2. ff. de leg. commiss.*

9. Optime igitur Jurisconsultus Græcus responso *πώλει φράσαν συμφ.* Τέλος ιδιωτικῶν συμφωνῶν, inquit, πόλει φράσαν σύμβασιν, καὶ περιστοι καὶ απωρεῖσι δύναται, εἰ τὸ φέρει αὐτὸν συπιστωμένον νόμον ή πράξεισιν τὸν ποιάτινον ισχαῖ καὶ σύργειν, συσπιληστοι καὶ πράξεισιν οὐτε καὶ δότε φράσα συμφωνῶν πεπταὶ ἀγράν, καὶ λόγοι τοῦ ποιάτινον δύναται, ἀπό τοῦ λεγοτίου ποιευστήνες επικίνδυνοι. id est, *Pactorum privatorum quædam lege aliqua vel SCto confirmantur, que & actiones parviunt, & tollunt actiones;* atque hujusmodi vim ac potestatem acceperunt à legibus aut constitutionibus specialiter de ipsis promulgatis. Quo fit, ut interdum etiam ex nudo pacto actio nascatur, & ipso jure dissolvatur: quæ appellantur conventiones legitimæ. Cujusmodi autem hæ conventiones sint, mox declarat hujusmodi Σιμωνίους ὃν ἐπαγγελματικῶν πνεύματος φράσαν συμφωνῆσιν λαμβανεῖσιν τόκες ἀσπεργοῦσι τὴν τοῦ συνεργοῦ φύσιδαν, σύμφωνον, καὶ συπτέργον ἡ, πάκτει ἀγράν τοῦ Σιμωνίου. οὐδὲ καὶ δότε φράσα συμφωνῶν πόλει συμφέρει. καὶ αὖτε τὸ ίδει ποιεῖται. id est, cum alicui me daturum polliceor, & cum civitas pecuniam fœnori dans usuras sibi pacificetur, sicut & facta super pignore pactio, licet tacita sit, actionem Servianam gignit. Quin etiam donatio ex nudo pacto parit hodie condicitionem ex lege. Et iterum exempla preferens pactorum legitimorum, quibus ipso jure actio tollitur, oīr, inquit, τὸ ίδει συγκρίσει τὸν furti, καὶ τὸν injuriarum.

10. Stipulatio quoque legitima conventione est, quia contractus est juris civilis, a quo & formam accepit: nam cum sit conventione, *I. i. §. 3. hoc tit.* nec tamen conventione juris gentium, necesse est, aut manca sit

divisio Jurisconsulti in *I. 5. ff. eod.* aut cum ad conventiones juris gentium non possit, referatur ad legitimas. De acceptilatione idem judicium esto. Sed & literarum obligatio legitimam conventionem habet, nempe confirmatam constitutionibus. *Inft. de litter. oblig.* Cæterum in contractu literarum non ex nudo & simplici consensu oritur obligatio, sed ex literis, sicut in stipulatione & acceptilatione verbis contrahitur aut solvit, non consensu solo. Nimirum jus civile interdum robur addit conventionibus, adjiciendo certam formam, interdum simpliciter confirmando: & hujus posterioris generis conventiones proprie in usu juris legitimæ dici videntur, nempe quæ, ut supra dixi, manente simplici ac nuda conventionis forma speciali aliqua lege aut constitutione confirmantur; arg. *I. legitimæ. 6. hoc tit. ai. τὸν τρόπον πώς ἡ δημοσιαὶ ιδίας αὐτοφύει, ut Græci.*

## CAPUT V.

## De conventionibus nudis.

1. Nudæ conventionis definitio variis exemplis illustrata.
2. Eadem confirmata Græcorum auctoritate.
3. Pactum non definit esse nudum interveniente scriptura.
4. Interdum appellatione pacti nudi etiam alias conventiones comprehendendi.
5. Nudam conventionem passim in libris nostris appellari pactum simpliciter.
6. Pactum nudum non explicationis tantum causa dici, sed eriam discretionis.
7. Vox nudum quid hic significet.
8. Argumenta eorum, qui negant pactum nudum pacti esse speciem.
9. Confutatio argumenti primi.
10. Contradicentia esse, afferere pactum aliquod esse nudum, & negare id pactum esse.
11. Vocem nudus notam esse discretionis, non alienationis.
12. In pactorum materia nomine conventionis nunquam aliud significari, quam duorum aut plurium in idem consensum.
13. Nunquam significari conventionem aliquam oppositam pactioni.
14. Nusquam indefinite traditum ex pacto actionem nasci: sed contrarium, non nasci.
15. Apud Ulpianum *I. 7. §. 4. hoc tit. aliter legi in plerisque aliis codicibus, aliter in Florentino, cum examinatione utriusque lectionis, & vulgare interpretationis.*

16. Quid sit, placiti fine stare.
17. Pactum nudum etiam id, quod seruum; alias pauci nomen non mereri.
18. Remuneratoria arcani alicujus promulgatio.

**P**RIVATÆ juris gentium conventionis species sunt duæ, nuda una, altera non nuda, quam vestitam vulgo magistri juris appellant, & pactum vestitum, verbo magis, quam sensu inconcino. Divisio hæc fundata est in *I. juris gentium. 7. §. 1. 2. & 4. ff. h. t. I. si dominus. 8. I. solent. 15. ff. de praescr. verb. I. legem. 10. C. h. t.*

1. Nuda conventionis est, quæ in nudis platici finibus stat, nec certum nomen habens, nec ullam obligandi causam præter conventionem, dd. *II. I. si tibi. 27. Cod. de locat.* ut ecce, si inter nos convenerit, ut ego tibi Stichum dare, tu mihi Pamphilum; vel ut ego tibi darem equum, tu mihi tabulam pingeres; vel ut ego hanc partem hæreditatis nobis delatae obtinerem, tu illam; aut ut ego tibi meum, tu mihi tuum bovem commodares ad opus faciendum, &c. hæc conventiones & similes nudæ sunt & dicuntur: quia nec in aliud nomen transirent, nec in his ad conventionem alia causa obligandi, puta datio aut factum aliquod accedit; sed solo placiti fine stant.

2. Ad hunc eundem modum & Græci pacta nuda, quæ φιλά σύμφωνα vocant, definiti, nempe quæ neque eis ιδεῖσθαι μεταπέπονται οὐκέτι συναντέσθαι, οὐπέ τέ τε πεντέπτερα θύματα θύει. *responf.* τοῦ φιλ. σύμφ. & mox iterum *ibid.* γέρον τοῦ φιλον οι σύμφωνον, τὸ μη εἰς ιδεῖσθαι μεταπέπονται οὐκέτι συναντέσθαι, τὸ μὴ τοῦ αὐτῆς φύσεις ισχεῖν, οὐπαρθένος, πεπτον δόσεως ή πεινοντος ιππή θύει η ποιεῖ. Nudum pactum est, quod non transit in proprium nomen contractus, quod in eodem genere non stat dato prius aliquo vel facto, ut detur vel fiat, &c. apud Harmonopolium lib. 1. tit. 9. *αἱ φιλ. σύμφ. λοιπα μη συναντέσθαι δύσται, οὐκέ μόνον οὐσῆι ιππή δόση.* Cum non præcesserit datio, sed tantum de dando convenerit.

3. Et quamvis igitur scriptura interveniret, non ob id tamē nudum pactum esse definit, arg. *I. 7. §. quod fere. 12. ff. hoc tit.* quippe scriptura vim pacti mutare non potest, cum non sit causa obligandi, sed duntaxat probationis gratia adhibetur, *I. 4. ff. de instrum.* hoc etiam D. Salmas. ubi sup. c. 12. Quod si talis conventio lege vel senatusconsulto adjuvetur, jam quidem suo sensu non amplius nuda est, sed cum sit conventio legitima, *I. legitima. ff. hoc tit.* Cæterum etiam hujusmodi pacta nuda

appellari solent, respectu scilicet simplicis formæ conventionis, & ad differentiam stipulationis, *l. etiam. 30. ff. de usur. l. frum. 12. Cod. eod. titul.* quanquam huc non pertinet.

4. Illud obiter hic monendum, interdum appellatione nudi pacti plus comprehendendi, & nimur alias quoque conventiones; id quod ex adjuncto & comparatione rei cui pactum opponitur, facile intelligi poterit, puta si opponatur non conversioni diversæ, sed traditioni: nunc enim complectitur conventiones omnes, quæ nuda sunt à traditione, etiam si alias nudi placiti terminos egrediantur, *l. traditionib. 20. Cod. hoc tit. l. qua ratione 9. §. interdum. 5. ff. de acq. rer. dom.*

5. Nuda convention, quæ & nuda pactio & pactum nudum, sæpe etiam in libris Juris nostri pactum simpliciter appellatur, *l. juris gentium. 7. §. quinimo. 4. & seqq. ff. hoc tit. l. legem. 10. Cod. eod. l. solent. 15. ff. de præscr. verb. l. si tibi. 27. C. de locat. l. 1. Cod. de pacl. conv. tam sup. dor. l. 5. §. 2. de solut. l. 5. C. de contr. stipul.* Ex quibus locis appareat idem valere, ex pacto actionem non nasci, atque ex nudo pacto non nasci. Neque tamen ideo assentendum Cujacio ad *l. 1. ff. hoc tit.* aut Wesemb. parat. eod. qui contendunt, pactiōnem nunquam nudam dici *χωρητικόν*, sed pactum omne, ut nudum est, ita etiam sic appellari suo perpetuo epitheto, explicationis causa, non distinctionis, quasi esset aliquod pactum nudo oppositum, & vestitum: nam quod nudum pactum etiam simpliciter pactum appellatur, id sit more Jurisconsultis usitato, quibus familiare est, idem nomen nunc in genere, nunc in specie usurpare; aperteque refelluntur Cujacius & Wesembecius verbis *d. l. solent. 15. ff. de præscr. verb.* ubi Ulpianus ex proposita conventione actionem oriri ait, quia non sit nuda, ne quis dicat ex pacto actionem non nasci, item *d. l. legem. 10. Cod. hoc tit.* quo loco Imperator, quod dici solet ex pacto actionem non nasci, id tunc obtinere rescribit, cum pactum nudum est. Unde profecto plus quam manifestum est, pactum nudum non tantum explicationis causa dici, verum etiam discretionis gratia, quod quædam pacta sint non nuda, quæ docendi causa interpres vulgo appellant vestita, non tam inepto sensu, quam nomine: nec tamen nomine prorsus inepto.

6. Nudum autem hic minime vox est alienans, ut quidam ausi sunt afferere sine ulla auctoritate & contra perpetuum usum juris & omnium scriptorum, sed nudum dicitur

per translationem solum & simplex quod tantum pactum sit, nihil amplius, atque ut Imperatores loquuntur in *l. si tibi. 27. Cod. de locat.* quod nudo fine placiti stat; unde & solum pactum dicitur, *l. major annis. 23. Cod. de pign.* Similis translatio est, cum nudum contensum, nudam proprietatem, nudam notionem, nudam rationem, voluntatem, cogitationem, &c. dicimus. Sic nuda veritas, simplex, nullis velata coloribus φυλοὶ λαγῆς apud Aristotelem 3. Rethor. oratio prosa & soluta, quasi nuda ornamentis, minimeque conveftita, & apud Demothenem κατ' αφεβά, φυλὸς λαγῷ opponitur ἵκαπεσκόδω, oratio nuda ornata vestitu apud Ciceronem lib. de clar. orat. Quamobrem cum de re conflet, hoc est, esse quædam pacta nuda, quædam contra non nuda, futile sit de nomine item mouere & offendit verbo *vestiti*, quo Doctores dendri gratia utuntur, ut a nudo pacto distinguant, quod nudum non est. Denique tantum non mera nugæ sunt, quæ superiori distinctione objiciuntur, veluti quod non quia medici morbos quosdam acutos vocant, ideo alii sint obtusi: ut enim ita non appellantur, sunt tamen quidam morbi non acuti, aut acutis oppositi, quocunque tandem nomine eos appelles. Illum sane non acutum, sed obtulū fuisse necesse est, qui in publica disputatione interrogatus a Duarenō, cur non item cogitationem partiretur in nudam & vestitam, illico obmutuisse dicitur. Quoniam vero sunt, qui hanc pacti in nudam & vestitam distributionem ex alia parte vellicant, quasi pactum nudum seu pactio aut conventione nuda non sit species pacti aut conventionis, cui proinde nec pactiōnis definitio conveniat, etiam adversus eos supra dicta distributione munienda ac stabilienda est. Quanquam autem tam portentosa opinio satis folide nuper ab incerto quodam auctore confutata est; tamen quia id adversariis ejus minime videtur, objicientibus ei, quod quædam similitudine præterierit, quia nihil ad ea potuerit respondere, aut quia argumenta eorum solvere non potuit, ea commento eludere; quædam etiam ab iis esse dicta, quæ a nemine unquam audiverit; credo quia sacris nondum initiatus erat, cui proinde mysteria aperire nefas: denique quia non satis bona fide cum eo agunt, è re erit ex integro causam istam hic tractari. Defendit auctor ille omnium æstatum interpretationem sententiam contra novitium commentum, idque sine ulla calumnia, sine contumelia, sine ullo convictio, sale tantum aliquo asperlo, sine quo quicquid in hujusmodi concerta-

tionibus scribitur, fatuum est. Illi vero inveniuntur in hominem insontem, tanquam quem agitaverit genius ex calumniandi & conviriandi libidine, cui os sine fratre, & cuius virus ipsa virtus provocet. Non sunt hæc *άγαθα διανοίας*. Sed mittam ista, ipsamque rem aggrediar suscepta causa assumptaque persona tam indigne accepti mortalis, per cuius latus quinam petantur, sunt qui putant se non ignorare.

8. Cur igitur nudum pactum aut nuda conventionis non est species pacti aut conventionis? Quoniam ajunt 1. Quicquid prædicatur de genere, id etiam prædicatur de quavis ejus specie: de pacto autem prædicatur, quod actionem pariat, de pacto nudo non item. 2. Quia conventionis nuda dicitur, cui nulla subiecta causa propter conventionem, & quæ nudo placiti sine stat. Ex quo inferunt pactum nudum non posse dici duorum vel plurium in idem placitum consensum, nullaque pacta proprie nuda dici, quæ deliberato animo hant, quippe quibus omnibus subiecta causa propter conventionem: per causam autem intelligunt eam causam, quæ pacientes movit ad conveniendum. Hic ego cum incerto illo auctore, cuius personam nunc gero, tot esse puto errores, quot ferme verba.

9. Nam 1. pactum nudum & non nudum disterte in jure nostro, ut diversæ pactorum & conventionum species distinguuntur, & inter se opponuntur. Respondent illi, hoc ipsum sententiam suam omnino confirmare: nam si pactum, ajunt, à pacto nudo distinguatur, ut una species ab alia, non potest pactum nudum dici species pacti, non magis quam homo species bruti, aut brutum hominis. Ecce qua fide hic agant. Nos dicimus pactum nudum & non nudum diversas esse pacti species, pacto, ut generi, subjectas: illi lectoribus imponunt, quasi dixissimus, pactum & pactum nudum species esse oppositas: unde mox captant occasionem ostendendi, quam rudes paramque versati simus in arte differendi.

10. 2. Contradicentia sunt; asserere pactum aliquod esse nudum, & negare id esse pactum. Etenim contradicatio hic est in adjecto, sive oppositum in apposito. Utique enim juxta regulam Logicorum ab est tertii adjecti ad est secundi adjecti valeat consequentia affirmando, v. c. ille est nudus homo, ergo est homo; illa est nuda oratio, ergo est oratio. Expludit M. Tullius Atticum dicentem mortuos esse miserios, & negantem tamen mortuos esse. Quis non etiam explodat eos, qui negent nudum assensum, nudam approbationem, nudam

vocem, nudam voluntatem, nudum consensum, &c. esse assensum, approbationem, vocem, voluntatem, consentum? Sed ajunt non eundem esse tropum in voce *nudus* adjecta rebus ceteris, qui est in eadem voce addita pacto aut conventioni: nimirum quia tum vox ista non tantum restringens, sed etiam alienans sit; idque ex eo probant, quod definitio pacti sive conventionis nudo pacto sive conventioni nudæ non conveniat. Atqui hoc perinde est, ac si dicenter, orandum est pro mortuis, quia sunt in purgatorio. Nam pro argumento & antecedenti sumunt, & sibi concedi postulant *τὸ οὐκείσης* id quod est in quæstione; quæ manifesta captio est: hoc enim inter nos est controversum, an pacti definitio etiam nudo pacto conveniat, quod illi solli negant, ceteri omnes affirmant. Similis petitio principii est, cum ajunt ideo pactum nudum pactum non esse, quia non habet causam; quoniam causam intelligunt, ut ipsi interpretantur, quæ impunit ad conventionem ineundam; hic enim iterum, quod maximum vitium est in disserendo, sumunt *αμφισβήτησεσ* *από της θεωρίας*. Nam talem causam etiam pacta, quæ veteribus proprie nuda dicuntur, habere ceteri fere consentiunt. Sed de hoc fusus infra.

11. Quia vero auctoritate freti audent dicere vocem illam *nudus* adjectam pacto esse alienantem, cum alias semper sit discernens? Velim mihi proferant locum aliquem ex ullo idoneo scriptore, ubi vox ita significet *αντιστοίχιος*, alienationem subiecti, cui adjungitur aut attribuitur. Est quidem vox *σύντηξης*, significans privationem aliquius rei, quæ alias subiecto attribuitur aut attribui potest; & sic etiam hic significat privationem causæ, quæ alias ad conventionem accedens pactum velliret; at nunquam est *αντιστοίχιος* *φθεγγός* & *ταπετηθός*, ut significet ademptionem aut corruptionem subiecti, cui attribuitur aut adjungitur.

12. Sed enim conventionis, inquit, bifurciam sumitur, primo in genere pro tractatu inter duos vel plures habito, quo aliiquid agitur vel fit; quo significatu etiam nudum pactum species sit conventionis: deinde in specie pro duorum vel plurium in idem placitum consensu, & ita pro tractatu, quo aliiquid agitur vel fit, quod statim firmum ac efficax est, nisi quid aliud impedit; qua notione conventionis, ut species conventionis in genere acceptæ opponatur pacto nudo. Quippe novum non esse ajunt in jure, ut unum idemque verbum & in genere & in specie sumatur, exemplo

esse nomina adoptionis , cognationis &c. Evidem scio vocem conventionis esse ~~adoptionis~~ , nam & conventum hominum , coitionem , concionem , adlocutionem , interpellationem , &c. significat : sed in argumento de pactis unam duntaxat ; eamque generalem & perpetuam significationem habet , eandem videlicet , quam pactio , aut pactum ~~adoptionis~~ acceptum , denotatque semper duorum aut plurium in idem placitum consensum , I. 1. §. 2. & 3. ff. hoc tit. Concedunt quidem illi conventionem significare duorum vel plurium in idem consensum , sed addunt , cum pro pacto & pactione usurparur : sed ostendant id verbis aliter usurpiam usurpari in pactorum materia. De pacto idem non dicunt , quia prior illa significatio pacto non convenit : attamen facti debent , velint nolint , cum pactum nudum opponitur pacto non nudo , pacti verbo in genere sumpto etiam pactum nudum , tanquam speciem contineri ; ac proinde etiam speciem esse conventionis significatione posteriore , plurimumque in idem placitum & consensum : aut si non est , ne nudum quidem pactum dici potest , non magis , quam simia nudus homo.

13. Illud quoque me non latet , verba adoptionis , cognationis , aliaque nonnulla in jure nostro interdum generis nomina esse , interdum speciei , quod etiam occurrit in verbo *pactum* , quo & in genere pactum quodlibet , & in specie pactum nudum significatur , veluti cum dicitur ex pacto non nasci actionem : sed idem non contingit verbo conventionis. Ubi enim conventionis verbum usurpatur in specie pro conventione aliqua opposita pacto ? Generale esse hoc verbum legimus , & ad omnia pertinere de quibus negotii contrahendi transfigendique causa consentiunt , qui inter se agunt , I. 1. §. 3. ff. hoc tit. nusquam ad speciem aliquam conventionis ; quæ pactum non sit , contrahitur : Adoptio & cognatio cum sint nomina generis & speciei , recte dividuntur , illa in adrogationem & adoptionem , hæc in agnationem & cognationem in specie dictam ; estque hec divisio rei , & generis in species. At si quis conventionem dividat in pactum & non pactum , quid hoc monstri erit ? Quis non exhibeat eum , qui pactum ita partiatur , ut dicat , pactum aliud est conventum , aliud fixum ? aut qui jus distribuat in liquorem & legem ? Non sunt hujusmodi ~~adrogationes~~ , distributiones rerum , aut generis in species ; sed vocabuli æquivoci distinctiones in sua æquovata.

14. Sed neque captione caret , quod ajunt

de conventionibus & pactis prædicati , quod actionem pariant : nusquam enim hoc indefinite traditum ; sed quod quædam conventiones actionem pariant , & nimirum quæ vel in proprium nomen contractus transeunt , vel quæ accedente causa in speciem ~~conventionis~~ cadunt , I. *juris gentium*. 7. pr. §. 1. & 2. hoc tit. ex cæteris exprelle negant juris nostri conditores actionem nasci , nisi vel specialiter confirmata sint , I. 6. 1. s. tibi . §. 2. eod. vel contractui bona fidei in continentia adjecta , d. I. 7. §. quinimo. §. eod. At contra non uno loco traditum est , ex pacto actionem non nasci. Respondent adversarii loca ista accipienda esse de pacto nudo. Fatemur : sed tamen utique de pacto id est , plurimum in idem placito & consensu. Quod si hoc non concedant , jam iterum incidunt in vitium ipsis familiare , pro argumento assumentes *κατεύθυνσις* & veteres juris auctores pro fungis habent , qui simpliciter & absolute pactum appellant , quod pactum non sit , dixerintque ex pacto non nasci actionem , cum hoc significare voluerint , ex non pacto actionem non nasci.

15. Sæpe inculcant , quod nudum pactum sit , cui nulla subest causa propter conventionem , I. 7. §. sed cum nulla . 4. ff. h. t. Cum autem ista locutio nullum omnino idoneum sensum habeat ( quis enim ita unquam locutus est , conventioni nulla subest causa propter conventionem , & quid hoc significat ? ) illi tamen hunc , si diis placet , sensum verba ista habere dicunt , cum nihil omnino subest , ex quo qui convenirent , moveri potuerint , ut convenienter : quanquam non videntur diffiteri , potuisse hoc exprimi elegantius. Nimis necesse est vitiosos eum habere oculos , qui in lucem perspicua caligat. Constat utique duplarem apud Ulpianum in d. I. 7. §. sed cum nulla . hoc tit. occurrere lectionem : in plerisque codicibus legi hoc modo , Sed cum nulla subest causa , præter conventionem , hic constat non posse constitui obligationem. In codice Florentino sic , Sed cum nulla subest causa propter conventionem , hic constat non posse constitui obligationem. Cum vero nullæ sint omnino in Pandectarum Florentinarum archetypo distinctiones , nulla punctorum noratio , nulla dictiorum intervalla , referente hoc inter alios Angelo Politiano teste oculato misc. 41. ac proinde ponere nobis ea , si docet ratio , & posita undecunque expungere liberum fit , auctore Augustino lib. 1. emend. 2. qu. 8. si quis lectionem Florentinam urgeat , cum eo tantum mihi lis erit de verborum interpu-

etione. Gothofredus & Pacius lectionem exemplaris Florentini secuti ita locum interpusserunt, Sed cum nulla subest causa propter conventionem, hic conflat, &c. relata, ut verosimile est, per negligentiam nota distinctionis eo loco, ubi in aliis codicibus posita est, in quibus non propter, sed præter legitur: nam & in margine hoc notant alias legi *præter*. Franciscus autem Taurellus & Ludov. Charondas, quod & sermonis ratio, & mens atque sententia Jurisconsulti exigebat, locum sic interputatum ediderunt, Sed cum nuda subest causa, propter conventionem hic constat non posse constitui obligationem. Sive autem legas *præter* sive *propter*, commate ante hanc particulam posito, plana erit & recta oratio, eademque Jurisconsulti sententia, nimurum hæc, cum conventioni nulla alia obligandi causa subest præter conventionem, propter conventionem solam non constitui obligationem: quod & prorsus evincitur ex tota disputatione Jurisconsulti. Ceterum & hic effugium eis paratum video: Nam dicent haud dubie tunc conventionem apud Ulpianum d. loco non significare pactionem sive plurium in idem placitum consensum; sed nescio quid aliud, quod non sit pactum, nisi ~~xxxviii~~ ~~xxviii~~ ~~xxvii~~.

16. Largimur ultro pactum nudum esse conventionem, que placiti sine stat: sic enim definitur, l. 27. C. de locat. At quid hoc est sine placiti stare? Opinor fines & terminos placiti non egredi, nihil esse amplius quam placitum: placitum tamen & conventionem seu pactionem, id est, duorum vel plurium in idem consensum, aut quod duobus vel pluribus dari vel fieri placuit: hæc enim esse ~~intendit~~, infinitis locis ostendi potest, l. vix certis, 53. ff. de judic. l. 4. ff. de servit. l. si filia. 20. §. 3. ff. famili. ercisc. l. si divisionem. 15. C. eod. l. si plus. ff. de evict. l. divisionis. 55. ff. hoc tit. l. 8. l. si pacto. 14. l. cum proponas. 21. l. si certis. 27. C. eod. l. 7. l. si diversa. 14. l. cum proponas. 17. l. si profundo Cod. de transact. l. pen. ff. eod. l. 3. l. 4. Cod. de rer. permitt. Sic ex converso placitum usque ad pactum state dicitur, cum traditio secuta non est, d. l. si divisionem. C. fam. ercisc.

17. Cum igitur nudum pactum sit conventionis, qua quid dari aut fieri inter plures placuit, licet placiti fines non excedat: tamen re vera & proprie tam pactum est, quam quod vestitum DD. appellant, pactique definitio non minus pacto nudo, quam vestito competit. Nudum vero nihilominus erit, etiamsi deliberato animo initum sit, deque eo constet, ut in specie

l. si certis. 28. hoc titul. ubi ex temporaria illa præstantione satis apparet seriam fuisse promittentis voluntatem. Denique temerariæ, inconsultæ, joculatoriæ aut similitate, aulicæ, & officiosæ adulatiois promissiones ne nomen quidem pacti merentur.

18. Bearunt illi auctorem incertum revelatione ingentis mysterii, cum eum docuerunt, qua in re pollicitatio a voto, utrumque a pacto differat; æquum igitur est, ut eos paris alicujus arcani promulgatione remuneretur. Nuper ille, cum Eleusinem reviseret, ex phano legiferæ Cereris hæc reportavit, latere in illo Virgilii, Ipse pater famulam voveo &c. nescio quid occultioris doctrinæ, & quod argumento sit eum juris fuisse peritisimum. Nam etsi votum species est pollicitationis, quam ob causam summus juris antistes sub titulo *de pollicitationibus* etiam de votis tractaverit (quod forte illi a nemine audiverunt) illud tamen in voto præcipuum esse, quod soli patres-fam, ex eo obligentur tanquam actu solenni: filius autem familias aut servus sine patris domi*q*ue auctoritate non obligentur. Ecce igitur quam recte & rationi juris convenienter Poëta. Ille vero redux vora Cerei nuncupata solvit faciens bienni verre. Hæc pro incerto illo auctore; cuius defensionem & patrocinium non tam ideo suscepit, quia me eum esse, & per latus illius me palam peti quidam suspicantur, quam veritatis tuendæ gratia.

## C A P U T VI.

## De vi nudarum conventionum.

1. Ex nudo pacto, quamvis serio, jure nostro actionem non nasci multis argumentis ostenditur.
2. Respondetur objectioni sumptæ ex l. 1. pr. hoc tit.
3. Jus civile Romanorum quibusdam conventionibus vim coactricem detrahit, & quare.
4. Multa civiliter iusta, quæ naturaliter iniqua, si ex meritis juris naturæ preceptis astimentur.
5. Exponitur l. cum mota 6. Cod. de transact.
6. Declaratio. l. solent 15. de præscript. verbis.
7. Declaratur locus obscurus in l. 3. §. quinto. 4. de condic. caus. dat. & occurritur objectioni ex eodem loco sumptæ.

## T R A C T A T U S

esse nomina adoptionis , cognationis &c. Evidem scio vocem conventionis esse ~~adoptionis~~ , nam & conventum hominum , coitionem , concionem , adlocutionem , interpellationem , &c. significat : sed in argu-  
mento de pactis unam duntaxat ; eamque  
generalem & perpetuam significationem ha-  
bet , eandem videlicet , quam pactio , aut  
pactum ~~accipit~~ acceptum , denotatque sem-  
per duorum aut plurium in idem placitum  
consensum , l. 1. §. 2. & 3. ff. hoc tit. Con-  
cedunt quidem illi conventionem significare  
duorum vel plurium in idem consensum ,  
sed addunt , cum pro pacto & pactione  
usurparur : sed ostendant id verbis aliter us-  
piam usurpari in pactorum materia. De  
pacto idem non dicunt , quia prior illa  
significatio pacto non convenit : attamen  
fateri debent , velint nolint , cum pactum  
nudum opponitur pacto non nudo , pacti  
verbo in genere sumpto etiam pactum nu-  
dum , tanquam speciem contineri ; ac pro-  
inde etiam speciem esse conventionis signi-  
ficatione posteriore , plurimumque in idem  
placitum & consensum : aut si non est , ne  
nudum quidem pactum dici potest , non  
magis , quam simia nudus homo.

13. Illud quoque me non latet , verba  
adoptionis , cognationis , aliaque nonnulla  
in jure nostro interdum generis nomina es-  
se , interdum speciei , quod etiam occurrit  
in verbo *pactum* , quo & in genere pactum  
quodlibet , & in specie pactum nudum si-  
gnificatur , veluti cum dicitur ex pacto non  
nasci actionem : sed idem non contingit  
verbo conventionis. Ubi enim conventionis  
verbum usurpatur in specie pro conventione  
aliqua opposita pacto ? Generale esse hoc  
verbum legimus , & ad omnia pertinere  
de quibus negotiis contrahendi transfigendi-  
que causa consentiunt , qui inter se agunt ,  
l. 1. §. 3. ff. hoc tit. nusquam ad speciem  
aliquam conventionis ; quæ pactum non sit ,  
contrahitur : Adoptio & cognatio cum sint  
nomina generis & speciei , recte dividun-  
tur , illa in adrogationem & adoptionem ,  
hæc in agnationem & cognitionem in spe-  
cie dictam ; estque hæc divisio rei , & ge-  
neris in species. At si quis conventionem  
dividat in pactum & non pactum , quid  
hoc monstrum erit ? Quis non exhibeat eum ,  
qui pactum ita partiatur , ut dicat , pa-  
ctum aliud est conventum , aliud fixum ?  
aut qui jus distribuat in liquorem & le-  
gem ? Non sunt hujusmodi ~~distinctiones~~ , distri-  
butiones rerum , aut generis in species ; sed  
vocabuli æquivoci distinctiones in sua æqui-  
vocata.

14. Sed neque captione caret , quod ajunt

de conventionibus & pactis prædicari , quod  
actionem pariant : nusquam enim hoc inde-  
finite traditum ; sed quod quedam conven-  
tiones actionem pariant , & nimirum que  
vel in proprium nomen contractus transeunt ,  
vel quæ accidente causa in speciem ~~conven-~~  
~~tiones~~ cadunt , l. *juris gentium*. 7. pr.  
§. 1. & 2. hoc tit. ex cæteris expresse ne-  
gant juris nostri conditores actionem nasci ,  
nisi vel specialiter confirmata sint , l. 6. l. *si*  
*tibi*. §. 2. eod. vel contractui bona fidei in  
continenti adjecta , d. l. 7. §. *quinimo*. 5.  
eod. At contra non uno loco traditum est ,  
ex pacto actionem non nasci. Respondent  
adversarii loca ista accipienda esse de pa-  
cto nudo. Fatemur : sed tamen utique de  
pacto id est , plurium in idem placito &  
consensu. Quod si hoc non concedant ,  
jam iterum incident in vitium ipsis famili-  
iare , pro argumento assumentes *την τινας*  
*επιστημην* : & veteres juris auctores pro-  
fungis habent , qui simpliciter & absolute  
pactum appellant , quod pactum non sit ,  
dixerintque ex pacto non nasci actionem ,  
cum hoc significare voluerint , ex non pa-  
cto actionem non nasci.

15. Sæpe inculcant , quod nudum pactum  
sit , cui nulla subest causa propter conven-  
tionem , l. 7. §. sed cum nulla. 4. ff. h. t. Cum  
autem ista locutio nullum omnino idoneum  
sensum habeat ( quis enim ita unquam lo-  
curus est , conventioni nulla subest causa  
propter conventionem , & quid hoc signi-  
ficat ? ) illi tamen hunc , si diis placet ,  
sensum verba ita habere dicunt , cum ni-  
hil omnino subest , ex quo qui conveni-  
runt , moveri potuissent , ut convenienter :  
quanquam non videntur diffiteri , potuisse  
hoc exprimi elegantius. Nimirum necesse est  
vitiosos eum habere oculos , qui in luce  
tam perspicua caligat. Constat utique du-  
plicem apud Ulpianum in d. l. 7. §. sed cum  
nulla. hoc tit. occurrere lectionem : in ple-  
risque codicibus legi hoc modo , sed cum  
nulla subest causa , præter conventionem , hic  
constat non posse constitui obligationem. In  
codice Florentino sic , Sed cum nulla subest  
causa propter conventionem , hic constat non  
posse constitui obligationem. Cum vero nul-  
la sint omnino in Pandectarum Florentina-  
rum archetypo distinctiones , nulla puncto-  
rum notatio , nulla dictiorum intervalla ,  
referente hoc inter alias Angelo Poliziano  
teste oculato mfo. 41. ac proinde ponere  
nobis ea , si docet ratio , & posita unde-  
cunque expungere liberum sit , auctore Au-  
gustino lib. 1. emend. 2. qu. 8. si quis le-  
ctionem Florentinam urgeat , cum eo tan-  
tum mihi lis erit de verborum interpun-

ctione. Gothofredus & Pacius lectionem exemplaris Florentini fecuti ita locum interpunxerunt, Sed cum nulla subest causa propter conventionem, hic conflat, &c. relata, ut verosimile est, per negligentiam nota distinctionis eo loco, ubi in aliis codicibus posita est, in quibus non propter, sed præter legitur: nam & in margine hoc notant alias legi præter. Franciscus autem Taurellus & Ludov. Charondas, quod & sermonis ratio, & mens atque sententia Jurisconsulti exigebat, locum sic interpunctum ediderunt, Sed cum nuda subest causa, propter conventionem hic conflat non posse constitui obligationem. Sive autem legas præter sive propter, commate ante hanc particulam posito, plana erit & recta oratio, eademque Jurisconsulti sententia, nimirum hæc, cum conventioni nulla alia obligandi causa subest præter conventionem, propter conventionem solam non constitui obligationem: quod & proflus evincitur ex tota disputatione Jurisconsulti. Ceterum & hic effugium eis paratum video: Nam dicent haud dubie tunc conventionem apud Ulpianum d. loco non significare pactionem sive plurimum in idem placitum consensum; sed nescio quid aliud, quod non sit pactum, nisi ~~xxxvii~~ ~~xxxviii~~.

16. Largimur ultro pactum nudum esse conventionem, quæ placiti fine stat: sic enim definitur, l. 27. C. de locat. At quid hoc est fine placiti stare? Opinor fines & terminos placiti non egredi, nihil esse amplius quam placitum: placitum tamen & conventionem seu pactionem, id est, duorum vel plurimum in idem consensum, aut quod duobus vel pluribus dari vel fieri placuit: hæc enim esse ~~lendit~~, infinitis locis ostendi potest, l. vix certis. 53. ff. de judic. l. 4. ff. de servit. l. si filia. 20. §. 3. ff. famili. ercisc. l. si divisionem. 15. C. eod. l. si plus. ff. de evict. l. divisionis. 55. ff. hoc tit. l. 8. l. si pacto. 14. l. cum proponas. 21. l. si certis. 27. C. eod. l. 7. l. si diversa. 14. l. cum proponas. 17. l. si profundo Cod. de transact. l. pen. ff. eod. l. 3. l. 4. Cod. de rev. permitt. Sic ex converso placitum usque ad pactum stare dicunt, cum traditio secuta non est, d. l. si divisionem. C. fam. ercisc.

17. Cum igitur nudum pactum sit conventionio, quæ quid dari aut fieri inter plures placuit, licet placiti fines non excedat: tamen re vera & proprie tam pactum est, quam quod vestitum DD. appellant, pactione definitio non minus pacto nudo, quam vestito competit. Nudum vero nihilominus erit, etiam si deliberato animo initum sit, deque eo constet, ut in specie

l. si certis. 28. hoc titul. ubi ex temporaria illa præstantione satis apparet seriam fuisse promittentis voluntatem. Denique temeraria, inconsulta, joculariora aut simulata, aulicæ, & officiosæ adulatiois promissiones ne nomen quidem pacti merentur.

18. Bearunt illi auctorem incertum revelatione ingentis mysterii, cum eum docuerunt, qua in re pollicitatio a voto, utrumque a pacto differat; æquum igitur est, ut eos paris alicujus arcanti promulgatione remuneretur. Nuper ille, cum Eleusinem reviseret, ex phano legiferæ Cereris hæc reportavit, latere in illo Virgilii, Ipse pater famulam voveo &c. nescio quid occultioris doctrina, & quod argumento sit eum juris fuisse peritisimum. Nam etsi votum species est pollicitationis, quam ob causam summus juris antistes sub titulo de pollicitationibus etiam de votis tractaverit (quod forte illi a nemine audiverunt) illud tamen in voto præcipuum esse, quod soli patres fam. ex eo obligentur tanquam actu solenni: filius autem familias aut servus sine patris domivative auctoritate non obligentur. Ecce igitur quam recte & rationi juris convenienter Poëta. Ille vero redux vota Cerei nuncupata solvit faciens bienni verre. Hæc pro certo illo auctore; cuius defensionem & patrocinium non tam ideo suscepit, quia me eum esse, & per latus illius me palam peti quidam suspicuntur, quam veritatis tuendæ gratia.

## C A P U T V I.

## De vi nudarum conventionum.

1. Ex nudo pacto, quamvis serio, jure nostro actionem non nasci multis argumentis ostenditur.
2. Respondetur objectioni sumptæ ex l. 1. pr. hoc tit.
3. Jus civile Romanorum quibusdam conventionibus vim coercitivam detraxit, & quare.
4. Multa civiliter iusta, quæ naturaliter iniqua, si ex meritis juris naturæ praecipitis astimentur.
5. Exponitur l. cum mota 6. Cod. de transact.
6. Declaratio. l. solent 15. de præscript. verbis.
7. Declaretur locus obscurus in l. 3. §. quinto. 4. de condic. cauf. dat. & occurritur objectioni ex eodem loco sumptæ.

8. Si ex pacto darstur actio, cum constat de animo deliberato, etiam quando de eo non constat, danda esset.

1. **N**UDA conventionis seu pactum nudum, quamvis serium, eam vim obligandi jure civili Romanorum non habet ut ex eo actio detur. Ex nudo pacto, inquit Paulus, inter cives Romanos actio non nascitur. lib. 2. sent. tit. 14. & Imperatores in l. si tibi. 27. C. de loc. si conventio, inquiunt, placiti fine stetit, ex nudo pacto perspicis actionem iure nostro nasci non posse. Seneca lib. 5. de benefic. c. 10. de lege civili & promissione non solenniter facta loquens, Quæ lex, inquit, ad id præstandum nos, quod alicui promissimus, obligat. Denique nihil in libris nostris est vulgatus hac juris regula, ex conventione, ex pactione nuda, ex nudo pacto, ex pacto actionem non nasci. l. juris gentium. 7. §. sed cum nulla. 4. & seq. l. divisionis. 45. ff. hoc tit. l. solent. 15. ff. de præscr. verb. l. legem. 10. l. cum proponas. 21. l. si certis 18. Cod. hoc tit. l. sive apud. 28. C. de transact. l. 1. Cod. de pacti conv. tam sup. dot. l. 5. Cod. de inut. stipul. l. 2. C. de evict. l. 3. Cod. de rer. permitt. Et hinc est, quod passim indebitum vocetur, quod pacto promissum est. l. 5. §. 2. ff. de solut. l. si certis. 28. Cod. hoc tit. l. si non sortem. 26. pr. ff. de condic. indeb. & quod omnibus pactis stipulatio subjici debet, ut ex stipulatu actio nascatur, auctore Paulo lib. 2. sent. tit. 22. §. ult. Ex his jam luce meridiana clarius apparet, non omnem conventionem, non omne pactum, quantumvis serium, licitum & honestum, jure Romanorum obligacionem & actionem producere: nisi quis putet conventionem aut pactum nudum veteribus pactum esse jocularium aut lusorium, id est, conventionem aut pactum non esse; & cum veteres ajunt, ex pacto nudo, & simpliciter ex pacto actionem non nasci, hoc significare, ex non pacto non nasci actionem: quod quam ridiculum sit, nemo non vider. Tot locis, quot modo allegavi, proditum est, & proverbii vice olim jaustum, ut indicant Imperatores in l. legem. 10. Cod. hoc tit. ex pacto actionem non nasci: nullo autem juris loco traditum est, ex solo pacto licet justo, actionem nasci, nisi exceptive, aut addito interdum, & nimis tunc, cum vel speciatim iure civili aut prætorio ad efficacitatem obligandi confirmatum est, l. 6. l. si tibi. 17. §. 2. ff. hoc tit. l. 1. ff. de constit. pecun. vel contractui bonæ fidei in continentia adjectum l. juris gentium. 7. §. quinimo. 5. ff. l. in bona. 13. Cod. hoc tit. Quæ pacta etiam suo

sensu possunt dici non nuda. Quod si ex quovis serio pacto oriretur jure civili actio, cur prætor non alias ex pacto actionem de pecunia constituta dat, quam si constituitur, quod jam ante debitum fuerat? d. l. 2. ff. de pecun. constit. an quia propter debitum præcedens hic constat de deliberato animo? Quare igitur de aliis rebus contumioriam non dedit, quam quæ pondere, numero, mensura contant? l. 2. Cod. eod. tit. aut si causa subit constituatur, quid opus fuit prætorem ex sua jurisdictione actionem comparare, cum ex conventionibus, quibus subest causa, nascatur actio jure civili? l. 7. §. 2. ff. hoc tit. Denique quid tam insulsum, quam quod quidam, interrogati, si pactum quodlibet ad obligandum sit efficax, quid opus fuerit speciatim ex pacto donationis necessitate juris adstringere donatorem, quod primus fecerit Justinianus, respondent. constitutione Justiniani fingi donationi subesse causam, voluntatem sc. exercenda liberalitatis? Quasi vero Justinianus etiam ubi donandi animus abest, eum finxerit adesse; ac non potius quia donator voluntatem suam aperte ac verbis in praesens conceptis declaravit, eamque gratiam ac ratam habuit donatarius, jure civili quoque obstrictum esse voluerit, qui jure gentium se manifeste obstrinxerat. Imo omnis nudæ conventionis confirmatio hoc velut *aveneret* habet. fac. l. 1. §. 8. ff. de pecun. constit. Potremo si cujuslibet justi pacti ea vis esset jure civili, ut actionem pareret, etiam actionem, *καὶ τὸ αὐτὸν δικαῖον tolleret*, arg. l. 6. eod. junct. l. Arrianus. 47. de O. & A. l. prout. 80. l. Stichum. 95. §. 4. ff. de solut. quod tamen secus esse constat. Hæc tam aperta & clara sunt, ut qui contra disputant, non tam de veritate juris, quam de potestate conditoris disputare videantur, quasi ille ira meris juris gentium præceptis alligatus esset, ut nihil iis addere aut detrahere valeat. Videamus tamen, quæ in contrarium afferantur. Ajunt grave esse fidem fallere, nihilque tam congruum esse fidei humanae, quam placita servare. l. 1. ff. hoc tit. Fateor: est enim fides rerum humanarum coagulum sanctissimumque humani pectoris bonum. Unde Silius Italicus;

*Ante Jovem generata, decus divumque hominumque,*

*Qua sine non tellus pacem, non aqua norunt:*

*Justitiae consors, tacitumque in petto numen.*

2. Ceterum generalis illa definitio pertinet ad vim, quam omnes justæ conventiones & pacta habent jure gentium: quippe quo

quo jure etiam ex nudo pacto adstringimur ad prætandum id, quod pacto promissum est, propter naturalem scilicet obligationem, quæ ex pacto & fide data oritur: eoque pertinet illud Pauli in *I. cum amplius. 84. §. 1. ff. de reg. jur. Is natura debet, quem jure gentium dare oportet, cuius fidem sequi sumus.* Et quia haec obligatio conscientias hominum devincit, cum sit vinculum naturæ & æquitatis, *I. Stichum. 95. §. 4. ff. de solut.* sequitur ei etiam inesse moralem aliquam necessitatem, id quod Paulus in *d. I. 84. §. 1.* significat verbo *oportet*, & grave esse hic quoque fidem fallere, quamvis ponamus nullam hic esse respectu fori exterioris necessitatem.

3. Quanquam autem hoc ita est ex jure gentium, ut omnes honeste conventiones servari debeant: tamen jus civile Romanorum non æque cogit invitatos ad omnium conventionum observantiam, sed utilitatibus causa quibusdam conventionibus vim coactricem detraxit, ut hic sola pacientium fide staretur, ne si ex qualibet conventione actio & judicium in invitatos daretur, nimia litium oriretur multitudine: vel potius, quia Romani juris conditores honestius atque ad excitandum virtutis studium conducibilius existimaverunt, quædam relinquere hominum inter se spontaneæ fidei & probitati, quam omnia vinculis legum & obligationum necessitate adstringere. In necessitatibus enim nullus est virtuti locus, quæ ex libera potius voluntate ac bona fide pender, quam ex aliqua coactione, teste Aristotele *3. Ethic.* Quis enim laudabit eum, qui depositum reddidit, aut quod debebat, citra judicium solvit: Augustinus laudans factum Sancti Aurelii Episcopi Carthaginensis, quod reddidisset donatori ob liberos ei postea natos, quæ ille Ecclesiæ donaverat. *In potestate, inquit, habebat Episcopus non reddere, sed jure fori, non jure poli. c. ult. cauf. 17. quest. 4.* Nullam autem laudem meruisset Aurelius, si ad reddendum jure fori fuisset obstrictus. Atque hoc ipsum putato significare voluisse Ciceronem *lib. 2. de invent.* cum ait, *Patrum est, quod inter aliquos convenit, quod jam ita iustum putatur, ut juri præstare dicatur.* Cui simile illud apud Cornificium ad Herenn. *lib. 2. Paœta sunt, quæ sine legibus observantur, ex conventione, quæ juri præstare dicuntur.* quo haud dubie id significatur, paœta legibus ipsis justiora & præstantiora esse existimari, quoniam in his implendis atque observandis probitas cujusque & fides elucet; quæ bonis viris pro lege sit, & omni jure antiquior. Nimirum augusta innocentia est,

*Vinn. Tract. Varii.*

secundum leges bonum esse. Multa legem non habent, nec actionem. Quanto latius patet officiorum, quam juris regula? Quam multa pietas, humanitas, fides, liberalitas exigit, quæ extra tabulas sunt? Hæc Seneca *lib. 5. de benef.* Futile vero est, velle jus civile ad mera juris gentium præcepta exigere contra definitionem *I. 6. ff. de iustit. & jur. I. bona fide. 31. ff. de poss.*

4. Multa sunt civiliter iusta, quæ naturaliter iniqua, si ex meritis præceptis juris naturæ aut gentium astimentur, qualia literarum obligatio, usucatio, præscriptiones temporales. Sæpe etiam quid irritum facit jus civile quod naturaliter obligaret, verbi gratia, jure naturali seu gentium tenetur quisque reddere quod mutuo accepit: at jure civili excusantur filius famil. & minor 15. annis. Jure gentium unusquisque ex sponsione sua obligatur; jure civili excipitur mulier pro alio spondens. Itaque isti, licet naturaliter obligati sunt (non enim vel patria potestas, vel ætatis sexusque imbecillitas jure naturæ dissolvere possunt) tamen civiliter non tenentur. In materia successionum quam longe recedit lex 12. tabularum simplicitate juris gentium? Apud nos locatio prædiorum rusticorum efficax non est, nisi interveniente instrumento locationis. Imo nulla in civitate mero jure gentium vivitur, & vix ulla est, aut fuit, in qua longius ab eo jure recessum, quam in Romana, ut infinitis argumentis probari potest: quæ si cum aliis populis strictius jus gentium coluerit, id necessitatibus fuit, cessante videbilet legum Romanarum auctoritate. Et vero, ne tempus teram in removendis jejunis quibusdam objectiunculis, cur lege civili hoc constitui nequeat, ut non nisi sub certo modo ac forma obligatio, quæ quidem efficax sit ad agendum, ex consensu nascatur?

5. Objiciunt tamen & locos quosdam petitos è corpore juris, ex quibus colligunt, etiam jure Romano ex qualibet deliberata conventione actionem nasci. Loci sunt *I. cum mota. 6. Cod. de transact. I. solent. 15. ff. de prescr. verb. I. 3. §. 4. ff. de condit. ca. da. 9. legibus d. I. cum mota.* hic est. Mater à filio immerito exheredata aut præterita transagit cum scripto herede, adversum quem querelam moverat inofficiosi, hac lege, ut accepta certa parte bonorum, de quibus agebatur, à lite discederet. Ea prius quam quicquam acciperet, in eadem perseverans voluntate decessit. Cum portio promissa filii isdemque heredibus matris non præstaretur, quæsum est primo, possintne filii omissam à matre querelam reintegrare;

C

deinde si non possint, an non saltem aliud remedium iis paratum sit adversus placita non servantem. Ad prius respondet Imp. Alexander, omissam semel querelam instaurari ab heredibus matris non posse. Ad alterum, si stipulatio conventioni subdita fuerit, ex stipulatu actionem competere, aut si omissa sit verborum obligatio, tum actione prescriptis verbis diversam partem, ut promissa praestentur, posse conveniri. Igitur, inquit, quod transactionis causa promissum est, et si pacto tantum & citra stipulationem, id nihilominus peti potest, & competit eo nomine prescriptis verbis actio. Respondeo, non est in specie hic proposita pactum aut conventionio nuda, sed talis, quæ nudi placi- ti terminos egreditur, quippe cui accedit & alia obligandi causa propter conventionem, & quæ sic constituit contractum innominatum. Nam praeterquam quod matri transigenti pars bonorum promissa est, fecit etiam mater, ut eam partem acciperet. Promisit se à lite discessuram, quod & re implevit: morte enim sua & silentio sic finivit item de inofficio, ut ab heredibus ejus non possit instaurari. Ubi autem pactum, quamvis transactionis causa interpositum, intra terminos placi- ti constat, nulla ex eo jure nostro actio nascitur. *I. cum proponas.* 21. *Cod. de pacl.* *I. sive apud.* 28. *Cod. de transact.* Hotom. Don. post Gloss. & DD. comm. ad d. *I. cum mota.*

6. Alter locus, qui objicitur, est *I. solent.* 15. *de prescr. verb.* ubi ita Jurisconsultus: *Quod si solutum quidem nihil est, sed pactio intercessit ob indicium, hoc est, ut si indicasset, apprehensusque esset fugitivus, certum aliquid daretur, videamus, an possit agere.* Et quidem, inquit Jurisconsultus, ista conventione non est nuda, ut quis dicat ex pacto actionem non oriri: sed habet in se negotium aliquod: ergo, inquit, civilis actio oriri potest, id est, prescriptis verbis, &c. Igitur inquit, hic ex sola conventione & pacto conceditur actio, negaturque adeo conventionem eam nudam esse, quæ in se negotium aliquod habet. Atqui, inquam, Jurisconsultus expresse negat in specie à se proposita ex pacto, id est, ex solo pacto, actionem nasci; atque conventionem istam habere in se aliquid negotium, unde civilis oriatur actio. Per negotium ergo haud dubie intelligit causam aliquam accedentem ad conventionem, quæ sit fundamentum ~~conventionis~~ & actionis civilis, ut ipse hoc alibi explicat. *I. 7. §. 2. hoc tit.* atque in proposito factum seu indicium actoris præmium pro eo promissum petentis. Itaque cum ait Jurisconsultus, *videamus an possit*

*agere*, perinde hoc est, ac si dixisset, videamus an qui suscepit se indicaturum esse servum fugitivum, is postquam indicavit, pactum pro indicio præmium petere possit. Qua enim actione quove colore indicii mercedem quis petat, antequam indicavit? Nimurum Jurisconsultus actionem concedens supponit actorem, quod recepit impleuisse, quo subsecuto conventio definit esse nuda, & incipit in se habere negotium aliquod, quod ad conventionem accedens initium obligationi præbet, constitutique contractum innominatum. Neque ulla hic aut æquitas aut honestas vel naturalem ex jure gentium obligationem producit: imo contra obstat etiam ipsa hujus juris ratio. Sed & illi ipsi, qui hunc locum objiciunt, fatentur non ante ex hujusmodi conventione cum effectu agi posse, quam res secuta sit, licet obligatio statim nascatur: in quo tamen & ipso errant, cum hic desit fundatum obligationis, ut plene demonstrabatur c. 8.

7. Tertius locus est Ulpiani in *I. 3. §. quinimo. 4. ff. de cond. cauf. dat.* Verba hujus loci sunt: *Quinimo est nihil tibi dedi, ut manumitteres, placuerat tamen, ut darem, ultro tibi competere actionem, que ex hoc contractu nascitur, id est, conditionem, defuncto quoque eo.* Primum quero, qualis sit illa conditione, quam ait ex contractu proposito nasci? Non utique conditione ob causam dati causa non secuta, de qua conceptus est titulus, cum nihil datum propnatur, sed tantum placitum, ut daretur, & conditione ex notissimo juris usu, praesertim in hoc tractatu, significet alicuius rei, quæ à nobis profecta sit, repetitionem. Dices Jurisconsultum intelligere actionem prescriptis verbis. Jam iterum quero ubi actio prescriptis verbis in jure nostro appetetur conditione? Imo à conditione perpetuo distinguitur. *I. 5. §. 1. & seq. de prescr. verb.* tum conditione vulgare est & usitatum actionis nomen, certam solennemque formulam habens; cujusmodi actionibus deficientibus derum actio prescriptis verbis datur. *I. 1. I. 2. & seq. d. tit.* Sed concedamus Jurisconsultum intelligere actionem prescriptis verbis, quid hac actione persequemur, certamne summam, quæ promissa sit? Minime: sic enim dicemus ex hujusmodi contractu competere certi conditionem ad rem, de qua convenit, petendam, ut ex multo, cæterisque causis & obligationibus; ex quibus certum petitur. *I. certi conditio. 9. ff. de reb. cred.* quod falsum est. Nam prescriptis verbis actio non solum nomine & titulo actionis incerta est, sed etiam re

petitione, competens in id solum, quod interest, etiam si de re certa danda convenierit. *d. l. 5. §. 1. & 2. ff. de præscr. verb. l. 4. & 2. seqq. Cod. de rer. permul. id autem, quod interest, incertum esse constat. l. si pœnam. 68 de verb. obl. l. quatenus. 24. de reg. jur. unde etiam actio hæc incerta. l. 6. Cod. de rer. permul. l. 3. Cod. de inut. stipul. & passim actio incerti dicitur. l. 7. §. 2. ff. hoc tit. l. 6. l. 8. & l. seq. ff. de præscr. verb. Itaque in actione præscr. verb. non servatur lex communis obligationum dandi, ne tum quidem, cum dedi aut feci, ut daret. Revertamur jam ad propositum: Si ex hac conventione, *dabo tibi decem*, ut Stichum intra mensem manumittas, Sticho ante manumissionem intra mensem mortuo, tibi competit actio præscriptis verbis; ea autem actio non competit, nisi in id, quod interest, sequitur necessario ex sola conventione hic actionem non dari: sed ita demum, si is, cui actionem dari volumus, vel fecerit jam aliquid, quo quid ei abfit, quod alioqui facturus non fuerat, puta si jam sumpitus fecerit necessarios in profecitionem ad prætorem; vel non fecerit, puta servum non vendiderit, quod alioqui facturus erat, per l. 5. in pr. & §. ult. ff. de cond. cauf. dat. ut quibus casibus & quatenus cessat condicō five repetitio, si datum quid sit, iisdem casibus & catenū competat actio præscriptis verbis, si promissum tantum, non datum. Utique cum quatuor tantum sint contractus innominati, *do ut des*, *do ut facias*, *facio ut des*, *facio ut facias*, necesse est, si speciem propositam ad unum ex his quatuor referri volumus, ut datio vel factum aliquod ab una parte intervenire, quod ipsa nomina demonstrant: nam *dabo ut facias*, vel *faciām ut des*, non est contractus, non magis quam pactum de vendendo venditio, de locando locatio. Itaque cum in contractibus innominatis obligatio non à simplici conventione, sed à datione aut facto ad conventionem accidente nascatur & incipiat. *l. 1. §. 2. ff. de rer. permul. l. 3. Cod. eod.*, nisi quid hic turbatum a Triboniano, quod putat Ant. Faber in ration. dicendum est locum pertinere ad contractum innominatum *facio*, *ut des*. Quid si dicamus in specie proposita causam, ob quam dari placuerat, pro impleta haberi, propterea quod casu fortuito factum, ut impleri non potuerit. Sane ubi jam quid datum est ob causam, causa pro impleta plerumque habetur, quoties per eum, qui accepit, non stetit, quominus causam impletet: & sic ex casu fortuito liberatio sequitur, cessat-*

que ob causam dati condicō. *l. 3. §. quid si ita. 3. ff. de cond. ca. dat. l. pen. Cod. eod. l. 5. §. 1. vers. sed si scyphos. ff. de præscr. verb. l. 1. §. Divus. 13. de extraord. cogn. Hæc etiam est communis interpretum solutio.*

8. Effectum igitur est, inter cives Romanos ex nuda conventione actionem non nasci, licet ex causa honesta facta sit, serioque ac deliberato animo inita, ut ut etiam de eo constet. Quod si enim actio ex ea datur, cum constat de animo deliberato, etiam quando non constat interim danda esset, ut sit in ceteris causis omnibus, ex quibus obligationes & actiones nascuntur; permittendumque actori probare conventionem intervenisse, quo probato induci deberet præsumptio, serio quoque interpositam fuisse: alias quilibet conventiones & pacta passim eludi possent. Et quidni etiam permitti oportet actori *jusjurandum* in *judicio reo deferre*, quemadmodum alias fieri solet, præsertim ubi quid afferendum est, quod latet in conscientia ejus, cui defertur *jusjurandum*? Neque enim soli Deo notum, serione promissio aliqua facta sit, an secus? verum etiam promittenti.

## C A P U T VII.

Aliarum gentium & hodie moribus nostris, & canonum jure etiam ex nuda conventione actionem dari.

1. *Jure naturæ & gentium pacta quævis seria obligationem efficacem parere.*
2. *Francisci Connani contraria sententia refellitur.*
3. *Apud alias gentes ignotam fuisse illam Romanorum inter pactum & stipulationem, &c. distinctionem.*
4. *Etiam jure Canonum quamlibet conventionem efficaciter obligare.*
5. *Cujacii & aliorum errores deteguntur.*
6. *Moribus quoque hodiernis pacti simplicis eandem vim esse, quæ est stipulationis jure civili.*

1. **E**T SI conventiones nudæ, quantumvis voluntate sufficienter significata, legum Romanarum vinculis adstrictæ non sunt, ad earum tamen observationem naturæ & gentium jure adstringimur: Nihil enim æquitatè naturali magis consentaneum est, quam stare conventis, placita, fidemque servare; quod etiam prudentum responsa declarant. *l. 1. pr. ff. hoc tit. l. 1. ff. de pecun. constit.* Imo jure quoque civili Romanorum quilibet justa pactio obliga-

tionem parit naturalem : eaque obligatio , si unam demperis actionem , eosdem effectus jure Quiritium habet , quos habet obligatio naturalis & civilis simul , de quo agemus postea : unum tantum hic exempli causa proferam . si ex pacto quid solutum sit ; licet enim id solutum per errorem , tamen ejus non datur ne jure quidem nostro , repetitio ; nempe quia antea natura- liter debebatur , *l. naturales.* 10. *ff. de oblig.* & *act. l. 7. ff. de fidejuss.* & hoc quoque significat Paulus in *l. cum amplius.* 84. §. 1. *ff. de reg. jur.* cum eum ait natura debere , quem jure gentium dare oportet , cuius fidem secuti sumus . Agit enim illic de con dictione indebiti , quæ cessat , si quid ex qualicunque pacto solutum sit ; quia jam ante re adhuc integra naturæ ac gentium jure dari oportebat .

2. Itaque minime admittenda est sententia Francisci Connani *lib. 1. comm. cap. 6.* & 5. c. 1. fatentis quidem consentaneum esse aquitati naturali , & honestum , pacta servare , negantis tamen id esse necessarium , & negantis in universum ea pacta , quæ non habent *causam aucti* , jure naturæ ac gentium ullam inducere obligationem , præterquam pudoris & verecundiaæ . Certe Pauli nostri longe alia mens fuit , qui eum , cuius fidem secuti sumus , pronunciat jure gentium dare oportere , quo verbo utique vinculum juris & moralis significatur necessitas . Marcus quoque Tullius *lib. 1. de offic.* tantam promissis vim tribuit , ut fundatum justitia fidem appetat . Neque vero ratio ulla reperiri potest , cur leges , quæ quasi pactum commune sunt populi , quo nomine à Demosthene adversus Aristogitonem , & à Papiniano nostro *l. 1. ff. de legib.* appellantur , obligationem pactis addere possint ; voluntas autem cujusque hoc serio agentis , ut se obliget , idem non posset . Admissa denique Connani sententia , sequeretur , nullum inter reges & diversos populos pactorum , quamdiu nihil ex iis præstatum est , jure gentium vim esse , præser-tim iis in locis , ubi nulla forma foederum aut sponsionum reperta est , ut recte Grotius *lib. 2. de jur. belli. & pac. c. 11.*

3. His accedit , quod omnium aliarum gentium moribus , conventiones omnes & pacta etiam , quæ nuda appellamus , obligationem & actionem produxerunt . Nam neque apud Græcos , neque ullam aliam gentem , præter Romanos , nota fuit subtilis illa differentia inter pactum & stipulationem . Romanorum sunt hæc tam multa & distincta quæ rerum diversarum vocabula , ad anxiā quandam formularum su-

perstitutionem adstricta , pactum , stipulatio , constitutum , actio constituta pecunia , recipere , receptitia actio : quæ discrimina ius naturæ ignorat . Quin & Paulus Jurisconsultus ipse hoc fateri videtur *lib. 2. sent. tit. 14.* cum ait , *Ex nudo pacto inter cives Romanos actio non nascitur* , quasi dicat non negare se , quin jure gentium & naturæ inter alios populos imperio Romano non subjectos actio ex pactis nascatur . Idem quoque haud obscure innuit Imperatores in *l. si tibi. 27. Cod. de locat.* *Si conventio* , inquietunt , *placiti fine stetit* , ( id est , si stipulatio non intervenerit ) *ex nudo pacto perspicis actionem jure nostro nasci non posse* , quasi dicant , etiam si maxime aliarum gentium jure nascatur : & ideo stipulatio pactis subjici debebat , ut ex stipulatu actio nasceretur . Paulus *d. lib. 2. tit. 22. §. ult. d. l. si tibi. 27. Cod. de locat.* *l. petens. 27. Cod. hoc tit.*

4. Jure quoque Canonum pacta , quælibet , efficaciter obliganterque actionem producere , communis est Canonistarum sententia . Felin . in c. 1. n. 5. & 6. ext. de paci . Panorm. & Imol . ibid . Covar . in c. quamvis . eod . in 6. p. 2. §. 4 quam ego sententiam veram quoque esse non dubito , quicquid reclament recentiores quidam interpres , inter quos Alciat . lib. 5. paradox . 3. Connan . 5. comm . 3. Ant . Fab . ad l. juris gentium . 7. §. ait prætor . 7. ff. hoc tit. moveorque his rationibus . In d. c. 1. ext. hoc tit . ( quod sumptum ex Concilio Carthaginensi ) ita loquitur Antigonus Episcopus ; *Aut inita pacta suam obtineant firmitatem , aut conventus Ecclesiasticam sentiat disciplinam . Dixerant universi , Pax servetur , pacta custodiantur .* Ait Antigonus conventus : loquitur ergo non de eo , qui alium voluit pacto liberare ; cuiusmodi pacta etiam prætor servat data exceptione : sed de eo , qui se alteri obligavit , de qua obligatione implenda conventus erat : ac proinde de pacto ad obligandum comparato ; cui generi pactorum prætor dicitur *ad agendum* quam jus civile iis detraxit , non restituit . In d. c. 3. ext. eod . ait Pontifex Romanus ; *Studiose agendum est , ut ea , quæ promittuntur , opere compleantur .* Ecce non ait , quando quis pactus est , ne petat , quod est pactum liberatorium pariens exceptionem etiam jure civili : sed quando quis ex promissione se obligavit , quod pactum est obligatorium , jure civili ad agendum ineficax . Argumento etiam est inscriptio ex Gregorii registro , *Judex debet studiose agere , ut promissa adimplentur .* En ergo agitur de eo , qui apud judicem convenitur , ut faciat id , ad quod pacto se obligavit : est enim titulus ille de

*pactis.* His adde quod præsumendum est, autores juris Canonici in casu conscientiae, ne peccatum foverent, secutos esse jus naturale & divinum: utroque autem illo jure pactiones quælibet firmæ sunt ac validæ.

5. Fallitur ergo Cujacius, afferens Peliam eos lavare, qui contendunt jure Pontificio ex qualibet iusta conventione, etiam nuda, nasci actionem, quasi inquit, amplius quid diceret Pontifex, quam dicit prætor in *I. juris gentium.* 7. §. ait prætor. 7. ff. hoc tit. Pacta quidem servari debent jure pontificio, inquit, sed suo nempe modo, ut ea servat prætor, data videlicet exceptione, non actione. Male. Nam, uti jam ostendimus in utroque illo capitulo agitur de eo, qui in judicium vocatur, ut quod pacto promisit, impleat: & porro igitur etiam futile est quod alii objiciunt, inter jus Canonicum & civile non esse introducendum discrimen sine canonis alicujus auctoritate. c. 1. & 2. ext. de oper. nov. nunt. Jam enim duos expressos canones allegavimus. Obstat tamen, inquiunt, quod in d. c. 1. ext. hoc tit. poenæ excommunicationis subjicitur, qui non praedita id, ad quod se pacto obligavit. Imo contra recte arguas: si adversus eam poena excommunicationis ob fidem non impletam statuitur; multo magis adversus eum, si obnoxius sit ulli foro seculari, judicium in illo foro institui poterit, quod est levius. Unde etiam statim in d. c. 3. ext. eod. Gregorius judicii seculari id mandat ut pacto promissa curet impleri judicio in eam rem dato. Falsum autem est, quod quidam ajunt, poenæ excommunicationis tunc demum locum esse, ubi ordinarium remedium deest, per c. novit. 13. ext. de judic. Nam in d. c. novit. pontifex duntaxat Ecclesiasticam censuram strigit & exercet in regem Gallie Philippum, qui Angliæ regem pace fracta & fide rupta offenderat: quia Rex Francie omnibus in regno suo major, judicio civili aut actione aliqua instituta conveniri non poterat: cum reges ius in armis positum habeant: nec aliud staruitur d. c. novit.

6. Et communem hanc Canonistarum sententiam, aut potius expressos juris canonici textus, sequuntur hodie mores nostri, daturque hodie etiam ex nudo & simplici pacto actio: pactisque eadem vis tribuitur que est stipulationis jure civili: Gud. lib. 3. de jur. nov. c. 5. Grot. lib. 3. introd. ad jurispr. Bat. c. 2. sicut & pleraque alia ad simplicitatem juris gentium redacta sunt. Tantum meminerimus distinguendas esse promissiones serias, meditatas & constantes, ab inconsideratis, temerariis, atque aulicis,

cum quis non dispositive, ut loquuntur, nec serio, sed vel narrative, vel per jocum & aliud agens, aut officiose adulans aliquid pronuntiat, ut ex illis tantum, non etiam ex his actio derur. Porro jus Canonicum & mores hodierni in talibus pactis etiam per actionem servandis summa nituntur ratione. Quid enim? utimur hodie tantum præceptis naturalibus & gentium, solennibus illis & scrupulis juris civilis sublati. Naturæ autem humanae nihil magis congruit, quam fidem promissorum servare, ut fiat, quod dictum, sive nudis verbis, id est, nudo pacto, verbis solennibus, id est, stipulatione fides data sit.

## C A P U T VIII.

De conventionibus non nudis, quæ vulgo pacta vestita.

1. *Quid sit conventio non nuda, & quibus ex notis cognoscatur.*
2. *Contractus quid sit.*
3. *Cur contractus nominati certo jure actionem producent, & cur ita appellantur.*
4. *An permutatio fit contractus nominatus.*
5. *An actio estimatoria descendat ex contractu nominato.*
6. *Transactio nec nomen contractus est, nec specier.*
7. *Contractus innominati, eorumque species.*
8. *Quid nomine causæ nostri intelligent, cum ajunt etiam ex conventione innominata, cui modo causa subdit, actionem nasci.*
9. *Illustratur res exemplis.*
10. *Falsum esse, quod quidam tradiderunt, causam in proposito significare id, quod pacientes movit, ut convenienter, & Num. 19.*
11. *Posita pura & efficaci obligatione, necessario ponitur & actio efficax.*
12. *Actionem prescriptis verbis dari non posse ei, qui nihil dum fecit aut presulit.*
13. *Refutatur futilis quedam distinctione inter obligationem & actionem, quæ nascatur jure conventionis, & eam, quæ ex perfectione & secundum perfectionem contractus.*
14. *Eadem clare refellitur per l. 3. C. de rer. permitt.*
15. *Item per l. diversionis 45. hoc tit.*
16. *Item per l. contractus. 17. sub fin. Cod. de fid instr.*
17. *Nemo ab obligatione semel constituta invito adversario recedere potest. & Numer. 23.*

18. In conventionibus innominatis, quod datur aut sit, non dari aut fieri ob causam præteritam, seu ex necessitate obligacionis notæ ex sola conventione, sed ob causam futuram, ut accipiens illa datione, &c. efficaciter obligetur.
19. A conventione nominata ad innominatam non procedit argumentatio.
20. Natura contractuum innominatorum.
21. Pœnitentiam non admittunt contractus innomati, qui finiendarum litium gratia fiant.
22. Definitio contractus à Labeone tradita l. 19. de verb. sign. non contractus omnes, sed de ceteris tantum complectitur.
23. Contractum à Theophilo minus recte definiri.
24. Nec pacta legitima, nec ea, quæ contractibus in continentि adjiciuntur, contractus esse, aut cum contractibus confundenda, sed manere pacta nuda, si per se spectentur.
25. Gracos quosdam pacta legitima à nudis segregare, contractibus adjecta non item.

1. **C**ONVENTIO non nuda sive vestita est, quæ puri placiti fines egreditur. Id autem duabus ex notis cognoscitur, si proprium conventio nomen sortita sit, vel si conventioni subsit causa agendi, quod ab Aristone Mauriciano, & Ulpiano in *l. juris gentium*. 7. §. 2. hoc tit. appellatur *euωδάγμα*: alibi negotium dicitur *l. solent*. 15. ff. de *prescript. verb.* & negotium civile *l. 1. ff. de estim. act.* Atque hæ conventiones uno verbo appellantur contractus, & jure quoque nostro obligationem & actionem producunt.

2. Contractum igitur sic definiō; Contractus est conventio habens proprium nomen, aut eo deficiente causam. Definitio tantum non iisdem verbis tradita in *d. l. juris gentium*. §. 1. & 2. hoc tit. Itaque duo sunt harum conventionum genera, unum earum, quæ speciale nomen habent; alterum earum; quæ carent.

3. Prioris generis sunt emptio venditio, locatio conductio, societas, mandatum, commodatum, depositum, & ceteri similes contractus: qui quod certum nomen habent, dicuntur contractus nominati, obligationemque & actionem certo jure producunt; non utique propter nomen, quod extrinsecum quid est atque accidens, sed propter utilitatem commercii, cuius indicium est, quod certo ac proprio nomine appellantur, ut hoc explicat Donell. lib. 12. comm. c. 9. Nimirum eti nomen ad essentiam aut vim conventionis nihil facit, vim tamen ejus arguit à posteriore. Utilitas fecit, inquit

Donellus, ut conventio esset in usu communis: usus conventioni nomen peperit. Utilitas causa est obligationis constitutæ, nomen indicium & nota constitutæ. Alter hoc explicat Grot. lib. 2. de jur. bell. & pac. c. 12. n. 3. putans contractus, qui nominati dicuntur, non tam ideo sic vocari, quod proprium nomen habeant, quam quod ob usum frequentiorem vim quandam & naturam acceperunt tales, quæ etiamsi nihil dictum specialiter, ex ipso nomine sat posse intelligi: unde etiam certæ de illic prodita fuerint actionum formulae, cum in ceteris contractibus minus frequentibus hoc tantum inest, quod dictum & factum erat; ac proinde non communis aliqua & usitata, sed accommodata ad ipsum factum daretur formula, quæ ideo præscriptis verbis dicebatur.

4. Atque hanc explicationem juvare videtur, quod permutatio, quamvis & ipsa proprium nomen habeat, à numero contractuum nominatorum excluditur, l. 1. §. 2. ff. de *rer. permut.* quanquam sunt, qui credunt contractui *do ut des* nomen permutationis inductum tantum per abusionem, quatenus contractus ille ad permutationem directus est: nam proprie permutationis nomine significari mutuam ipsarum rerum mutationem & translationem; ac proinde non tam contractum, quam modum acquirendi dominii, & alias omnes pene contractus velut permutatione quadam constant. Ut sit, constat permutationem in numero contractuum nominatorum non censi.

5. Sed neque actio, quæ de estimato ponitur, descendit ex contractu aliquo nominato, sed eo, de cuius nomine ambigitur, & negotio, quod partim venditioni, partim locationi, partim mandato simile videtur, l. 1. ff. de *estimat.* ideoque nec actio, quæ ex hoc contractu datur, proprio nomine praedita est, quanquam naicta est estimatoria appellationem, quod fit de re, quæ estimato vendenda data est.

6. Illi autem toto cœlo errant, qui etiam transactionem putant contractum esse proprii nominis; quippe cum transactio nec nomen sit contractus, nec contractus species. Etenim si proprie loqui volumus, non habet se contractus ad transactionem, ut genus ad speciem, sed modus est transfigendi: nam interdum nuda pactio transactionis causa intervenit, aliquando stipulatio, quandoque datio aut retentio, l. cum *proponas*. 21. *Cod. de paet.* l. 2. l. *paet.* 15. ff. de *transact.* l. 6. l. *ut responsum.* 15. l. *sive apud.* 28. l. *si profundo.* 33. l. *transactio* 38. C. eod. quæ diversa sunt ab ipsa transactione.

ne & terminatione litis. Unde cum proprii nostri loquuntur, dicunt pactum, conventionem, placitum transactionis causa intercedere aut interponi d. l. cum proponas. 21. Cod. de pact. l. 7. l. si de certa. 31. Cod. de transact. l. si instituta. 27. pr. ff. de inoff. testam. Modi autem transigendi non sunt generis transactionis : & per se considerata transactio diversum quid est à contractu, cui etiam opponitur in l. 1. §. 3. ff. de pact.

7. Posterius genus earum erat conventionum, quæ speciali nomine carent, sed quibus præter consensum subest causa, ut hoc exprimit Jurisconsultus d. l. 7. §. 2. ff. hoc tit. Hæ conventiones eo quod nomine carent, dicuntur contractus innominati, parvumque & ipsæ jure nostro obligationem & actionem; non vulgarem quidem & usitatam; sed in factum prescriptis verbis, d. l. 7. §. 2. hoc tit. l. 1. & pass. ff. de prescr. verb. Sunt autem hujus generis contractuum species quatuor, do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias, l. 5. pr. d. tit. quarum tamen ex una illa, facio ut des, non tam civilis incerti prescriptis verbis actio, quam in factum prætoria dari videatur, aut si dolus aliquis arguatur, de dolo, d. l. 5. §. 3. l. solent. 15. in fin. d. tit. l. 4. Cod. de dol. Sed hæc non sunt hujus loci. Illud tantum hic investigandum est, quid nomine causa Jurisconsulti intelligent, cum ajunt etiam ex conventione innominata, cui modo causa subsit, actionem nasci.

8. Et quidem de causa finali id intelligi non potest, cum in omni conventione pacientibus finis aliquis propositus sit: neque de causa impellente seu ea, quæ pacientes movit ad convenientium, ut quidam somniaverunt: nam etiam in conventionibus nudis, quæ opponuntur iis, quibus causa subest, aliquid est, quod pacientes impellat ad conventionem ineundam; verbi gratia, placuit inter nos, ut tu mihi certam pecunia summam dares, & ego à lite, quam tibi movi, discederem; aut ut invicem servos nostros permutaremus: hæc conventiones nude sunt, ut proinde ex iis non nascatur actio, l. cum proponas. 21. C. de pact. l. five apud 28. Cod. de transact. l. 3. Cod. de rev. perm. negari tamen non potest, quin alicujus rei contemplatione moti hujusmodi conventionem iniverimus, nimis quia ego malui accepta certa summa à lite discedere, tu dare, quam incertum eventum expedire: quia ego malui habere tuum servum, tu maluisti meum. Ac de similibus idem judicium esto. Sed qui cunctamur causam accipere pro datione vel facto ad

conventionem sive statim sive postea accedente, seu pro implemento ab alterutra parte, nempe quando præter conventionem quid datum quoque est aut factum ab uno? Sane Jurisconsultus Græcus responso *επί την πάροντας ιδίων προτότητας απορίαν* inquit, *τοις συμφέροντος ιδίων προτότητας μή προσθέτουσαν, την φύσεων δὲ της συναδέγματος οὐκαντικληθεῖσα λίγος περιγένεται δότες ή ποιεῖσαν ιδιώτης ηπειρονοι γεννηθεὶς αἵμασι. περιπτωταὶ δὲ καὶ οἱ τέταρες αἱ φύσεοι οὐρανοῦ. i. e. His ( sc. conventionib. nominatis ) junctæ sunt & ille, quæ nomen quidem proprium natiæ non sunt; ceterum generali nomine contractus appellantur, cum prius aliquid datur vel sit, ut vicissim aliquid detur vel fiat, videlicet ut iusta pacientibus causa subst. Nascuntur enim & ex his utiles actiones. Atque hinc est, quod cum pactum nudum sit conventione innominata causam non habens Græci id definiverint, *λόγος μὴ περιγένεται δότες*, &c. ex quo etiam simul appetat, eam conventionem, quæ causam habere dicitur, iis esse, *λόγος περιγένεται δότες*; quod ipsum & Paulus indicat l. 8. in fin. ff. de prescr. verb. ubi ait pactum nudum non esse, quoties certa legge aliquid datur; & aliis innumeris locis significatur, l. 5. per tot. & pass. ff. de prescr. verb. l. divisionis. 45. ff. hoc tit. l. 6. l. si profundo. 33. Cod. de transact. l. 3. l. 6. Cod. de rev. perm. Denique hoc idem quoque sensisse Ulpianum in d. l. 7. §. 2. hoc tit. ex his ejus verbis perspicue patet; *Sed εἰ δι in alium contractum res non transeat, subdit tamen causa, eleganter Aristo Celso respondit, esse obligationem; ut puta dedi tibi rem, ut mihi aliam dares; dedi, ut aliquid facias.* Cum autem nulla talis conventioni innominata subest causa, ex ea, utpote nuda, negat obligationem nasci, d. l. 7. §. sed cum. 4. Ajo autem conventioni innominatae. Nam in conventionibus nominatis, si requista quedam adhuc, ut verbi gratia in venditione & locatione, si de pretio aut mercede convenerit, etiam antequam ab altero contrahentium quid præstitum sit, obligatio nascitur.*

9. Jam exemplo rem declaremus; Convenit inter nos, ut ego tibi Stichum dare, tu mihi Pamphilum. Hæc conventione nuda est, consistens intra terminos puri placiti, licet uterque nostrum certo intuitu talem conventionem inverit; ego, quia malui habere Pamphilum, tu, quia Stichum. At si aut ego à mea parte, aut tu à tua dando conventionem implesti, hic jam conventione definit esse nuda, & terminos meri

placiti excedit. Illa autem datio ad conventionem accedens *causa nostris* dicitur. De facto ad conventionem accedente idem judicato. Paulus *negotium* vocat, *I. solent. 14. ff. de præscr. verb.* Ulpianus in *I. 1. ff. de astim. alt. negotium civile*, id est, tale, quod ad conventionem alioqui nudam accedens constituit *suauitatem*, unde obligatio quoque & actio civilis. Atque idem tere in hac re explicanda nobiscum sentiunt interpres nostri cum veteres, tum recentiores pene omnes. Quorum ergo tam opera sua hujus sententiæ confirmatio? nimirum quia nuper nonnemo contendere coepit ex contractibus innominatis etiam nulla datione aut facto interveniente jure conventionis oriri obligationem, eamque efficacem: quanquam ex ea non ante efficaciter agi queat, quam quid ex conventione præstatum fuerit: causam autem apud Ulpianum *d. I. 7. §. 2. & 4. hoc tit.* non significare dationem aut factum aliquod interveniens, sed causam præcedentem, quæ pacientes movit; ut convenirent.

10. Ego vero non video, quomodo hæc consistere possint, ex conventione nasci puram & efficacem obligationem, & tamen ex ea obligatione efficaciter agi non posse. Utique enim efficacia & vis obligationis consistit in juris vinculo, quo necessitate adstringimur ad aliiquid præstandum; necessitas in eo, ut nisi obligatus præstet, quod debetur, jure judicioque experiri cum eo nomine licet, invitumque ad præstandum compellere. Ac proinde posita pura & efficaci obligatione, necessario quoque ponenda est efficax actio, cum secundum regulam Logicorum, qualis est causa, talis quoque sit effectus.

11. Ut ecce, emptio & venditio contrahitur simul atque de pretio convenerit; & quia hinc statim oritur mutua & efficax obligatio, statim etiam, licet nihil aliud intervenerit, ex ea obligatione agi potest, modo offerat actor, quod vicissim eum præstare oportet, *I. Julianus 13. §. offerri. 8. I. qui pendentem. 25. ff. de act. empr.* Par ergo ratione, si verbi causa huiusmodi conventione innominata, *Dabo tibi Stichum, ut mihi Pamphilum des*, æque statim & re adhuc integra efficacem obligationem pariat, etiam ex ea statim & cum effectu agere poterit, qui Stichum dare promisit, modo ille paratus sit Stichum date. Arque hanc quoque esse appareat mentem eorum, qui asserunt ex conventione innominata obligationem statim nasci, ex qua etiam agi possit, quanquam cum effectu non possit, nisi postquam ab uno datum quid sit, aut

factum, quia ad confirmandam sententiam suam utuntur exemplo exemptionis & venditionis, negantque illam esse circa productionem obligationis & actionis inter conventiones nominatas & innominatas differentiam. Videamus igitur, quam vere & rationi juris nostri convenienter hæc dicantur. Et vel uno exemplo locationis & conductionis demonstrari potest, quam parum hæc juri nostro sint consentanea. Locatio & conductionis contrahitur nudo consensu simulacrum de mercede pro usu rei danda convenit: atque ut hic ex sola conventione, nulla re interveniente oritur obligatio, ita quoque conductor nullo in praefens dato aut oblatu experiri cum locatore efficaciter potest, ut præstet frui, quod conductum est licere, *I. 9. I. 15. §. 1. I. si fundus. 33. I. & hæc distinctio. 35. ff. locat.* at ex sola conventione innominata agi cum effectu non posse fatentur ipsi adversarii: qui si pro firmamento sue opinionis non tam exemplum exemptionis & venditionis, quam locationis & conductionis attulissent, fortassis ipsi deprehendissent errorem suum. Cæterum nec oblationem vim implementi habere in contractibus innominatis ostendemus postea. Ad hæc perperam inter contractus eas etiam conventiones innominatas numerant, quæ terminos conventionis non egrediuntur; quoniam conventionis innominatae datione demum aut facto interveniente *suauitatem* sive contractus esse & appellari incipiunt, quamdiu autem res adhuc integra est, nudum tantum sunt conventiones, ex quibus nec obligatio nec actio jure nostro nascitur, ut supra satis abunde demonstratum est. Sed fingamus obligationem & actionem ex tali conventione nasci solo jure conventionis, quæ actio re adhuc integra intentari quidem possit, sed non cum effectu: quæ ergo erit ista actio? nimirum præscriptis verbis, inquiunt.

12. Quod si porro queras, quomodo formula actionis præscriptis verbis, quæ in factum componitur, & rem gestam demonstrat, *I. 6. in fin. Cod. de transact. accommodari possit, ei, qui nihil illum fecit, aut præstitit, respondent pro varietate conventionis formulam posse concipi, & conventionem referri ad unumquemque ex his quatuor articulis, do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias;* quippe hos contractus, non ita vocari ratione conventionis, sed impletionis, eo quod ante illum nulla cum effectu actio ex iis intentari queat. Igitur, si eis credimus, hæc conventiones dabo ut des, dabo ut facias, &c. referenda sunt ad illas *do ut des, do ut facias,*

*w facias, &c.* Et verbi causa si inter nos convenerit, ut ego tibi decem darem, & tu servum tuum manumitteres, potero re adhuc integra formulam concipere verbis in factum & rem gestam compositis, in quæ & prætor judicem det hoc modo, *Si paret Mævium decem Titio dedisse ea lege, ut servum suum Titius manumitteret, neque Titius manumittat, tum Titius dannetur*, aut contra; *Si paret Titium servum suum manumittere ea lege, ut decem à Mævio acciperet, &c.* Si aliam excogitent, quæ obligationis duntaxat, non dati aut facti mentione habeat, ea nullo modo poterit convenire formula prescriptis in factum verbis. Sed nec illud verum est, quod ajunt contractus do ut des, do ut facias, &c. ita vocari ratione impletionis tantum, non conventionis: nam verba illa do ut des, manifeste etiam conventionem exprimunt, sed præter conventionem adsignificant causam quæ conventioni subest, sive negotium interveniens, quod fundamentum est *συναλλαγματος*, efficitque, ut conventio amplius non sit nuda, & ea nascatur civilis actio.

13. Cum vident etiam in textibus plerisque, qui hoc pertinent, expressum negari in conventionibus innominatis nudo sole consensu obligationem constitui, & nominatim, ut alios præteream, in *d. l. 1. §. 2. ff. de rer. perm. quo loco Jurisconsultus diserte ait*, permutationem demum ex re tradita initium obligationi præbere, confiugunt ad nescio quam distinctionem, qua non observata ajunt, quotquot sunt & fuerunt hactenus Interpretes, hallucinatos esse: nimirum aliam ajunt obligationem & actionem nasci jure conventionis, aliam ex perfectione & secundum perfectionem contractus; qua distinctione adhibita facile quivis ex hujusmodi laqueis se possit expedire. Ajunt igitur in *d. l. 1. §. 2. ff. de rer. perm. Jurisconsultum adscribere rei traditæ initium obligationis, quæ est secundum perfectionem contractus, non quæ oritur jure conventionis.* Non est mirum interpretes omnes hic hallucinatos esse, qui tam subtilem distinctionem, & quam ipsa ignoravit antiquitas, non observaverint. Sed serio. Paulus in *d. l. 1. §. 2. initium obligationis in permutatione adscribit rei traditæ*; ergo nullam adhuc ante traditionem natam esse intelligit: alioqui non initium obligationis, sed obligationis jure conventionis antea constitutæ perfectionem, aut efficacitatem traditioni attribuere debuisset. Sequitur mox apud Paulum, *alioquin si res nondum tradita sit, nudo consensu obligationem constitui dicemus: quod in his duntaxat receptum*

*Vinn. Tratt. Varii.*

*est, que nomen suum habent, ut in emptione, venditione, conductione, mandato.* Ecce negat Paulus absolute, nudo consensu, id est, jure folius conventionis, ubi nihil sum præstitum est, ut ipsa verba ostendunt, obligationem constitui, præterquam in conventionibus nominatis: unde perspicue liquet, Paulum in conventionibus innominatis productionem, constitutionem, initium, originem ipsam obligationis adscribere rei traditæ; falsumque esse, quod illi afferunt, ex conventione esse obligationem, & actionem ex datione, numeratione, præstacione, quod cum effectu actio moveri possit. Quin hoc ipsum etiam pugnat cum eo, quod rei traditæ originem adscribant obligationem, quæ est secundum perfectionem negotii, quod contrahitur: nam qui hoc dicit, ultro fateatur ex datione, numeratione, præstatione orihi obligationem, adeoque hanc obligationem esse effectum, & filiam, ut ita loquar, dationis, præstacionis, &c. illa obligationis hujus causam & velut matrem: quod passim tamen negant soli conventioni vim tribuentes obligandi.

14. Ajunt mirari se, quod adversarii aliquid præsidii in *L. 3. Cod. de rer. perm.* cause suæ querant, & quare? quia, inquit placitum permutationis in *d. l. 3. pro nudo pacto de permuto sumitur*, id est, eo de quo non constet, an deliberto animo factum sit. Verba Imperatorum in *d. l. 3.* sunt hæc; *Ex placito permutationis, nulla re secuta, constat nemini actionem competere, nisi stipulatio subjecta ex verborum obligatione quaeferit partibus actionem.* Verum est hoc loco agi de pacto nudo, sed pactum nudum Imperatores intelligere, quando non constat de serio animo, commentum est, quod ex ipso textu satis evincitur. Negant simpliciter Imperatores aliter actionem re nulla secuta ex placito permutationis competere, quam si stipulatio subjecta sit: ergo ne tunc quidem, cum constat de serio voluntate pacientium. Hoc enim Leontius proposuerat, placuisse inter se & adversarium suum, ut invicem res quasdam permutarent, quarebatque an ex hujusmodi placito jure conventionis actio sibi competeteret, qua ad conventionem implendam urgere adversarium posset, paratus ipse à sua parte eandem implere: id quod Imperatores negant. Quod autem excipiunt, nisi subjecta sit stipulatio, eo significant, stipulazione demum conventioni subjecta, posse Leontium, à sua parte contentum conventioni stare, actione ex stipulatu compellere adversarium, ut & ipse quoque placitum servet, nisi velit condemnari quanti actoris intersit.

D

15. Simile huic placito est, quod proponitur in *l. divisionis.* 45. ff. hoc tit. si verbi causa in lite familiæ erit cunctæ convenerit, ut certis partibus hereditatis constitutis, ego hanc partem obtinerem, tu illam, neque traditio ulla secuta sit, neque porro placito subjecta stipulatio: hoc enim placitum negat Jurisconsultus cuiquam ad actionem prodefere: non quia non sit pactum aut conventionis seria; sed quia conventionis nuda, placiti fines non egrediens; cujusmodi conventiones utur seriaz, nemini ad actionem profint.

16. Postremo nec illud patrocinari adversarii existimant, quod scriptum est in *l. contractus.* 17. sub fin. Cod. de fid. instr. eum, qui vendere pollicitus est, si recuset adimplere conventionem, posse id impune facere, si nihil arrarum nomine accepit, non quod ibi agatur de pacto nudo, cum deliberationem animi satis arguat arrarum interventus, sed alia ratione; quoniam, quod adversarii non animadverterunt, in specie illic proposita jure conventionis obligatio contracta fuit, cum alias discedens à conventione altero invito non recte multaretur. Mirifica vero collectio. Quinimo contra si talis conventio obligationem produceret nullo modo liceret uni invito altero recedere, nec empori cum amissione arrarum, nec venditori cum duplicatarum restitutione.

17. Est enim haec perpetui juris regula, neminem posse ex poenitentia ab obligatione semel constituta & in se suscepta invito adversario discedere, *l. 5. Cod. de oblig.* & aet. idque vel ex ipsa natura obligationis, quæ necessitate solvendi obligatum adstringit, intelligi potest, ut paulo post ostendetur evidenter. Itaque amissio arrarum, aut duplicatarum restitutio non est poena recessionis non consentiente adversario factæ ab obligatione aliqua jure civili constituta, sed temeritatis & inconstantiae. Quid si nihil arrarum nomine intervenierit? hic jam impune etiam uni altero invito recedere licet, *d. l. contractus. sub fin. Cod. de fid. instr.* cui jam hoc etiam consequens est, etiam unius interitus conventionum impleri, non eo tamen magis actionem illi competere; quemadmodum nec si unius interitus, ex pacto permutationis aut divisionis ulla competit, *l. 3. Cod. de rer. permut.* *l. 45. ff. hoc tit.* Et quid hic alias profecerit placitis interveniens stipulatio? Sibi autem imputet, qui queritur, quod cum potuerit & debuerit, pacto non subjecerit stipulationem, iuxta consilium Pauli lib. 2. sent. tit. 22. in fin. Plane in hujusmodi conven-

tionibus de vendendo, de permutando, &c. si quid ab eo, qui placitis non stat, do-lo malo factum erit, quo alter in damnum incideret, non negaverim dandam esse actionem de dolo, arg. *l. & eleganter. 7. §. servus. 8.* & ibi Bart ff. de dol. mal. Costal. *ad l. 7. pr. hoc tit.* Asserunt porro causam apud Ulpianum in *d. l. 7. §. 2. hoc tit.* non significare dationem aut factum certa lege interveniens; sed causam precedentem, nempe quæ pacientes movit, ut convenienter: cuius assertionis sua haec argumenta habent.

1. Quia datur aliquid aut sit propter conventionem. 2. Quia causa respicit conventionem. 3. Quia datio aut factum per se non obligat, nisi ad restitutionem. Diceres rem ad triarios rediisse, quod profligatis hastatis & principibus tantæ virtutis milites subdicio mittant. Sed experiamur robur singulorum argumentorum. In postremo, ut ab eo incipiam, est fallacia divisionis: Neque enim nos dicimus solam dationem aut dationem per se sine conventione obligare, non magis, quam conventionem per se obligare sine datione; sed obligare dationem à conventione informatam, seu dationem sub lege vicissim quid praestandi, & ita simul juncta demum obligationem producere. Insubtile autem est, quod addunt factum; quia facti nulla est restitutio. Secundum argumentum, quod ideo causa apud Ulpianum non significet dationem aut factum, quia causa respicit conventionem, incidit in vitium petitionis principii; nam de causa impellente & conventionem antecedente duntaxat hoc verum est eo sensu, quo illud accipiunt, non de ea, quæ velut materia conventioni subjicitur, formaque à conventione accepta in *euādāvā* abit, qualem intelligere Jurisconsultum in *d. l. 7. hoc tit.* ex oppositio-ne §. 4. & §. 2. ejusdem legis dilucide apparet.

18. Sed & in primo quoque arguento manifesta est principii petitio: nihil enim efficiunt, nisi his verbis, *dari aut fieri aliquid propter conventionem*, hoc significant, quod datur aut sit, in proposito dari aut fieri propter vim obligationis ex sola conventione natæ; quod est falsum: cum enim, ut ex iis, quæ jam antea disputata sunt, clarissime liquet in conventionibus innominatis origo obligationis non à nudo consensu, sed à datione aut facto ad consensus accidente proficiatur, quia parte sua, quod placuit, praestat, non facit id ex necessitate obligationis, quam non gignit nuda conventionis; sed ut adversarium, qui itidem nulla juris necessitate adstrictus

est, illa præstatione efficaciter obliget. Atque hinc est, quod præstatio illa non solutio, quæ debiti est, sed datio appellatur: & quia illa fit ob causam futuram, ut vicissim quid detur, satis apparet eam comparatam esse non ad liberandum, sed ad obligandum cum, qui & ipse antea obligatus non erat, non ut quid solvat, quod antea debebat, sed ut quid det aut faciat secundum legem dationis dictam; & hic si is, qui accepit, causam, ob quam accepit, implere cessaverit, competit ei, qui dedit vel ad repetendum condicō tanquam ob causam dati causa non secuta, vel incerti præscriptis verbis actio in hoc, quod ejus intereat causam impletam esse, l. 5. §. 1. & 2. ff. de præscript. verb. & passim t. ff. & Cod. de cond. caus. dat. Quod si datio illa respiceret causam aliquam præteritam aut antecedentem obligationem, nulla competenter dati repetitio: nam quod ob causam præteritam datur, condicō non potest, l. damus. 52. ff. de cond. indeb. l. mercalem. 5. Cod. de cond. ob turp. caus. nec debiti soluti ulla repetitio est, ne ejus quidem, quod naturaliter ex nuda pactione debetur, l. naturales. 10. ff. de obl. & ait.

19. Apparet itaque nihil eos juvare, quod de venditore afferunt, eum non tradere mercem, ut emptorem sibi obliget, sed ut obligationem jam antea ex conventione natæ satisfaciat: nam a conventione nominata, ex qua etiam nudo consensu obligatio constituitur, ad innominatam, in qua initium obligationi res tradita præbet, non procedere argumentationem perspicue docet Paulus l. 1. §. 2. de rer. perm. Venditor igitur mercem tradens, solvit, quod debet, & ad quod solvendum jure judicioque cum eo agi poterat: non ut emptorem obstringat, quem satis ex conventione obstrictum habet; sed ut se libereat: at in contractu innominato, verbi causa, do ut des, sive nuda aliqua conventione præcesserit, sive non, qui dat, ut vicissim quid detur, non solvit, quod debebat; sed dat, quod non debebat, ut accipientem, qui & ipse antea obstrictus non erat, hac datione sibi obstringat. Atque hinc est quod venditor, qui fidem emptoris fecutus mercem tradidit, ex poenitentia mercem repetere non potest, l. incivile. 11. D. de rei vind. l. 3. Cod. de contr. empt. l. 6. de resc. vend. nimisrum quia hic obstat præcedens obligatio, quæ poenitendum non recipit; quoniam nemo potest constitutæ semel obligationi renuntiare invito adversario, l. 5. C. de obl. & ait. l. 3. de resc. vend. l. in commodato. 17. §. 3. ff. commod.

20. Contractuum autem, qui in aliud nomen non transeunt, natura hæc est, ut danti ob causam rebus integris poenitere licet, & ex poenitentia datum repetere, aut obnuntiare accipienti, ne causam impletat: contraria videlicet ratione, quoniam cum ad dandum obstrictus non fuerit, nec ad datum tali lege, quasi prius debuisset, relinquendum obstringi deberet, l. 3. §. 1. & 2. l. 5. pr. & §. 1. ff. de cond. caus. dat. l. in summa. 65. §. quod ob rem. 4. ff. de cond. ind. Quod si ubi jam aliquid datum est ab una parte, ille qui dedit, ex poenitentia datum repetere potest, invito adversario, multo minus, si nihil dederit, ab adversario ut det, poterit constringi, licet ille à sua parte conventionem implere velit, l. contractus. 17. sub fin. C. de fid. instrum. Et hoc significant interpretes, cum ajunt, in conventionibus innominatis obligationem non habere vim implementi.

21. Excipiendi autem sunt ex contractibus innominatis illi, qui transactionis & fiendarum litium gratia ineuntur, in quibus ob eandem causam nec locus est poenitentia, ne scilicet lites transactione semel decisæ instaurentur, l. in summa. 65. §. 1. ff. de cond. ind. l. quamvis. 39. Cod. de transact. & ibi DD. Jas. in l. 5. ff. de cond. caus. dat. colum. 3. Jam, opinor, videmus, unde hæc juris nascatur varietas, nempe ex differentia, quæ est circa productionem obligationis in conventionibus nominatis & innominatis; quia in illis receptum est, ut etiam nudo consensu obligatio contrahatur, in his non contrahitur nisi re aut facto aliquo interveniente.

22. Illud enim perpetuo verum est, nec ullam patitur exceptionem, neminem posse ab obligatione semel constituta & in se suscepta adversario non consentiente discedere, d. l. 5. Cod. de obl. & ait. quippe hic certissimum est obligationis effectus, ut qui secundum formam juris obligatus est, non aliter liberetur facto suo, quam si solvat aut satisfaciat creditori, Inst. quib. mod. tol. obl. & passim ff. & Cod. de solut. Quam etiam ob causam obligatio definitur juris vinculum, quo necessitate adstringimur ad solvendum, quod debetur. Si ergo qui obligatus est, adstringitur necessitate solvendi, consequens est omnino, non esse in ejus arbitrio, utrum velic solvere nec ne; quod tamen futurum esset, si liceret ei pro arbitrio à contractu recedere. Atque hoc non solum locum habent in contractibus, qui nomen suum habent, ut quidam putaverunt; verum etiam in iis, qui non habent proprium nomen, ut ecce, dedi tibi ali-

quid ea lege, ut mihi vicissim aliquid dares aut faceres, si cessas dare aut facere, teneris mihi in id, quod mea interest, id, de quo convenit, datum aut factum esse, eoque nomine tecum experiri possum actione prescriptis verbis; neque tu huic obligationi in te susceptae renuntiare potes, tuove te facto aliter liberare, quam si id de quo convenit, praestes, l. 5. §. 2. & §. 2. ff. de prescr. verb. Quod vero hic mihi, qui dedi, liceat rebus integris ex penitentia datum repeterem, regulam non offendit: neque enim ego dici possum datum repetens renuntiare alicui obligationi in me susceptae, cum ipse nec ante obligatus fuerim, nec tibi dando id egerim, ut me tibi, sed ut te mihi obligarem. Sed neque exempla mandati, societatis, depositi, precarii, quae huic regulae objici solent, eam aliqua parte vitantur. Mandati obligatio solo consensu contrahitur, & tamen, ei qui mandatum suscepit, liberum est mandatum renuntiare. An ergo cum mandatum renuntiat, dicendus est renuntiare constitutae obligationi? Minime. Nam cum mandatarius non aliter ab initio obligari intelligatur, quam sub hac disjunctione, ut aut impletat mandatum, aut tempestive renuntiet, l. si mandavero. 22. §. ult. l. si quis. 27. §. 2. ff. mand. §. mandatum. 11. Inst. eod. ubi in tempore renuntiat, non modo contra obligationem nihil facit, sed maxime praestat, quod erat in obligatione. Eademque ratio est & in mandati revocatione; quoniam nec mandator praeceps obligatur ad hoc, ut quod semel mandavit, perfici patiatur. Similiter societas quoque consensu contrahitur, & unius est locis renunciatione dissolvitur: nec tamen qui societatem socio renunciat in novo negotio nondum coepito, renunciat constituta obligationi, quia nemo in societate obligatur, ut invitus in societate maneat: in tantum ut et si nominatum convenerit, ne à societate discederetur, talem tamen pactionem ut iniuriam & contra naturam societatis factam contemnere liceat, l. si convenerit. 14. l. nulla. 70. ff. pro soc. junct. l. verum. 63. pr. ff. eod. l. cum pater. 77. §. dulcissimi. 2. ff. de legat. 2. Postremo nec officium suum perdit regula superior in specie, l. 1. §. antepenult. & penult. ff. depos. ubi si rem apud te sic deposuero, ut post mortem vel tuam vel meam reddatur, placet me statim depositum posse repeterem; nec in specie precarii in eandem sententiam proposita in l. cum precario. 12. ff. de precar. ubi cum res precario sic datur, ut is, qui eam accipit, usque ad Calendas Julias precario

possideat, respondet posse nihilominus etiam ante ei possessionem auferri: quoniam neque deponens obligatur, ut ne repeat depositum, neque is, qui precario dedit, ut non repeat precarium: imo contra & qui depositum accepit, & qui accepit precarium, ipsi obligantur in hoc, ut dominis reposcentibus acceptum reddant. Illud tantummodo hic queri potest, an is, qui depositum aut precarium accipit, exceptione pacti conventi ex edicto defendi debeat, ne ante diem cogatur depositum aut precarium restituere: & recte placuit nullam esse hujus conventionis vim, neque in deposito, quia dies adiectus est deponentis duntaxat gratia, ut depositarius cogeretur tamdiu rem custodire; neque in precario, quia conventio de re precaria non repeatenda natura precarii adversatur, ut ipse Jurisconsultus in d. l. cum precario. significat. In commodato autem contrario modo se res habet, nempe propter obligationem commodantis, quae impedit, quominus usum rei ad certum modum & tempus concessum ante tempus auferre liceat, l. in commodato. 17. §. 3. ff. commod.

22. Redeamus in viam & videamus ne definitio contractus à nobis proposita nimis lata sit. Etenim Labeo in l. 19. ff. de verb. sign. contractum sic definit, ut dicat esse ultra citroque obligationem; id est, negotium, unde ultra citroque obligatio nascitur: at nostra definitio etiam ea negotia complectitur, ex quibus unus tantum obligatur; qualia sunt mutuum & stipulatio, quae Labeo d. loco expresse à contractu distinguunt. Sed animadvertissemus Labeonem illic non definire generaliter, quid sit contractus, aut quae sit propria hujus verbi significatio; sed quid prætor eo verbo significet, cum haec tria finitima significatio in edicto conjungit, actum, contractum, gestum. Nam cum singula haec per se posita, & vi sua generalia sint, apparet Labeonem ea non ex propria significazione, sed ex sententia prætoris illa conjungentis distinguendo ad certas species referre, verbumque contractus ad eam speciem traducere contractum, qui mutuam obligationem pariunt. Nos vero hoc certo tenemus, substantiam contractus non in eo consistere, ut ultra citroque obliget: verum non minus proprie si unus tantum alteri, quam si invicem contrahentes inter se ex conventione obligentur, contractam dici obligationem, & negotium ipsum appellari & esse contractum; id quod satis ostendit vetus, & recepta contractum di-

## D E P A

### C T I S.

29.

visio apud Cajum, l. 1. ff. de obl. & aet. apud Ulpianum l. 1. §. 2. ff. de pact. apud Julianum §. ult. Inst. de obligat. item Inst. de auct. tut. in pr. quo loco evidentissime contractus per oblationem, cuius generis est stipulatio, diplosoe, quales sunt emptio, locatio, societas, &c. ut diversæ unius generis species secernuntur.

23. Apparet autem ex disputatione Ulpiani in d. l. 7. §. 1. & 2. ff. hoc tit. unde nostra contractus definitio sumpta est, non omnem consensum duorum ad constitutandam obligationem interpositum contractum esse: ac proinde non satis recte à Theophilo contractum definiri hoc modo; *συναλλαγη εἰς δοσιν, η̄ τη̄ πλεόντων εἰς τὸ αὐτὸν σύνδεσμον τη̄ τη̄ συναίσθετον, ἵνα τὸ συναίσθετον εἴη τη̄ συναίσθετον.* id est, Contractus est duorum vel plurium in idem conventio & consensus ad constitutandam obligationem, & ut alter alteri fiat obnoxius. Nam si inter nos convenierit, ut ego tibi Stickum, ut mihi Pamphilum dares permutationis causa, hæc etiam conventio est duorum vel plurium consensus in hoc, ut alter alteri obligetur: contractus tamen non est, sed nudum pactum; unde nec actio ex eo nascitur, l. 3. C. de rer. permitt.

24. Quinimo etiam hoc ex eadem disputatione evincitur, nec pacta legitima, neque ea, quæ contractibus in continentia adiiciuntur, contractus esse, aut cum contractibus confundenda; sed esse & manere pacta nuda, quamvis communem vim obligandi cum contractibus habeant: siquidem nec in proprium conventionis nomen transirent, nec causam cur dare aut facere debent ullam habent præter conventionem: utique si per se spectent, illa sine administriculo legis; hæc relative ad stipulationem, aut ut sejuncta ab eo contractu, cui adhibentur. Ceterum interpres plerique hæc etiam pacta vestiverunt, alterum vestimento assentientia legis; alterum coharentia contractus: quippe qui nuda ea pacta solummodo appellant, quæ vim obligandi non habent, & in terminis juris gentium manserunt: Neque hoc caret ratione, & suo sensu recte dicitur, nimur quatenus in pactis legitimis consideramus specialem confirmationem, in pactis adjectis unionem cum contractu, in quo sunt, & cuius in partem transeunt.

25. Jurisconsultus Græcus pacta legitima à nudis segregat *alḡ. sl̄. d̄l̄. m̄. ī. ā. v̄.*, contractibus autem in continentia adjecta in nudorum numero relinquunt, sed quæ sint alterius naturæ & efficacitæ: sic enim ille

mea. πᾶς ψιλ. συμφ. νῦν δὲ τὸ ὅμοιός τῷ τοῖς κοντίνοις, τοῖς ἀκόποις ἐν γράφει νῦνται οἱ πάκτων, τοῖς μὴ τοῖς τοῦτοι τὸ δύγματος παρέμβοντες ιδίκαιοι, τοῖς μὴ εἰς ιδίκαια μεταπίποντος οὐδέποτε συναλλαγματος, τὸ μηδέσσος τέτοιο μετίχοι, μηδὲ τῆς αυτῆς διωμάτου διαφέρειρμον γνώρισμα νῦνται αὐτὸς περιγράψαι τὸ περιβαρθόντος πλαθεῖν. ηδὲ νῦνται οὐδέποτε θέλειν. οὐδὲ νῦνται οὐδέποτε ισχύει. Ergo, inquit, revera nuda pacta sunt etiam quæ ex continenti, & merito. Nam si nudum pactum est, ut lex ipsa definivit, quod non lege quadam aut senatusconsulto specialiter confirmatur, quod non transit in speciale nomen contractus, quod non stat in eodem genere prius aliquo dato vel factō, ut detur aut fiat: utique quod nullius horum particeps est, nec notam habet, unde agnoscatur habere eandem vim, nudum & ipsum artificiose admodum & accurate vocabitur: nudum autem non ut illa ex intervallo sed naturæ alterius & aliam vim habens. Ceterum juris nostri conditores omnem conventionem extra contractum, non alio nomine, quam nudi pacti, aut pacti placitive simpliciter, appellare solent, l. 6. l. 7. §. quinimo 5. & seq. ff. hoc tit. l. in bono. 13. C. eod. l. etiam. 30. ff. de usur. l. frumenti. C. eod. l. 6. C. de jur. dot. cum similib.

## C A P U T IX.

### De pactis in continenti contractibus adiectis.

1. *Pacta in continenti adiecta bona fidei judiciis insunt etiam ex parte actoris: adiecta ex intervallo dumtaxat ex parte rei, & latius N. 4.*
2. *Illustratur hoc variis exemplis.*
3. *Removetur difficultas quedam, quam patet l. 7. §. 5. hoc tit.*
4. *Quid Papiniano sint adminicula contractus.*
5. *Quid exira naturam contractus Ulpiano.*
6. *Non male interpp. vulgo secernere naturalia contractuum à substantialibus.*
7. *Quid juris in pactis circa substantiam contractus.*
8. *Quid in pactis quæ contra substantiam contractus adhibentur, eorumve naturæ repugnant.*
9. *Quid in iis, quæ terminos naturæ contractus egrediuntur.*
10. *Ex continenti sive in continenti, locutio nostris familiaris: cui opponitur postea ex intervallo, &c.*
11. *Quid Latinis continens.*

D 3

12. *Quam variae hæc voces ex continent, vel in continent in jure nostro accipiuntur.*  
 13. *Quæ pæcta ex continent fieri dicantur.*  
 14. *An etiam ea, quæ negotio contracto mox sine ullo intervallo subjiciuntur: ubi multa notatu digna.*

1. **E**X his, quæ haec tenus differuimus, apparet pæcta, quæ adjiciuntur dationibus & factis, ut ita loquar, informibus & simplicibus, puta cum do aut facio ea lege, ut vicissim quid detur, aut fiat, constituere contractum innominatum: cuius hæc vis sit, ut civilem incerti actionem, id est, præscriptis verbis producat. Agendum porro est de iis pæctis, quæ adjiciuntur factis & dationibus, quæ alias certam formam habent, querendumque quem effectum habent pæcta opposita contractibus nominatis. Et aut pæcta hæc adjiciuntur contractibus ex continenti, aut ex intervallo. De adjectis in continenti traditum est, ea inesse bona fidei judiciis etiam ex parte actoris, actionemque contractus & contractum ipsum formare, legemque contractui dare: & contra de interpositis ex intervallo, ea non inesse ex parte actoris, sed tantum ex parte rei locum habere, eique prodesse ad exceptionem, *l. juris gentium. 7. §. quinimo. 5. & seq. ff. hoc tit. l. in bone. 13. Cod. eod. l. cum dotem. 10. C. de jur. dot. l. pæcta convertata. 72. ff. de contr. empt.*

2. Illustremus rem exemplis. Venditor emptori cavere tenetur nomine evictionis, non tamen, ut satisdet dato fidejusfo, sed sufficit regulariter nuda repromissio, *l. emptori. 37. l. si dictum. 56. ff. de evict.* Hic autem, siquidem ex continenti convenerit, ut venditor ob evictionem satisdaret, hoc est, fidejusfoem (*vvaerborge*, qui secundus auctor. *l. 4. ff. de evict.*) daret, pactum hoc sive conventio format contractum, id est, legem hanc contractui dat, ut satisdetur, formatque etiam ipsam actionem, id est, facit, ut actio ex empto porrigitur etiam ad id, quod pacto comprehensum est, atque ut possit emptor judicio empti cum venditore experiri, eumque compellere, ut evictionis nomine fidejusfoem det, *l. 4. l. 37. l. 56. de evict.* Quod si vero ex intervallo emptione jam perfecta idem convenerit, id pactum emptori ad agendum & fidejusfoem pro evictione petendum non proderit, *l. 7. §. quinimo. 5. vers. idem responsum. ff. hoc tit. l. pæcta. 62. ff. de contr. empt.* Vendidi tibi fundum ea lege, ut in rem tuam fundo accederet aratum, aut boves aratorii, aut quid aliud, valet con-

ventio non aliter, quam emptio ipsius fundi, *l. si in emptione. pr. 34. l. fistulas. 78. ff. de contr. empt.* Et ex converso, quod meo commodo fieret, vendidi tibi partem domus, ut alteram partem conductam haberes certa mercede, valet hæc conventio haud secus, quam de pretio alterius partis, *l. fundi. 79. ff. eod. tit.* Ceterum neutra aliter, quam si in continenti apposita sit, *dd. ll.* Natura depositi hæc est, ut in eo dolus duxat taxat præstetur, *l. 5. §. 2. commod. l. contractus. 23. ff. de reg. jur. l. 1. §. ult. ff. depos.* At enim si ab initio convenierit, ut depositarius culpam quoque præstaret, rata est conventio; quippe quæ legem hanc deposito dat, ut culpa quoque præstetur, quam alias hic contractus non recipit, *d. l. 1. §. si convenit. ff. depos. d. l. 5. §. 2. ff. commod. d. l. contractus. de reg. jur.* Plura ejusmodi exempla paucim obvia. Huc etiam pertinet lex commissoria, lex redhibendi oblato pretio, item lex illa vulgaris, ut si displicerit, res sit inempta, & ea quæ dicitur in diem addictio. Calus fortuiti in nullo bona fidei judicio præstantur, *l. 6. Cod. de pign. act.* Si tamen initio nominatim convenierit, ut commodatarium puta, aut conductorem, aut venditorem damnum fatale sequeretur, conventio servabitur, quia legem contractui dedit, *d. l. contractus. 23. de reg. jur. d. l. 6. Cod. de pign. act.* *l. 1. Cod. commod. l. 9. §. 2. locat. l. 1. ff. de peric. & comm. rei vend.* Unum addam, quod nonnihil difficultatis habere videtur. Id tale est. Si in contrahendo matrimonio & dote constituenda hujusmodi pactum apponatur, ne tempore statuto dilationis (annua, bima, trima die) dos reddatur, sed statim; hoc pactum soluto matrimonio ad agendum mulieri prodest, formatque actionem rei uxoris: Si vero forte jam divortio facto convenerit, ut non expectata legitima dilatione dos statim redideretur; tale pactum ad agendum non vallet, *l. 7. §. 5. hoc tit.* quia in pæctis ex intervallo adjectis non est recessum à regula, ex pacto actionem non dari.

3. Dixeris autem hanc pactionem, non obstante eo, quod ex intervallo interposita sit, faltem prodesse debere ad replicationem, ut si muliere statim petente, excipiendo alleget maritus ante annum non recte pati, replicare possit mulier, pacto eam dilationem esse sublatam, *arg. l. si unus. 27. §. ff. hoc tit.* Respondeo, exceptio, quæ mulieri ante tempus dotem petenti objicitur, legitima est, pacti conventi non item. Nimisrum pactum de non petendo tantum ex conventu valet tutione prætoris, non

legis alicujus confirmatione; & ideo exceptio inde competens alterius pacti replicatione adjuvante praetore facile tollitur. At pactum quod obligationem ex lege descendenter auget, inutile est adjectum ex intervalllo, & ne ad replicationem quidem valet, ut majorem, quam ex lege est, obligationem reddat; quod utique hic saltem effectu futurum esset, si vires habeat pactio. Alii respondent nullam ante legitimum tempus mulieri actionem competere, propterea quod lex maritum non nisi elapsu anno obligat & cogit ad restitutionem datis.

4. De pactis igitur adjicientibus sive auctore obligacionis gratia interpositis sic habendum, ut si ex continent bonae fidei contractibus fuerint adiecta, contractum forment, forment actionem ipsam, quæ ex contractu datur, quod Græci sic exprimunt, ἀμεδετη περισσοι, μητεπει τινι ἀγωγῳ, τι οὐχι τινι αυτεπειται. At contra, quæ ex intervalllo interponuntur; contractum, vel actionem contractus non formant, propterea quod post contractum jam usquequamque perfectum interponuntur; & ideo ad actionem non prosunt, τι οὐχι τινι αυτεπειται. At vero pacta detrahentia, quæ obligationem minuant, quæ leviorem conditionem unius è contrahentibus faciunt, etiam ex intervalllo facta profunt ad exceptionem, τι οὐχι τινι περισσοφαι. Ut ecce, si post emptionem perfectam ex intervalllo convenerit, ne venditor cautionem duplae præstet: hæc pactio quamvis ex intervalllo interposta, contractu continetur, auctore Papiniano in *I. pacta conventa*, 72. ff. de contr. empt. id est, vires habet jure exceptionis agente emprope de cautione præstanda. Loquitur autem ita Papinianus, quia exceptio pacti inest bona fidei judicio, *I. 3. ff. de ref. vend. I. sed & ff. 21. sub fin. ff. foliut. matrim.* id est, judex exceptionis rationem habet, etiam si reus in lite contestanda eam omiserit. Quod si ab initio in venditione convenerit, ne cautio duplae præletetur, tutus erit venditor ipso iure. Idemque dixerim, si talis conventione venditioni mox subjecta sit arg. *I. lecta*, 40. ff. de reb. cred. Atque hæc ira se habent in pactis circa adminicula contractus, ut ea vocat Papinianus *d. I. pacta*, 72. ff. de contr. empt. cum aliquid extra naturam contractus convenit, ut Ulpianus *d. I. 7. §. quinimo. 5. vers. idem responsum ff. hoc tit.* παρὰ φύσιν συνάγουσι. ut Græci.

5. Adminicula Papiniano dicuntur dies, conditio, modus, aliaque adjumenta adhibita ad negotium promovendum, quæ ad-

esse & abesse possunt, ut tamen contractus per se ac sine iis consistat; Græci εἰς μέσα vocitant: veluti, ut scriptura adhibeat, ut periculum præstetur, ut præstetur culpa in contractu, qui dolum tantum recipit, aut dolus duntaxat in eo, qui recipit & culpam, ut dos statim non expectato legitimo tempore dilatationis reddatur, in emptione & venditione, ut cum fidejusfole cautio duplae præstetur, vel, ut ne omnino præstetur, ut pensentur usurpæ pretii tardius exsoluti, *I. 5. Cod. de pact. int. empt.* ut pretio sua die non soluto res sit inempta, &c. Pomponius causas obligationum vocat, sed quæ pacto mutabiles, *I. nec ex praetorio. 27. de reg. jur.* De his rebus cum pacta fiunt, ea fiunt, quæ extra naturam contractus fieri ab Ulpiano dicuntur. Extra naturam contractus, id est, extra iuris, esentiam contractus, quæ non attingunt contractus substantiam.

6. Igitur extra naturam emptionis est, si quid extra rem aut pretium; extra naturam locationis, si quid extra usum rei & mercedem dari aut fieri convenerit. Nam quod Papinianus in *d. I. pacta conventa*, 72. ff. de cont. empt. emptionis substantiam, id Ulpianus *d. I. 7. §. quinimo. 5. vers. idem responsum ff. hoc tit.* citans sententiam Papiniani, quæ ex lib. 10. quest. relata est in *d. I. pacta conventa*, appellat contractus naturam.

7. Non male tamen alias natura contractus à contractus substantia distinguitur; quemadmodum & interpres vulgo contractum naturalia à substantialibus secernunt. Naturalia enim recte appellabimus, quæ naturaliter insunt cujusque contractus judicio, si de his nihil convenerit, *I. 11. §. 1. ff. de act. empt.* verbi causa, ut dicamus naturam emptionis & venditionis esse, ut simpliciter de evictione caveatur; depositi ut dolus solus præstetur; commodati, ut præstetur & culpa & diligentia. Hæc enim est horum contractuum conditio, modus & jus, quod eorum naturæ lex tribuit, ut hoc explicat Paulus *I. si unus. 27. §. 2. in fin. ff. hoc tit.* qui & alibi agens de pacto, quod ad mandati adminicula pertinet, ait id naturali mandati excedere, *I. 5. 5. pen. ff. de præscr. verb.* Ceterum quia hæc naturæ contractum insunt tantum ex accidenti, & ideo adesse vel abesse possunt, salva substantia contractus, inde est, quod pacta, quæ de iis fiunt, extra naturam contractus fieri dicat Ulpianus, per naturam intelligens ipsam contractus substantiam, hoc est id, sine quo negotium confidere non potest: verbi geatia, emptione & venditione si-

ne pretio, locatio & conductio sine mercede nullius momenti sunt, quia ex his substantia horum contractuum constat.

8. Quid ergo juris in iis pactis, quæ substantiam contractus attingunt? nimirum illa etiam ex intervallo interposita, rebus integris, insunt à parte agentis, actionemque contractus formant. Veluti si post emptionem perfectam, re tamen adhuc integra, id est, neque pretio dato, neque re tradita, convenerit de pretio augendo minuendove, *l. 7. §. adeo. 6. ff. hoc tit. d.l.pacta conventa. 72. ff. de contr. empt. l. 2. ff. de resc. vend.* Atque hanc regulam usque adeo veram esse scribit Ulpianus in *d. l. 7. §. adeo*, ut constet conventione postea facta ab emptione cæterisque bonæ fidei judiciis re nondum secuta abiri posse, *l. ab emptione. 58. ff. hoc tit. l. 3. l. 5. §. 1. ff. de resc. vend. l. 1. Cod. quand. lic. ab empt. disc.* Atque hoc argumento, tanquam à majori ad minus, mox probat, etiam partem contractus pactio mutari posse, puta ut vel pars tantum rei venditæ aut locatae vendita vel locata maneat, vel ut augeatur minuaturve premium aut merces, *l. 2. ff. de resc. vend. d. l. pacta conventa. 72. ff. de cont. empt. l. si unus. 27. §. 2. vers. quod si non. hoc tit.* Quomodo vero hæc pacta insunt contractui, quæ novum contractum inducunt? Respondemus hisce pactis proprie non tam' renovari contractum, quam reformari & repeti, id quod apud Ulpianum satis indicant nota improprietas, *quodammodo, quasi.* Hæc autem ea pacta sunt, quæ Græcis & Ḳ. φυνι Φωκαίης ταχαγαστρού συμφωνίδιο. Ulpiano quæ ex eodem sunt contractu. Ḳ. φυνι est κατ' επιτα. ex eodem contractu, ex substantia contractus.

9. Eorum autem pactorum, quæ contra substantiam contractuum adhibentur, eorumve naturæ repugnant, quædam tanquam accessiones insuper habentur, & nullius momenti sunt salvo contractu; veluti si convenerit in societate, ut ab ea non licet recedere, *l. 14. junct. l. nulla. 70. ff. pro soc.* aut ut ad unum lucrum, ad alterum damnum pertineat, *l. si non fuerint. 29. §. 2. eod.* in deposito aut precario, ut non nisi post certum tempus reperatur, *l. 1. §. antepenult. & penult. ff. dep. l. cum precario. 12. ff. de prec.* Quædam priorem contractum renovant, novæque conventionis jus ac nomen inducunt: veluti si in deposito commodato, mandato convenerit, ut merces præstetur: hic enim ex deposito, commodato, mandato quæ natura sua gratuita sunt, efficietur locatio & conductio, *l. 1. §. si vestimenta. 8. ff. depos. l. 5. §. 2. ff. commod.*

*l. polienda. 22. ff. de præscr. verb. §. 2. Inſt. quib. mod. re contr. obl. § ult. Inſt. mand.* Natura emptionis & venditionis est, ut premium & merx inter se commutentur, locationis & conductio, ut merces & usus rei: si convenerit, ne premium aut merces detur, donatio est, non emptio aut locatio, *l. si quis. 38. ff. de contr. empt. l. si quis. 46. ff. locat.* Natura societatis est, ut uterque aliquid conferat; si convenerit, ut alter solus conferat, alter nihil; non societas, sed donatio est, *l. 5. §. ult. proficit.*

10. Denique quædam pacta notam contractus, cui apponuntur, naturam egredientia, non tam contractum transformant, quam alterant: veluti si quis pecuniam hac lege deposuerit, ut depositario ea uti licet, & ut præstaret usuras: hæc enim conventio licet excedat depositi modum; non tamen efficit, ut res in aliud contractum abeat, *l. Lucius. 24. l. Publia. 26. §. 1. ff. depos. add. Hotom. illib. quæst. 36. & 37. Cujac. 2. obs. 15. & ad l. 7. §. quinimo. 5. & seq. ff. hoc tit. Pac. Duar. & Baron. ibid. Borchoft. cap. ultim. de pact. num. 56. & 57. Bachov. c. de pact. renovat.*

11. Explicemus nunc, quod hic locus omnino postulat, quando pactum in continenti contractui adjectum esse intelligatur. Ex continenti sive in continenti, unde Gallicum *incontinent*, locutio est Jurisconsultis familiaris, idem significans, quod sine ulla intermissione, è vestigio, illico, confessim, continuo, παρεχθῆναι αὐθινῶς, quibus opponuntur postea, post tempus, ex intervallo, ἐπειδόντες. Eum, qui cum armis venit, possumus armis repellere; sed hoc confessim, ait Ulp. in *l. 3. §. eum autem. 9. ff. de vi & vi arm.* & mox eundem, qui deject, permissum dejicere, non ex intervallo, sed ex continenti, quod Julianus in *l. qui possessionem. 17. ff. eod. dicit illico, in ipso congreſſu.* In *l. si usuras. 21. C. de usur.* in continenti dicitur facta numeratio, quæ pignoris dationem è vestigio secuta est. In *l. letta. 40. ff. de reb. cred. l. si ita. 135. §. Seja. 1. ff. de verb. oblig.* *l. 3. C. de ædil. act. pactum in continenti factum aut fecutum, est pactum contractui continuo appositum, junctumque quasi negotii quadam continuatione*

12. Continens enim inter alia Latinis idem est, quod Græcis παρεχθῆναι. Continentia urbis appellamus ædificia urbi juncta & contigua. Unde Roma etiam ea fieri intelliguntur, quæ in continentibus Romæ ædificiis fiunt, id est, in suburbis, ἐπειδόντες l. ædificia. 139. *l. mille passus. 154. l. collegarum. 173. §. 1. l. absente. 199. ff. de verb. signif.* Qui

Qui in continentibus urbis nati sunt, Romæ nati intelliguntur, l. 147. eod. Sic continentes provincias veteres dicebant, quæ Italæ conjunctæ sunt, ut Galliam & Siciliam Provinciam, quod Italæ proxime cohaerent nullo interjecto mari, l. notionem. 99. §. 1. eod. Cicero in epistolis partem Cappadocia continentem cum Sicilia facit. Carterum hæc voces, ex continenti, vel in continenti pro re subjecta aliter atque aliter accipiuntur.

13. Interdum in continenti accipere debemus ἡ πλάτη cum modico spatio & laxamento aliquo temporis, quo arbitrio judicis sit definiendum, l. 1. §. item si ita. 8. ff. ad leg. Falc. l. ratum. 13. ff. de solut. Quemadmodum & Sicilia inter continentes provincias numerantur, eo quod modico tantum freto Italia dividitur, d. l. notionem. 99. §. 1. de verb. s̄g. In lege Julia de adulteriis coercendis, qua permisum patri filiam in adulterio deprehensam una cum adultero occidere, sed in continenti, Tò in continenti sic acceptum est, ut si dum adulterum occidit, filia profugerit, patre non dissimilante, & interpositis horis apprehensa sit, & à patre, qui eam persequebatur, occisa, in continenti occisa videatur, l. quod ait lex. 23. §. ult. ff. ad leg. Jul. de adult. Interpositis horis, est οὐ νόμος ὁμοιός, post horas aliquot. ut Graci lib. 69. Basiliic. tit. 37. Interdum & quod triduo post factum est, ex continenti factum intelligitur, ut in specie l. ult. Cod. de err. adv. ut & illico fieri, quod sit intra triduum proximum, ut in l. ult. Cod. de judic. In materia defensionum Graci interpretantur in continenti εἰος δομῶν, ut ex Theodoro Hermopolite adnotavit Cujacius lib. 5. obs. 18.

14. Pacta autem ex continenti fieri dicuntur quæ fiunt in ingressu contractus, l. 7. §. quinimo. 5. ff. hoc tit. in ingressu, id est, initio contractus, l. initio. 5. Cod. de pact. int. empt. l. contractus. 23. de reg. jur. l. si alienam. Cod. de fidejuss. quæ ab initio fiunt l. 5. §. 2. ff. commod. l. Lucius. 24. ff. deposit. in fin. Græcis εἰσεγένεσθαι. Initium autem & ingressum non debemus intelligere primum contrahentium congressum de re aliqua tractare incipientium: nam quomodo pacta de re ad contractum pertinente fieri possunt, cum de re ipsa nihil dictum tractatum est? sed quæcumque ante tractantur & agitantur inter contrahentes, quibus efficitur, ut res tandem conveniat, de qua agi cœptum est, ea contractus initium recte appellamus, quia plenum in rem confessum antecedunt: item ingressum, quia sunt eiusmodi, per quæ ingredimur & per-

Vinn. Tract. Varii.

venimus ad eum consensum. Neque enim verbi causa, ut primum aliqui de re emenda vendendaque tractare inter se cooperant, ita continuo emptio inter eos contrahitur, sed longum sæpe tempus intercedit prius, quam de re conveniat, l. 8. Cod. de res. vend. Qua ratione quæ in ingressu contractus fieri dicuntur d. l. 7. §. quinimo. alibi dicuntur fieri tempore contractus, l. penult. Cod. de pact. int. empt. quia scilicet fiunt per id tempus, quo res geritur, seu in negotio gerendo, ut hoc expressis Ulpianus l. pacifici. 31. ff. hoc tit.

15. Quid ergo, an non etiam ea pacta in continenti fieri recte dicuntur, quæ negotio contracto mox sine ullo intervallo subiiciuntur? Et multi quidem hoc recte dici posse farentur secundum verbi significationem, sed negant id posse intelligi in quæstione proposita, cum scilicet, in continenti & postea sive ex intervallo, opponuntur, & sane non sine speciosis admodum rationibus. Nam primum ea pacta in continenti fieri definit Ulp. d. l. 7. §. quinimo. quæ legem contractui dant, id est, quæ sunt moderamen & temperamentum quadam contractus, sine quibus contractus initius non fuisset. At non alia pacta videntur legem contractui dare posse, quam quæ interponuntur antequam de re convenit in negotio gerendo, cum adhuc contractus est in fieri, ut possit per pactum formari, ut loquitur Castrensis in d. l. 7. §. quinimo. Contractus autem jam perfectus & absolutus non potest eorum iudicio aliam formam à pacto accipere; quia inter se pugnant, venditionem verbi causa contrahi simpliciter, & contrahi certa lege. Deinde in l. 5. Cod. de pact. int. empt. & vend. ajunt, non tantum scriptum esse, eam conventionem valere, quæ facta est initio venditionis: sed etiam additum nominativum, eam non valere ad agendum, quæ initio facta non sit. Neminem autem dicere posse pacta in ingressu aut initio contractus facta esse, quæ contractu jam perfecto sequuta sunt: licet enim statim sequantur, fieri tamen postea, id est, post contractum negotium. Quamobrem eti maxime non repugnat significationi verbi, ut dicamus etiam ea pacta in continenti adjici, quæ contractui jam perfecto è vestigio apponuntur; tamen non posse dici adiecta in ingressu, initio contractus; neque etiam in continenti ad hunc effectum, ut actionem contractus forment, legem contractui dent, eique insint & partem ejus constituant. Verum enim vero vix est, ut ego huic sententiæ acquiescere possim. Movet me in

E

## T R A C T A T U S

contrarium locus Ulpiani in d. l. 7. §. quinimo. ubi Jurisconsultus sic definit siquidem pacta ex continenti subsecuta sunt, etiam ex parte actoris insit; sive ex intervalllo. Non item. Nam his verbis, si quid ego video, satis aperte significat etiam ea pacta, quae post contractum, dummodo sine intervalllo, subjiciuntur, ex parte actoris inesse: ex adverso vero non inesse, si quid post contractum convenerit; quomodo & ipse postea hoc explicat. Et huic simile est, quod Imperatores in l. 3. Cod. de adit. att. rescribunt, posse emptorem experiti secundum fidem non modo pacti antecedentis, verum etiam in continenti secuti: ubi palam est per pactum antecedens intelligi id, quod in ingressu sive inicio aut tempore contractus interpositum est; in continenti secutum, quod mox contractui adjectum. Unde necessario consequitur, ea quoque pacta, quae in continenti subjiciuntur contractui bona fidei ex parte actoris inesse, actionemque ex contractu descendente formare, ejusque velut partem censi *alio loco*, & propter laxam benignamque horum contractuum naturam. Itaque quod dicitur in contractu aut initio contractus fieri, necesse non est sic præcise accipi, ut excludatur id, quod in continenti nullo alio actu interveniente subsequitur, & demum, quasi serio negotium bona fidei concludit. Nam & alias, quod statim perfecto negotio interponitur, veluti tutoris auctoritas, l. si quis. 25. §. jussum. 4. ff. de acq. hær. in ipso negotio interpositum dicitur, l. obligari. 9. §. tutor. 5. ff. de auct. tut. eo quod *causas*, continenter, & quasi calente adhuc negotio subsequitur, & sic etiam in solutione sive in re praesenti constitvere dicuntur, in quam causam solutum velit, qui statim atque solutum est, constituit, l. 1. in fin. ff. de solut. Neque huic interpretationi refragantur hæc verba Ulpiani in d. l. 7. §. quinimo. ff. hoc tit. ea pacta insunt, quae legem contractui dant; id est, quae in ingressu contractus facta sunt. Nam particula, id est, hoc loco non est, *causam*, sed *causas*, non definit, sed declarat, quemadmodum passim exemplis deservire solet, ut observae licet in l. si ex causa. 9. in fin. pr. ff. de minorib. l. 8. ff. de vulg. & pupill. subst. l. 3. §. ceterum. 12. ff. de acq. poss sexcentisque aliis locis, adeoque iterum in eadem illa l. 7. §. pactorum. 8. ibi: id est, ne à L. Titio petam. Perinde igitur verba ista accipienda sunt, ac si scriptum esset, ea pacta insunt, quae legem contractui dant, veluti quae in ingressu contractus facta sunt. Pacta quoque stipulationi in continenti sub-

jecta stipulationi inesse responsum est, l. lecta. 40. ff. de reb. cred. sed nimurum, quod locus iste solummodo probat, ex parte rei; ex parte vero actoris in stipulationibus, quarum stricta est natura, tantundem dicer non ausim. Sed de eo postea ex professo.

## C A P U T X.

An pacta in continenti adjecta contractibus stricti juris ex parte actoris similiter insunt, ut bonæ fidei judiciis?

1. Argumenta, quibus ostenditur, pacta, licet in continenti facta, non inesse strictis judiciis ex parte actoris.
2. Removetur obiectio quedam ex l. 1. §. quod vulgo 25. de vi & de vi arm.
3. Nullum locum in iure nostro occurrere, quo probari possit pactum mutuo aut stipulationi in continenti appositum actionem parere.
4. Cur uiræ in bonæ fidei judiciis ex pacto statim apposito debeantur, creditæ pecuniae non item.
5. Confutatio argumentorum, quibus plerique probare conantur, pacta mutuo adjecta prodeesse creditori ad actionem.
6. Respondetur ad argumentum ductum ex l. traditionibus. 48. hoc tit.
7. Non recte ex l. venditor. 13. comm. præd. colligi, pacta ex continenti facta stipulationi inesse à parte stipulatoris.
8. Explicatur l. petens. 27. C. hoc tit.
9. Sententia l. 4. §. ult. ff. hoc tit. & l. si ita quis. 135. §. 1. de verb. obl.
10. Interpretatio l. lecta. 40. de reb. cred.
11. Omnis oratio, quantumvis generalis, de his tantum accipienda, de quibus actum est.
12. Conclusio & summa præcedentis disputationis.

**Q**UÆSTIO est agitata in Academiis, an quae pacta in continenti subjiciantur contractibus stricti juris, ea perinde contractum, cui apponuntur, forment, profintque actori ad actionem, ut ea, quae in continenti adjiciuntur contractibus bona fidei. Mihi senior semper visa est sententia negantium, quam & amplexi sunt Cujac. & Bus. ad l. 7. §. quinimo. 5. ff. hoc tit. Alciat. & Donell. ad l. in bonæ. 13. Cod. eod. & novissime duo eximii Jurisconsulti Diod. Tuldenus, & Antonius Perezius in tit. Cod. eod. nec non Henr. Zœli. ad Pand. eod. n. 61. & seqq.

1. Etenim persuadere mihi non possum frustra esse, quod veteres, cum pro regula tradunt, pacta in continentia facta ex parte actoris inesse, nominatum addunt, in bonæ fidei judiciis, *d. l. 7. §. quinimo. l. in bone. 13. Cod. eod.* Quorsum enim hæc adjectio in bonæ fidei judiciis, nisi ut intelligamus in strictis judiciis non idem juris esse? Non licet hic dicere Jurisconsultum in *d. l. 7. §. quinimo. s. & seq.* exempli dyntaxat causa mentionem facere judiciorum bonaæ fidei, non quia aliud juris sit in judiciis strictis: quoniam cum variis exemplis rem illustrat, nullam tamen profert, nisi judiciorum bonaæ fidei. Sic cum dicitur, in bonæ fidei contractibus usuras ex mora deberi, *l. mora. 32. §. 2. ff. de usur.* hoc significari constat, deberi in hisce judiciis tantum; non etiam in judiciis stricti juris: quippe in quibus non debentur, nisi in stipulationem deducatur, *l. Titius. 24. ff. de præscr. verb. l. 3. Cod. de usur.* Similiter cum dicunt Consulti exceptiones pacti & dolii inesse bonaæ fidei judiciis, *l. 3. ff. de res. vend. l. sed & si. 21. in fin. ff. sol. matr.* Hoc eos dicere intelligimus, in his solum inesse, in strictis non item: quoniam in strictis exceptions non veniunt, nisi nominatum contestatae, *l. si quidem. 9. l. ult. C. de except.* Denique supervacuum & ineptum esset de bonaæ fidei judiciis nominatum addere, si pacta in continentia facta pariter inessent omnibus contractibus, quibus subjiciuntur.

2. Plane non nego interdum de certis rebus nominatum aliquid pronunciare, quod tamen tanquam *mea de qua nō nō* prolatum, etiam de rebus aliis accipi oporteat: veluti quod vulgo dicit. Jurisconsultus in *l. 1. §. quod vulgo. 25. ff. de vi & de vi arm.* scribit, saltuum hibernorum & aestivorumque retinere nos animo possessionem. Id enim ait exempli tantum causa Proculum dixisse: ceterum idem esse in praediis omnibus, ex quibus non hac mente recessimus, ut possessionem omittamus. Sed quod hæc definitio concepta sit de saltibus hibernis & aestivis, hoc eam rationem habet, quia eos certis temporibus relinquere solemus, *l. 3. §. saltus. 11. ff. de acq. poss.* quod in aliis praediis ita fieri non solet. Eadem tamen omnium ratio est, quod attinet ad possessionem animo retinendam: cum judiciorum bonaæ fidei & stricti juris in re proposita ratio longe sit diversa.

3. Postremo nullus in libris nostris locus occurrit, quo probari possit, pactum mutuo aut stipulationi quantumvis in continentia appositorum, actionem parere, contra-

ctibus istis legem dare, actionemve eorum formare, ita his inesse, ut ex eo aut ex contractu, cui apponitur, agi possit ad id, quod pacto comprehensum est, angere aut extendere verborum aut pecunie creditæ obligationem. Proponamus me stipulatum esse fundum dari & deinde convenisse in continentia, ut ad fundum accederet familia rustica aut boves aratorii; nam pactum stipulationi apponi non potest, nisi post responsive; cum id quod verbis ipsis continetur, pars sit stipulationis. Ajo familiam rusticam bovesve aratorios neque ex pacto neque ex stipulatu peti posse; ut pactum factum sit statim & subjectum stipulationi. Ratio est, quia natura stipulationis hæc est, ut quoniam verbis, non solo consensu fit, pro omisso habeatur, quidquid padam verbis non est expressum, *l. quicquid. 99. ff. de verb. oblig.* Similiter si tibi centum dederem mutuo, & in dando hanc legem adjecterim, ut præter centum mihi redderes & alia quinque: nihil agitur hoc pacto. Dices hoc pactum ideo non valere, quia de re obligatio contrahi non potest ultra quam datum, *l. si tibi. 17. pr. ff. hoc tit.*

4. Sed cur pacto in continentia adjecto non idem hic efficitur, quod interposita stipulatione? Usuræ in bonaæ fidei judiciis etiam ex pacto statim apposito debentur, *l. cum quidam. 17. §. ex locat. 4. ff. de usur. l. 5. Cod. de pact. int. empr. creditæ pecunie non item l. 3. Cod. de usur.* Cur tam varie? An quia usuræ odiosa? At hac ratione efficeretur, ut ne in bonaæ fidei quidem judiciis usuræ ex pacto peti possent, per *l. quod si locus. 11. ff. de religiof. l. 7 ff deserv. export.* & quid si convenerit, ut usuræ unciae dyntaxat, aut sextantes præstentur? Denique non à favore vel odio, sed ex eo, quod pacta vel insunt, vel non insunt, quætitio hujus decisio perenda: fieri enim non potest, quin ubi pactum contractui inest, partemque ejus constituit, ex ratione juris actio quoque ex eo contractu ad petendum quod pacto comprehensum est, competit. Non alia igitur hic quærenda ratio, quam quæ à Paulo redditur *lib. 2. sentent. 14.* scilicet quia ex nudo pacto inter cives Romanos actio non nascitur. Quibus verbis manifeste significat, nulla pacta mutuo adjecta inesse ex parte actoris, eive prodefse ad actionem, utpote quæ in partem hujus contractus transfire nequeant; & ideo effectu manere nuda. Contractuum vero bonaæ fidei alia ratio est, & eorum maxime, qui solo consensu perficiuntur: nam et hi contractus solo consensu constant, ita &

omnem consensum, tanquam naturae sua convenientem admittunt: ac de his potissimum hic agi exempla declarant. Occurrunt quidem & exempla pactorum, quae in contractibus bona fidei, qui re perficiuntur, interposita & ipsa his contractibus insint; ceterum praeter exemplum de usuris in deposito irregulari, *l. Lucius.* 24. ff. *depos.* non alia quam quae circa præstantiones horum contractuum sunt; veluti ut in deposito culpa quoque præstetur, ut in commodato aut pignore dolus duntaxat, aut praeter dolum & culpam etiam casus fortuitus, *l. 1. §. si convenit.* 6. ff. *depos.* *l. 5. §. 2. ff. commod.* *l. 1. Cod. eod.* *l. quæ fortuitis.* 6. *Cod. de pign. att.* cuiusmodi tamen pactis locus esse non potest in mutuo. Argumentorum, quibus hæc sententia oppugnatur, & contraria adstruitur; magna est copia, ceterum vix unum & alterum, quod stringat. Congessit ea Joh. Goeddæus *tract. de contr. & commit. stipul. c. 8. concl. 2.* ubi magno molimine conatur probare etiam in contractibus strictis pacta ex continentia facta inesse à parte actoris actionemque verbi causa ex stipulatu aut conditionem certi formare: quæ & DD. communis est opinio, probata quoque Hotomanno *illustr. quest. 36. & 1. amicab. resp. c. 31.* Duarenio & Ant. Fabro in *l. 7. §. quinimo.* 5. ff. *hoc tit.*

5. Primum videbimus, an ita se res habeat in mutuo. Affertur hic pro firmamento istius assertionis textus in *l. 3. ff. de reb. cred.* ubi Pomponius ait, in mutuo eti cautum non sit, ut æque bonum reddatur, tamen non licere debitori deteriore rem, quæ ex eodem genere sit, reddere. Ex quo colligunt, si hoc cautum sit & tale pactum mutuo adjectum, id ex parte creditoris inesse, eique prodesse ad actionem. Ridicule. Nihil enim illa cautio addit mutuo: quippe cum ut res eadem bonitate reddatur, qua data est, naturæ ipsius mutui insit crita ullam aliam conventionem, ut ipse Pomponius hoc explicat, ait Goeddæus posse mutuum contrahi cum pacto depositi, idque probari existimat per *l. quod s. 10. ff. de reb. cred.* ubi ramen inversus casus proponitur, nempe pecunia deposita sub lege mutui, ut liceret depositario, si velit, ea uti. Sed ponamus me tibi centum mutuo dedisse ea lege adjecta, ut si non utaris, sint apud te deposita; nihil hoc ad presentem disputationem pertinet: nam ex hujusmodi pacto non novam induit mutuum qualitatem, non formatur actio, non extenditur obligatio pecunia creditæ, nec ob id agi potest ex mutuo, ut vel utatur debi-

tor pecunia, vel eam habeat apud se depositam: sed si, quod ei liberum, utatur, mutuum erit, si non utatur, depositum. Non majoris ponderis est argumentum petitum ex *l. aut mutua.* 6. ff. *de eo quod cert. loc. posse nimis me pecuniam mutuo dare ea lege,* ut solvatur certo loco: nam hoc pacto non extenditur actio, sed potius restringitur, & hoc efficitur, ut ne debitor possit alibi conveniri. Utique non ea est hujus pactionis vis, ut quis actione aliqua compelli possit ad solutionem illo loco faciendam.

6. At enim generaliter, ajunt, definito est, in traditionibus rerum, quocumque pactum sit, id valere, *l. in traditionibus.* 48. *hoc tit.* Ergo valet, inquit, & pactum quodvis adjectum mutuo. Respondeo cum Bachovio, id non aliter procedere, quam si datio & traditio sit irrevocabilis; cuiusmodi est in iis, quæ constituunt contractum innominatum. Cum enim rem meam in aliud pleno jure transfero, æquissimum est, ut rem accipienti eam, quam velim, legem dicam, eaque firme custodiatur. Deinde procedere hoc in dationibus & factis informibus, & quibus ipsa pacta adjecta dant formam: quod item accedit in contractibus innominatis, quia à pacto dationi adjecto formam accipiunt. Male itaque dicta regula applicatur pactis, quæ apponuntur contractibus formam certam à jure habentibus, & præterea dationem traditionem revocabilem, aut talem utique, pro qua aliud æquivalens præstetur; quibus ut pacta quævis utiliter apponi admittamus, ratio juris civilis non patitur. Finge mutuum mihi hac de lege datum esse, ut curem negotia creditoris, ut tabulam eipsgam, ut pro eo Romam eam, non existimo his pactis me firmiter obstringi; maxime cum mutuum natura sua sit gratuitum, & hujusmodi pacta in fraudem legum de usuris fieri possint. Nec dubito, quin falsa sit sententia Ant. Fabri in *l. 7. §. quinimo.* 5. ff. *hoc tit.* affirmantibus omnibus hisce casibus actionem præscriptis verbis competere quasi ex contractu do ut facias. Nam ubi pecunia non ita mihi datur, ut mea perpetuo maneat, ibi dici non potest esse contractum do ut facias. Si commodato talem legem adjecero, ut commodatarius tabulam mihi pingere, numquid ridiculum esset, mihi ex tali pacto actionem concedi? Denique tota hæc disputatio est de pactis actionem ipsius contractus, cui apponuntur, formantibus & extendentibus, eamque ipsam porrigitibus eriam ad id, quod pacto comprehensum est.

7. Sed fortassis procedit ista opinio in

pactis adjectis stipulationi. Urgent hic Hotomannus & Goeddæus verba Ulpiani in *I. venditor.* 13. ff. comm. præd. personæ possidentium per stipulationis vel venditionis legem obligantur, quasi his verbis id significaret Jurisconsultus, obligari possidentes per pactionem stipulationi aut venditioni adiectam. Atqui species ipsa illic proposita hanc interpretationem non patitur: nam unus tantum casus proponitur de venditore fundi dante legem alii fundo, quem retinebat. Itaque quod subjicitur, possidentium personas obligari per stipulationis vel venditionis legem; id non eum sensum habet, quem Hotomannus & Goeddæus putant, sed hunc, obligari eos per stipulationem vel pactionem venditioni adiectam, sive per legem stipulatione vel pacto venditioni datum. Non enim pactio solum, sed etiam stipulatio statim contractui adiecta lex dicitur, *I. legem.* 9. Cod. de donat. Cujac. 8. ad African. in *I.* 24. ff. de præser. verb.

8. Mirifice autem sententiam suam juvari putant rescripto Imperatorum in *I. petens.* 26. Cod. hoc tit. nam illic ita scriptum est: *Perens ex stipulatione, qua placiti servandi causa secuta est, seu antecessit pactum, sive post statim interpositum sit, recte secundum se ferri sententiam posularat.* Hic Hotomanus, quid aliud est, inquit, potenter ex stipulatione, qua pactum antecessit, audiendum esse, nisi actionem ex stipulatione, cui pactum in continentis subjectum est, competere? Denique ad actionem procurandam nihil interesse, utrum ante, an post stipulatio facta sit. Sed non videtur Hotomanus satis pensiculare rescriptum illud examinasse. Verba ipsa ostendunt agi illic de eo casu, quo quid petitur ex stipulatione, qua placiti servandi causa secuta sit, sive de stipulatione facta pacti confirmandi gratia. Et hic ajunt Imperatores nihil referre, utrum pactum præcesserit, an post statim interpositum sit. Prima facie hac inter se pugnare videntur: quomodo enim fieri potest, ut stipulatio sequatur pacti ejus servandi causa, quod ipsum demum post stipulationem interponatur? Et certum est eodem sensu ac ratione utrumque simul statui non posse: at diversis rationibus potest. Nam quæ stipulatio præcedit tempore vel scriptura, ea nihilominus recte dicitur sequi, nempe natura & intellectu, ut bene Cujac. 10. obs. 24. Donell. ad hanc *I.* 27. Cod. de pact. Quippe in concipiendo pacto & stipulatione, de quibus agitur, duplex ordo est; naturalis unus, quem sibi proponit mens & cogitatio contrahentium; alter

scriptura, quo duo ista in instrumento scribuntur. Ordine naturæ stipulatio omnis, qua adhibetur pacti servandi causa, semper sequitur: prius enim est, ut sit pactum, quam ut firmetur stipulatione. At scripturæ ordo inverti potest, ut incipiatur à stipulatione hoc modo: *Quæ infra scripta sunt, ea sibi dari fieri stipulatus est Publius Mævius, spopondit Lucius Titius. Quæ autem inter se pepigerunt, ea sunt, quæ sequuntur, &c.* Hoc vero cum sit, locus est huic rescripto. Et nimis igitur temere Hotomannus pronuntiat, ineptissime in hoc rescripto legi secuta, pro facta. Quod autem exigunt Imperatores, ut pactum statim post stipulationem interponatur, id non exigunt propter stipulationem, sed propter pacta quæ sequuntur, ut sciatur, utrum ad præcedentem stipulationem pertineant, neque.

8. Ad hæc non leve momentum ad sententiæ sue confirmationem reperiisse se existimant in *I.* 4. §. ult. ff. hoc tit. & *I. si ita quis.* 135. §. 2. ff. de verb. obl. Sed neque in his locis cur aliquid præsidii sibi positum putent, justam causam habent. Nam quod ad *d. I. 4. §. ult. ff. hoc tit.* attinet, sive casum ita formemus, ut ponamus stipulationem fortis & usurarum præcessisse, ac mox huic stipulationi pactum subjectum de non pertenda forte, donec usura solverentur: sive cum Accursio dicamus præcessisse conventionem, quam secuta sit stipulatio, in qua tamen præcedens conventionis repetita videatur, juxta *I. Titia.* 134. §. 1. ff. de verb. obl. neutrum efficit, quod volunt. Nam nec ulla hic quæstio est, an pacta derahentia à parte rei insint, reoque ipso jure defensionem parent in continentis stipulationi adiecta, quale proponitur in *d. I. 4. §. ult.* sed an pacta adjicientia & augentia obligacionem insint à parte auctoris, eique profint ad actionem: nec ille casus huc pertinet, cum non pactum stipulationi, sed stipulatio pacto subjicitur. Atque ad hanc eandem rationem frustra quoque sibi opem querunt in responso Jurisconsulti in *d. I. si ita.* 135. §. 2. ff. de verb. obligat. quippe cum nec in specie illic proposita conventione pertineat ad obligationem acquirendam augendamve, sed duntaxat ad temperandam conditionem; stipulationis; atque hanc solummodo vim habeat; ut non possit aut Titius hortos, aut Seja pecuniam ante diem petere.

10. Unus maxime locus sententiæ eorum opitulari videtur, nempe *I. lecta.* 40. ff. de reb. cred. Nam et si Paulus illo loco non hoc dicit, pacta in continentis stipulationis

facta ad actionem prodesse ( nihil enim hoc ad questionem illic propositam pertineret , cum agat ille de eo pacto , quo pactus erat creditor , non ut peteret , sed contra ne peteret solidam sortem , quæ prius ex stipulatione debebatur , quod genus pacti ex parte creditoris valere ad agendum natura sua non potest ) tamen hoc etiam admittere nos oportet , Paulum , cum ait pacta in continentि adjecta stipulationi inesse , eo dicto nihil aliud significare , quam pacta in continentि facta ex stipulatione esse , esse partem stipulationis , denique stipulatione contineri ; quod intelligetur ex questione illi proposita . Promissa erat sors tota Calendis cum usuris totius sortis . Pactum secutum est ex continentि ut sors non iam tota solveretur Calendis , sed particulatum constitutis certis pensionibus in singulos menses . De usuris quærebatur , an si tota sors ex conventione soluta non esset Calendis , nihilominus totius sortis usuræ deberentur . In hac questione ut efficiat Paulus totius sortis usuras non deberi , sed ejus tantum pensionis , quam solvi oportuit , propositum illi est ostendere superiore pacto recessum esse à stipulatione sortis , non per exceptionem , ut quidam putabant , sed ipso jure , quasi eo pacto renovara sit præcedens stipulatio , id est , quasi secundum hoc pactum stipulatio sortis ab initio fuerit concepta . Utitur hoc argumento , quod hoc pactum stipulationi inesse videatur . Ex quo intelligitur Paulum hoc dicere , pacta in continentि facta stipulatione contineri . Hoc autem si verum est , consequens est contra quam dicebamus , si quod pactum in continentि secutum est stipulationem , actionem eo nomine nasci ex stipulatione : quandoquidem ex stipulati actione competit de iis rebus , quæ stipulatione continentur . De quo ut jam respondeam , non nego hoc ipsum significari à Paulo , si quis generaliter dicti sequi velit , non mentem intueri & sententiam scriptoris : sed verbum generis restringendum est ad id , de quo illuc est sermo , & dictum ita accipendum , pacta , nempe talia , quale hoc est , de quo nunc agitur , id est , quæ sunt de ea re , quæ in stipulationem dœducta est , ea pacta si in continentि seu è vestigio sequantur stipulationem , stipulatione contineri videntur . Quo declarat per ea ita renovatam videlicet stipulationem , ac si in verba eorum à principio stipulatio esset concepta : id enim fieret , si ea stipulatione continerentur . Quod si pactum erit de alia re , quam quæ in stipulationem deducta est , haud dubie non continebitur illud sti-

pulatione : nam quomodo contineri potest , quod verbis stipulationis non est comprehensum ? *I. quidquid. 99. ff de verbor. obligat.* Neque hæc inter se pugnant . Multum enim interest , utrum obligationi quid detrahatur , ut in specie Paulo proposita factum est , an aliquid adjicias ; & in re , quam adjicis , utrum conditio sit aut dies , aliave qualitas , an vero sit res & corpus novum , quod amplius promittas . Conditionem stipulationis mutare possumus , manente stipulationis substantia , quæ ex re promissa constat , dummodo diversitas illico placuerit . *I. 1. §. 3. d. tit.* Novam autem stipulationem constituere , aliam atque aliam rem promittendo sine verbis , id est , sine interrogatione & responsione non possumus .

*11. Hæc interpretatio ex mente Pauli defendenda est , quia placeat orationem omnem , quantumvis generalem de his tantum accipiendam esse , de quibus actum est , ut innumeris locis ostendi potest *I. qui cum. 9. §. u/t. ff. de transact. I. si de certa. 31. Cod. eod. I. de eo. 12. §. ff. ad exhib. I. ingenuum. 25. ff. de stat. hom. I. si procurator. 35. ff. de acq. rer. dom. § fratri. 3. Inst. de nupt.* Quidam putant pactum in superiore specie prodesse etiam creditori ad actionem , nimirum ad petendas pensiones singulas earumque sua die non solutarum usuras . Sed male . Nam creditor , qui totius sortis actionem ex stipulatione habuit , utique habuit & singularum partium actionem : itaque hanc ex pacto non desiderat . Neque potest pactum hic propositum per rerum naturam proficere creditori ad aliquid perendum : quomodo enim posset actio esse ex ea conventione , quæ non ad obligandum promissorem interposita , sed ad liberandum non ut quid detur , quod prius dari non debuit , sed ut de eo , quod datum oportuit , aliquid remittatur ? Tantum quæstio erat , an pacto isto etiam à stipulatione usurarum recessum esset , solutio quoque usurarum dilata ac divisa . Si verba spectamus , non videtur ; si vim ac potestatem , contra . Nam cum ita paciendo sortis solutionem distulerit & divisoriter creditor , consequens omnino est , ut etiam divisisse intelligatur solutionem usurarum .*

*14. Ut summatim dicam , quæcumque pacta sunt de eadem re , quæ stipulatione comprehensa est , sive hæc detrahant aliquid de summa præcedente , sive detrahant stipulationi diem aut conditionem , sive hæc duo stipulationi adjiciant , omnia sunt hujusmodi , ut si in continentि , id est , statim & sine intervallo stipulationi subjiciantur , re-*

Etē dicantur stipulationi inesse : atque his pactis ita renovatur ipso jure stipulatio , ut quod pacto detrahitur , perinde sit , quasi nec in stipulationem venisset , sive summa detrahatur , sive dies aut conditio : cum autem dies aut conditio adjicitur , ut perinde sit , ac si à principio hoc stipulatione comprehensum esset. Intelligi autem debet omnia hac pacta esse hujusmodi , ut his aliquid detrahatur de comprehensione stipulationis : nam & tunc , cum dies aut conditio adjicitur , revera aliquid detrahitur stipulationi , scilicet totum illud medium tempus , quod diem aut conditionis eventum antecedit ; cum aliqui statim pecunia peti potuerint. Hoc intellecto recte dicemus pacta omessa stipulationi ipso jure detrahere ; seu efficere , ut quod in his ex continent factis stipulationi detrahitur , nec deductum in stipulationem videatur , detracto sine intervallo consensu , quamvis verbis manentibus. Quod si pacta obligationi adjicient , id est , de alia re præstanta facta erunt , quam de ea , quæ stipulatione continetur , hæc ita stipulatione inesse non possunt , ut his subjectis ex stipulatione agi possit , arg. l. quidquid 99. ff. de verb. oblig. Hæc ferme summa est eorum , quæ in hanc sententiam fuse disputantur à Doneilo in d. l. lecta. 40. ff. de reb. cred. n. 23. & seqq. add. Cujac. in l. si ita. 135. ff. de verb. oblig.

## C A P U T XI.

Quænam actio detur ad petendum id , quod pacto in bonæ fidei contractu interposito caucum ?

1. Ex pacto in bona fidei contractu interposito non altam actionem dari , quam ejus contractus , cui appossum.
2. Refelluntur Baldus & Duarenus , qui etiam præscriptis verbis dari existimant.
3. Species l. Labeo. 50. de contra. empt.
4. Baldi & Duareni sententiam juvari l. 6. resp. vendit. & l. 2. Cod. de pact. int. empt.
5. Cur recipi nequeat eorum opinio , qui putant particulam vel in d. l. 2. esse correlative.
6. Ex pactis , quæ tendunt ad dissolutionem contractus , cui adjiciuntur , actionem & ex contractu dari , & præscriptis verbis.
7. Falsum esse ostenditur , quod qui iam existimant non posse ex eodem negotio competere duplarem actionem , quia unum una sit bona fidei , altera stricti juris.

8. Movetur difficultas ex l. 4. de leg. commiss. & l. 16. de in diem addict.
9. Bachovium , dum hinc se expedire conatur , subtilem agere.
10. Non pugnare d. l. 4. & d. l. 16. cum sententia tradita n. 6.

1. Q UÆ hic nostra sit sententia , ex iis , quæ superioribus capitibus differimus , facile intelligi potest. Diximus illa pacta duntaxat inesse quæ convenienter nature contractus , quæve pertinent ad præstations ejus & administracula ; atquæ hæc in continent facta actionem bonæ fidei contractus formare , eamque extenderi etiam ad petendum id , quod pacto cautum est. Et igitur hic ex contractu agitur , neque alia actio ex his pactis danda videtur , quam ejus contractus , cuius in continenti apposita sunt. Nam quod Baldus in l. 7. §. quinimo. hoc tit. n. 4. & Duarenus ibid. duas ex hujusmodi pactis actiones competere volunt , alteram informatam per pactum , que sit ipsius contractus ; alteram præscriptis verbis , quæ nascatur immediate ex pacto , id mihi neutrum probari potest.

2. Est enim constanter traditum , ubi actiones usitatæ & nominatae competunt , non esse locum actioni præscriptis verbis , sed ad hanc demum decurri illis deficientibus l. 1. l. 2. l. 3. ff. de præscr. verb. itaque si , verbi causa , tibi vendiderim partem insulæ , ut partem alteram conductam in aliquot annos haberes , aut insulam vendiderim , ut alteram reficeres , aut vendiderim præmium ita ut usuras , propter quas erat obligatum , penderem , cum ex omnibus his pactis actio sit ex vendito aut empto , l. fundi. 79. ff. de contr. empt. l. 6. §. 1. ff. de act. empt. l. ex conventione. l. l. Cod. hoc tit. actio propria contractus , cui inserta sunt , præscriptis verbis ex his non dabitur , idemque de ceteris contractibus bona fidei , quorum in continenti pacta facta sunt , dicere licet. Atque hoc certo quoque colligitur ex verbis Ulpiani in d. l. 7. §. quinimo. 5. hoc tit. Nam si pacta ex continenti interposita haec tenus solum operantur , quatenus contractui insunt & formant actionem ex contractu descendenter , non poterit ex his competere actio præscriptis verbis ; quippe cum eatus nec insint , nec actionem forment : quatenus enim insunt , parrem faciunt contractus , cui apponuntur. At actio præscriptis verbis est actio nova , quam producere non alia ratione hæc pacta possunt , quam quatenus & ipsa constituerent contractum in nomine u.n. ut ipsi contractus formati prolationibus & factis haberentur , quod ab-

surdum est, eoque posito quævis etiam pacata utilia forent, quod itidem ineptum esse super demonstravimus.

3. Nihil pro dissentientibus facit *I. Labeo. 56. ff. de contr. empt.* Nam ut recte Bachovius animadvertis, non agitur illic de pacto aliquo venditioni puræ adjecto, sed de venditione contracta sub conditione, quod etiam locus ipse satis ostendit. Proponitur bibliotheca vendita sub hac conditione, si decuriones Campani locum emptori vendidissent, in quo eam poneret. In hac specie si per decuriones Campanos non stet, quo minus conditio impleatur, Labeo actionem praescriptis verbis dat, ad id videlicet, ut emptor aut impletat conditionem, aut venditori præstet, quod ejus interest conditionem impleri. Ulpianus autem dat etiam ex vendito ad petendum pretium, tanquam purificata conditione, eo quod per emptorem stabat, quo minus impleretur.

4. Præcipue vero moti videntur Baldus & alii *I. 2. C. de paet. int. emp. & vend. l. 6. ff. de rescind. vend.* quarum in altera proponitur fundus hac lege venditus, ut vendorio quandoque pretium referenti restituueretur; in altera, si res quæ venit, intra certum tempus displicuisse, redderetur; atque utroque casu conceditur vel actio ex empto, vel in factum praescriptis verbis.

5. Hic ergo probare non possum, quod à quibusdam responderetur ad *I. 2. C. de paet. int. emp.* particulam vel eo loco non disjungere, sed corrigere: nimirum verba hæc Imperatoris Alexandri, *actio praescriptis verbis, vel ex vendito tibi dabitur*, non ita esse accipienda, quasi hic duas actiones Imperator concederet, quarum alterutra vendorio pro arbitrio uti posset: sed posteriorem dumtaxat ex vendito. Hoc pueri credant: viris autem id persuaderi posse non existimo. Apud Paulum Alexandri consilium in *d. I. 6. ff. de resc. vend.* converso modo scriptum est duas actiones ex pacto illic proposto & emptioni adjecto competere, ex empto, aut proximam empti in factum. Quid ergo hic respondebunt? Si quis dixerit particulam aut apud Paulum simili modo esse correctioriam, non *aliqua vel*, is solam admiserit actionem in factum praescriptis verbis, non ex empto: fin minus, fateatur utramque in specie Paulo proposita competere. Apud Pomponium ex sententia Celsi relatum est, si iusserim liberum hominem, qui bona fide mihi serviebat, aliquid facere, vel mandati cum eo, vel praescriptis verbis experiri me posse *I. is qui 13. §. 2. comm.* Quod si hic particula vel corrigendi vim habet, praescriptis ver-

bis dumtaxat, non etiam mandati experiri potero.

6. Quid ergo dicimus? nimirum in praeditis locis proponi casus singulares, & pacta ejusmodi, quæ tendunt ad dissolutionem contractus, cui adjiciuntur s; quod cum sit, apud veteres sit dubitatum, an etiam actio ex contractu danda esset: exempli causa, an etiam de eo pacto actio ex vendito danda, quod venditionis distrahendæ gratia apposatum est, nam certo jure jam olim admissa hic fuit actio praescriptis verbis. *I. si vir uxori. 12. ff. de præscr. verb.* & placuit tandem etiam ex vendito agi posse, ita tamen, ut & altera adhuc manferit, atque in arbitrio pacientis jam sit, utra in hujusmodi casibus experiri velit.

7. Quod vero quidam existimant ne his quidem casibus cum actione ex contractu concurrere posse actionem praescriptis verbis, neque fieri unquam posse, ut ex eodem negotio & actio, verbi causa, ex vendito detur, & actio praescriptis verbis, propterea quod illa bona fidei, hæc stricti juris sit, id ego falsum esse non dubito. Nihil enim impedit, quo minus ex causa emptio-nis, locationis, mandati, societatis, tutela, negotiorum gestorum utar conditione certi, quæ stricti juris est *I. 3. §. 1. l. 9. pr. & §. 3. ff. de reb. cred. l. in duobus. 28. §. exceptio. 4. ff. de jurejur.* quamvis etiam ex empto, locato, &c. agere possim. De commendo, deposito, pignore idem dicendum est. *I. 4. §. 1. & d. l. 9. §. 3. ff. de reb. cred.* Et est extra pecuniam numeratam hic etiam locus conditionis triticiariae. *I. 1. ff. de cond. tritic.* Nulla autem conditionis propriæ dicta, nempe qua aliquem nobis dare oportere intendimus, actio est bona fidei. Et quidni debitor soluto debito pignus condicere queat conditione sine causa? *I. 4. §. 1. ff. de reb. cred.* Sic in specie *I. 2. ff. de cond. sine caus.* locati actio cum conditione sine causa concurrit in *I. ex empto. 11. §. is qui vina. 6. ff. de act. empt.* actio ex empto cum eadem conditione sine causa.

8. Sed hic nobis occurrit ex *I. 4. ff. de leg. commiss. & l. Imperator. 16. ff. de in diem addict.* quibus & ipsis locis de iis pactis agitur, quæ spectant ad dissolutionem contractus, cui applicantur; & tamen non alia actio illic conceditur, quam ejus contractus, in quo sunt interposita. Etsi autem hoc sententiam nostram juvat, quatenus defendimus ex pactis in continentis adjectis non aliam actionem dari, quam ejus contractus, cuius in continentis facta sunt; tamen alia parte nobis adversatur, quatenus dicimus ex pactis resolutoriis, quæ tendant ad contractus.

contractus, cui apponuntur, rescissionem, utramque actionem competere, & præscriptis in factum verbis, & eam, quæ sit ex contractu. Hic

*Pauci, quos æquus amavit*

*Jupiter, &c.*

expedire se potuerunt.

9. Bachovius Jurisconsultus subtilissimus, non tamen tam suæ sententiae adstrutor, quam destructor alienæ, existimat esse iterum aliquid singulare in casibus, qui referuntur d. l. 16. ff. de in diem add. & d. l. 4. ff. de leg. commiss. propter quod ex ipsis pactis, utut resolutoriis, una dumtaxat actio, eaque ex contractu, cui sunt apposita, detur non etiam præscriptis verbis: & nimis ideo, quia actio præscriptis verbis non datur, nisi in id, quod interest impletum esse, de quo convenit: cui consequens sit, ubi potestate legis impletur, quod in conventionem deductum est, ibi cessare actionem præscriptis verbis; idque evenire in lege commissoria & additione in diem, si pecunia sua die soluta non sit aut melior sit allata conditio; utpote quibus casibus ipso jure, & sine ulla actione contractus resolvitur. l. 1. l. 5. ff. de leg. commiss. l. 2. pr. l. 4. §. 3. l. 9. ff. de in diem addit. Quod si porro quis objiciat, resoluto ipso jure contractu, ne actioni quidem contractus locum esse posse, respondet hanc quidem rationem fuisse dubitandi, quasi dominio ipso jure ad venditorem reverso res vindicanda sit: obtinuisse tamen, ut actio contractus daretur; quia utique semel intercessit & intermedio tempore vere substituit: & maxime ob præstationes personales, quæ in iudicium vindicationis commode venire non possunt.

10. Cæterum etsi hæc à viro ingenioso subtiliter disputatione; mihi tamen longe verisimilius esse videtur, quod veteres etiam in casibus. d. l. 4. ff. de leg. commiss. & d. l. Imperat. 16. ff. de in diem addit. & similibus ad rescindendam venditionem pertinentibus, tantum admiserint actionem præscriptis verbis. Patet hoc ex l. si vir uxori. 12. ff. de præscr. verb. cuius responsi auctor est Proculus, vetus juris conditor. Neque difficilis est ad d. l. 4. & ad d. l. 16. responsio; nempe etsi quidam existimaverint, etiam ex vendito ipsis casibus agi posse, & secundum eos quæstio decisæ sit reascriptis Imperatorum Antonini & Severi. d. l. 4. nihilominus tamen mansisse adhuc actionem præscriptis verbis, quæ certo jure jam antea datur. Atque hujus rei certissimum argumentum est, quod & Paulus in d. l. 6. ff. de resp. vend. & Alexander in d. l. 2. C. de pact.

*Vinn. Tratt. Varii.*

in empt. & vend. postquam jamdiu quæstio decisæ esset ab Antonino & Severo, utramque actionem nihilominus concederint: ut existimare licet non illud quæstum fuisse, an prædictis casibus ex vendito tantum agi oportet, sed an posset etiam agi ex vendito, cum certo jure agi posset præscriptis verbis. Consent. Don. in d. l. 2. Cod. de pact. int. empt. Zoef. ad Pand. hoc tit. n. 64. Tota autem hæc & superiorum aliquot capitum disputatio hodie supervacua & plane inutilis est: nam cum hodiernis moribus pactorum omnium deliberato initiorum non minor sit vis & efficacia, quam quæ stipulationis jure Romanorum fuit, consequens est, nec minorem eorum esse vim, quæ ex intervallo, quam eorum, quæ in continentia facta sunt: nec quicquam referre contraria stricti juris, an bonæ fidei, sive ex continentia, sive ex intervallo apponantur: denique superfluum nunc esse querere, qua actione petendum, quod pacto comprehensum est.

## C A P U T XII.

### De Pactis tacitis.<sup>3</sup>

1. *Illata & inventa in prædium urbanum, pignori esse locatori, quasi id tacite convenierit; in rusticis prædiis contra observari, & quare.*
2. *Explicatio. l. 3. in quib. caus. pign. tac. contr. & l. 4. §. 1. eod.*
3. *Sententiam Justiniani in §. item Serviana. Inst. de actionib. à Theophilo recte expressam.*
4. *Locus Ulpiani in l. 14. §. 1. de relig. & sumpt. fun. explanatur.*
5. *Non cohaeres §. 1. l. 7. in quib. caus. pign. tac. cum principio.*
6. *Quid novi constituerit Justinianus l. ult. C. in quib. caus. pign. tac.*
7. *An ad obligationem illatorum in prædium rusticum sufficiat illata esse voluntate domini, cum examine l. 5. C. de locat.*
8. *An tacito hoc pignore etiam afficiantur res minoris 25. annis, quas ille incio curatore in ædes conductas intulit.*
9. *An lex taciti pignoris locum habeat & in libris à studiois importatis.*
10. *Qui chirographum debitori reddit, tacitè pactus intelligitur, ne petat: & consequenter etiam pignus remisissè.*
11. *Pignoris redditu non eadem ratio, & quare.*
12. *Redditio pignore an & quando obligatio pignoris remissa videatur.*

13. *Quid juris si instrumento, quod redditum est, alias quoque sit obligatus.*
14. *Refertur communis D.D. sententia, assentientium etiam unius ex pluribus ejusdem debiti chirographis redditione censeri obligationem remissam, eorumque argumenta.*
15. *Refellitur hæc sententia, & argumentis à Bartolo adductis occurritur.*
16. *Respondetur plenissime ad singula argumenta prolatæ à Bachovio.*

**S**ATIS jam contemplationibus Academiæ cis indultum est: quæ porro sequuntur, ea non minus in foro, quam in scholis usum habent, & ubivis locorum etiam praxim exercentibus hodie utilia sunt. In pacificando nulla desideratur solennitas, sed sufficit quocunque modo pacientes consentire vel expresse sermone, & tractatu inter praesentes habitu, aut per epistolam nuntiumve inter absentes; vel tacite nullo tractatu habitu. *I. 2. hoc tit.* Hinc nata pactorum hæc divisio, quod quædam sint expressa, quædam tacita. Pactum expressum est, quo aut verbis aut per epistolam nuntiumve voluntas pacientium significatur: tacitum, cum nihil eorum intervenit: cuius eadem tamen vis est, quæ expressi. *I. 2. & 2. seqq. ff. hoc tit.* Tacita conventione sive consensus tacitus vel lege tantum presumitur intervenisse, habetque locum etiam in iis, qui nihil tale cogitant; quomodo inventa & illata in prædiis urbanis, nata in fundo, quasi ex tacito pacto pignori sunt locatori; que species tacitæ conventionis obligatoria est: vel re & facto aliquo consensus declaratur, veluti redditione chirographi aut instrumenti pignoris, &c. quod genus taciti pacti liberatorium est.

1 De priore in genere ita jus est, ut quæ in prædiis urbana inducta & illata sunt ab inquilinis, ea pignori sint locatori, quasi id tacite convenerit. *I. 4. ff. hoc tit. I. 2. I. 4. I. 6. ff. in quib. cauf. pign. tac. contr. in prædiis rusticis*, ut dominus fundi locati in fructibus, qui ibi nascuntur, tacitum pignus quasi ex conventione habeat. *I. in prædiis. 7. ff. eod. tit. I. 3. C. eod. illata autem & importata à colono non aliter pignoris jure teneantur, quam si id nominatum convenerit. d. I. 4. ff. eod. I. 5. C. eod. I. 5. C. de locat. §. 3. Inst. de interdict.* Hujus autem differentiæ ratio si queratur, ea sumenda est ex moribus populi Romani. Solebant enim in prædiis rusticis nata pro mercede obligari, in urbanis inventa & illata. *I. si servus. 61. §. locavi. 8 ff. defuit.* Quid autem erat in more positum, ut alias sèpe, in jus paulatim transit, &

pro dicto habitum, sicubi dictum non esset, ut eleganter Cujac. *ad d. I. 4. ff. hoc tit.* add. Donell. c. 4. *de pign. Bachov. 1. de pign.* 11. *Tulden. in Cod. in quib. cauf. pign. tac. n. 3. Perez. ibid. n. 2. & 7. Garz. ad I. 5. C. de locat. Christin. vol. 3. decis. 120.* Ergo in iis, quæ colonus in fundum conductum invexit aut intulit, locator quasi ex tacita conventione jus pignoris non habet; sed ad hoc opus est conventione expressa.

2. Nec est contrarium, quod Ulpianus in *I. 3. ff. in quib. cauf. pign. tac. contr. ex auctoritate Neratii respondet*, etiam in inventis illatis in horreum conductum, vel diversorium, vel aream, tacitam de pignore conventionem locum habere. Loquitur enim Ulpianus de horreo seorsum conducto ad reponendas merces aut res alias, quælia quæ nostratis *Packhuyzen*: nam si fundus conductus sit, horreum pars fundi intelligitur. *I. fundi. 221. ff. de verb. sign.* Neque per aream intelligit agrum partem fundi, sed locum in oppido aut pago ædificiis vacuum, sive planitem, quæ circumsepta idonea sit, ad camenta, lateres, calcem, trabes, asperes, & hujusmodi alia reponenda & asservanda. Diversoria autem & stabula, aliaque meritoria etiam in villis & vicis, teste ipso Neratio, in causa taciti pignoris, à prædiis urbanis non differunt. *d. I. 4. §. 1. ff. in quib. cauf. pign. tac. add. I. urbana. 198. ff. de verb. sign.*

3. Quod autem Justinianus scribit §. item *Serviana. 7. Inst. de action. actione Serviana experiri locatorem de rebus coloni, quæ pignoris jure pro mercede fundi ei tenentur, id non hanc habet sententiam, res omnes coloni pro mercede fundi locatori esse obligatas, sed de his, quæ obligatae sunt, Servianam competere. Nam ut bene Myrsinigerus, relativum quæ illic non demonstrat, sed distinguit. In paraphrasi Graeca clare rem sic expressit Theophilus, *ιεροτέλειαν ταῦτα ἀγέρων, καὶ πάντες μετακαθίσαντες, &c. τοιχοπόροις ἐν τῷ οἴκῳ τῷ ἀγέρων καὶ πενηντάριοι πάντες, εἰσι τεττάρι, βέβαιοι, &c. παντούς τοιχοπόρους ἀντιτίθεται λόγος οὐ μιθόμενος. Conduxisti, inquit, à me fundum, & factus es mihi colonus, &c. Induxisti autem in eum fundum & res quasdam, veluti equos, boves, &c. pactus ut hæ mihi mercedis nomine obligarentur.**

4. Non nihil autem negotii facit, quod apud Ulpianum ex Pomponio relatum est *I. eis quis. 14. §. 1. de relig. & sumpt. fun.* mortuo colono vel inquilino, si non sit unde mortuus funeretur, ex inventis illatis eum funerandum, & si quid superfluum re-

manserit, hoc pro debita pensione teneri. Non potes hic respondere cum Bachovio *I. 1. de pign. c. 11. n. 4.* non eam esse Ulpiani sententiam, quod inventa illata à colono vere pignori sint obligata; sed hanc, quod instar pignoris superfluum pro debita pensione retineri potest, eodem nimis sensu, quo alibi idem Jurisconsultus ait, posse venditorem, emptore pretium non offerente, quasi pignus retinere rem, quam vendidit, *I. Julianus. 13. §. offerri. 8. de aet. empt. & Paulus I. creditoris. 15. §. ult. ff. de furt. commodatarium ob impensas in rem commodatam factas habere retentionem*, quasi pignoris loco ea res sit. Etenim verba illa Ulpiani, *si quid superfluum remanserit, hoc pro debita portione tenetur*, non magis ad colonum, quam ad inquilinum pertinent, à quo illata & inventa constat pro mercede pignoris nexus subire. Deinde non aliud retentionem rei habere potest, nisi qui & eam detineat; qui in propposito non est locator, sed hæres conductoris, cui & cura funeris incumbit. Denique non dicit Ulpianus, posse superfluum quasi pignus retineri, sed superfluum pro debita pensione teneri, quo verbo significatur obligatio, *I. 6. I. 9. ff. in quib. caus. pign. tac. I. grege legato. 13 pr. ff. de pignor. & passim alibi*. Atque hoc ianuit Jurisconsultus etiam tacito pignori impensam funeris praefterri, utpote quæ omne creditum praecedere soleat, cum bona solvendo non sunt, *I. penult. ff. de relig. & sumpt. fun.* Rectius dixerimus ponendos esse terminos habiles, nempe eum in colono casum, quo de illatis, ut pignori essent, expressim, ut & assolet, *I. potior. 11. §. 2. ff. qui pot. in pign. convenit.*

5. Illud bene notat Bachovius, paragaphum primum *I. 7. ff. in quib. caus. pign. tac.* non coherere cum principio: sed illic determinari, quænam ex illatis & inventis pro mercede ædium conductarum teneantur: idque magis placet, quam quod Perrezius existimat, locum accipendum esse de eo casu, quo expresse placuit illata quoque & inventa in fundum pignoris jure teneri.

6. Minime autem movere nos debet constitutio Justiniani *I. ult. C. in quib. caus. pign. tac.* quippe qua constitutione tacita conventione de illatis & inductis non porrigitur ad illata inducta in prædium rusticum, sed justiti pignoris in inventis & illatis in prædium urbanum, quod antea quibusdam in locis duntaxat obtinebat, producitur ad omnes provincias. Itaque ἐν τῷ ἀρχῇ λεγόμενον, qui argumento hujus loci conetur probare

non minus in prædiis rusticis, quam in urbanis legem de tacita hypotheca inductorum & inventorum habere locum.

7. Veterum interpretum sententia est, in urbanum quidem prædium illata indistincte pignori esse, etiam neque pactio intercesserit, neque sciverit locator illata esse: in rusticis autem prædiis, expressa quidem conventione opus non esse ad illatorum obligationem, cæterum ut ea pignoris nomine teneantur, sufficere si voluntate domini illata sint; quod nec ipsum exigatur in illatis in prædium urbanum. Laudant in hanc sententiam constitutionem Alexandri, quæ extat in *I. certi juris. 5. C. de locat.* ibi, *quæ voluntate dominorum coloni induxerint, &c.* Sed cum novum nom sit, ut voluntatis nomine adsignificetur expressa conventio, ut apud Marciandum in *I. Pomponius. 5. §. 1. ff. in quib. caus. pign. tac.* & apud Justinianum *I. ult. C. de novat.* ubi voluntate, id est, expressa conventione dicitur fieri novatio; statius est ex mente auctorum juris, verba illa, *voluntate dominorum*, accipere pro pactione & conventione. Quorsum enim exigamus, ut voluntate domini quid inferatur, nisi simul ut pignori illud sit, pactio aliqua inter dominum & colonum intercedat? Sed & voluntate domini illata sit recte accipi possunt, cum Donell. *de pign. c. 4.* minus locaverit fundum hac lege, ut aliqua in eum fundum inferrentur. Qui enim hanc legem locationi dat, vi ipsa & per consequentiam pacisci intelligitur, ut quæ ex pactione importabuntur, pignori nexa sint. Græci, μάντες οὐδὲ δι μάντεων σιναρχῶν εἰς τὸν οἶκον τοῦ ματὸς θεοῦ αὐτοῖς ἀγέρε βλασφήμησι δεσπότου, υποκεντρα τούτην ἀπέδιδοσι. ιτι δὲ οὐκ μαδαρίτερος, καὶ ἀγροῦ τοῦ δεσπότου ἔμαι εἰσεγόντων, ταυταγμάτων. i. e. Quocunque coloni domino volente in domum locati fundi inferunt, ea pignoris jure pro mercede tenentur: quæ vero in ædes conductas inferuntur, ea pignori sunt, etiam si importata sint domino ignorante, in eandem ut videtur, sententiam. Cæterum superior DD. opinio in praxi prævalere dicitur, & proinde juxta illam DD. opinionem, & juxta usum fori, vaccæ, boves, oves, cæteraque pecudes, quæ pascuntur in agris & pascuis conductis, pignori sunt locatori, si sciente illo fuerint immisæ.

8. Porro ex iis, quæ sunt dicta supra, satis patet tacitum hoc pignus, quod locator habet in illatis inventis in prædium urbanum, non esse vere & proprie, aut totum legale, seu quod ab ipsa lege constituitur; sed esse ex tacita conventione, quam lex presumit

ex facto illationis. Unde quæstionem est, an tacito hoc pignore etiam afficiantur res minoris 25. annis, quas ille sine curatoris consensu in ædes conductas intulit. Et si quidem hoc esset pignus mere legale, id est, si citra ullam conventionem de pignore sola potestate legis induceretur, nullum hic esset privilegium minoris; quia lex operatur sine respectu personarum, unde bona minoris cum fisco contrahentis, l. 2. ff. de reb. eor. qui sub. tur. item uxorem ducentis obligatur: quia istæ hypothecæ sunt pure legales, ut recte Gloss. & Cyn. in l. ult. C. de leg. tut. ( quamquam hic dissentit Costalius in l. 4. ff. h. t. falso asseverans Bartolum sibi in hac re assentire in d. l. 4. & in l. si constante. 24. ff. solut. matr. ) Sed quoniam hypotheca, de qua agimus, non tota legalis est, sed magis conventionalis, nascens ex presumptione tacitæ conventionis, ut appareat ex d. l. 4. ff. h. t. l. 4. l. 6. ff. in quib. cauf. pign. tac. l. 3. l. ult. C. eod. dixerim res à minore illatas sine curatoris auctoritate non teneri: quoniam minor jus oppignorandi non habet. Ita Costal. post DD. comm. in d. l. 4. ff. hoc tit. & in d. l. si constante. 24. ff. solut. matr. Sichard. ad l. 5. C. de locat. n. 11. Bachov. 1. de pign. 11. diss. Negusi. p. 2. membr. 4. n. 54. & ibi alleg. Treutl. disput. de pignorib. thes. 4. Christin. vol. 3. decis. 110.

9. Sed quid si studiosus ( intellige, qui major sit 25. annis) cubiculum aut patrem ædium conduxit; an & libri, quos illo intulit, legem taciti pignoris sequentur? Et Schneidwinus post Jafonem & Zasium in §. item Serviana. 7. Inst. de action. Bachov. lib. 1. de pign. c. 11. negant sequi, idque duplice potissimum arguento. Primum petitum est à simili, quia, inquit, quemadmodum instrumenta rustica in fundum illata à colono obligata non sunt domino fundi, propterea quod iis fundus colitur. l. 7. l. 8. C. quæ res pign. oblig. ita nec libri studiosorum in Museum conductum illati domino ædium jus pignoris tribueri debent, quia iis mens colitur. Alterum sumptum est à natura hypothecæ generalis, qua non continentur ea, quæ verisimile non est quemquam specialiter obligaturum fuisse. l. 6. §. 2. & seqq. ff. de pign. At generalis, inquit, hypotheca naturam sequitur hypotheca illatorum; nec verisimile est studiosum liberos suos specialiter obligaturum fuisse. Sed tamen praxis apud nos, & in omnibus fere Academiis est in contrarium. Nec obstant rationes allatae. Non enim ideo instrumenta rustica in fundum illata à nexus taciti pignoris libera sunt, quia iis fundus colitur; sed quia nec in aliis à colono illatis inductis jus pigno-

ris citra conventionem habere locatorem placet; utpote cui satis cautum fructibus, qui in fundo nascuntur. Nec valet etiam ratio, quam afferunt ex l. 6. ff. de pign. Nam studiosi supellex pene omnis est in libris posita, ut verisimile non sit studiosum tacite ex tacito supelleciliis pignore voluisse excipere supellecitem librariam, præter quam vix aliam haber. Nemo autem negat etiam in iis, quæ à studio illata sunt, tacitum pignus esse. Sed nec procedit argumentum à pignore generali ad pignus illatorum & inventorum: siquidem inter invecta & illata supellex quoque contineri intelligitur. l. in prædiis. 7. §. 1. ff. in quib. cauf. pign. tac. contra quam in pignore generali. d. l. 6. ff. de pign. Perl. in Cod. tit. in quib. cauf. pign. tac. Sed nimis longe digredimur. Alterum genus pacti taciti erat, cum ipsi pacientes facto aliquo consensum declarant.

10. Hujus generis exemplum elegans est, si creditor debitori chirographum reddiderit, tacite enim pactus videtur, ne petat, & debitum remissee. l. 2. §. 1. ff. hoc tit. fac. l. 3. §. 1. ff. de lib. leg. l. qui chirographum. 59. ff. de legat. 3. Et consequenter etiam pignus, si quod intervenerit, hic remissum intelligi debet. arg. l. in omnibus. 43. ff. de solut. l. 7. C. de remiss. pign. sicut & cum expresse paciscor, ne debitum petam, pignoris obligatio per exceptionem tollitur; quæ sententia est l. si tibi. 17. §. 2. ff. hoc tit. ut adeo hoc quoque sit exemplum taciti pacti, quo pignus remittitur. Nec obstat l. si chirograph. 24. ff. de probat. quoniam ex cancellatione chirographi non oritur exceptio taciti pacti, sed præsumptio solutionis: contra quam tamen probationes manifeste audiuntur: sicut procul dubio creditor quoque audiendus erit, paratus probare se ob aliam causam chirographum reddidisse.

11. Pignoris redditu non eadem ratio. l. 3. ff. hoc tit. quippe chirographo ipsa principalis obligatio continetur. l. servum filii. 44. §. eum qui 5. ff. de legat. 1. l. qui chirographum. 59. ff. de legat. 3. l. 1. C. de donat. At obligatio pignoris a debito principali separata est, atque hujus quædam ~~ma~~ feus accessio dumtaxat: nov. 4. l. in omnibus. 33. de sol. ut præsumi non debeat enim, qui pignus tantum reddidit, cogitasse simul de remittendo ipso debito.

12. Simili ratione conventio fidejussoris non continuo proficit reo l. 23. hoc tit. quamvis rei conventio etiam fidejussori proficit l. 21. eod. in fin. Cujac. ad d. l. 2. eod. Plane redditio pignore quin pignoris obligatio remissa intelligi debeat, nullus dubitat. arg. l. 1. §. 1.

*ff. de lib. leg.* Cæterum ita hic distinguendum arbitror: Si instrumentum, quo pignoris obligatio conscripta & constituta est, redditum sit, obligatio pignoris omnino remissa censerri debet, per d. l. 7. *C. de remiss. pign.* At si creditor ipsam rem pignoratam, quam possebat, reddat debitori, hic refert, ulro & simpliciter reddat, nec dicat, in quem finem; an reddat debitori petenti ad certum usum. Priore casu videtur eo animo reddidisse, ut vinculum pignoris remitteret: nam vox reddendi significationem retro dandi habet, ut eo loco res sit, quo prius fuit. *I. verbum.* 94. *ff. de verb. sign.* atque in dubio censetur ulro & simpliciter reddidisse. *fac.* *I. cum de causa.* 9. *C. de remiss. pign.* Posteriori casu, ubi constat creditorem debitori petenti reddidisse rem pignoratam in aliquem usum, non intelligitur pignoris vinculum dissolutum esse: siquidem pignus cum precastio conceditur, remanet obligatum. *I. cum & fortis.* 35. §. 1. *ff. de pign. act.* *I. qui pignoris.* 36. *ff. de acq. poss.* Bus. ad *I. 2. ff. hoc tit.* Bachov. ad hunc tit. in secunda divis. *pact.* Illa igitur ratio, quæ vulgo assertur, quod ideo ex chirographi redditione tacitum de non petendo pactum colligatur, quia chirographi nullus usus est: pignore autem redditio non item, quoniam ea debitor uti potest, et si momentum aliquod habet; non est tamen adæquata.

13. Quid si instrumento, quod redditum est, alias quoque sit obligatus? Puta soli ei, cui redditum est, ex tacito pacto acquiri exceptionem: nam neque cum altero quicquam actum est, neque is, cui redditum, quicquam nomine ejus egit, & ut egiisset, tamen alteri paciscendo exceptionem querere non potuit. *I. si tibi.* 17. §. 4. *ff. hoc tit.* *I. stipulatio.* 38. §. alteri. 17. *de verb. obl.* utique si nihil paciscens inter sit alterius quoque obligationem dissolvi. *I. & hæredi.* 21. §. ult. *I. fidejussoris.* 23. *h. t.* nec excipimus duos debendi reos, nisi & socii sint. Bartolus eo amplius existimat ei, cui instrumentum redditum est, etiam donatas intelligi actiones adversus alterum, eumque procuratorem constitutum in rem suam. At enim cum donatio non facile presumatur, nisi cum alia quacunque conjectura deficitur, aut alias actus inutilis foret ( quod in proposita specie non accidit ) non immerito hæc sententia aliis displicuit. Äequius enim & benignius est hoc factum sic interpretari, ut is, cui obligatio redditii est, censeatur pro sua quidem parte liberatus, pro parte vero altera exigendi tantum nominis gratia procurator à creditore constitutus. Duarenus & Bus. ad *d. l. 2. ff. h. t.* Menoch. *lib. 3. præ-*

*sumpt. 143.* Antonius Faber, *Cod. forens.* definit. 6. Abbas Panormitan. in *cap. Ecclesia.* ut *lit. pend.* ubi tamen prudenter monet in hac questione recurrendum esse ad conjecturas pro varietate circumstantiarum. Est enim hæc questione facti potius, quam juris: & ideo non tam ad Jurisconsultum, qui nihil certi hic definire potest, pertinet, quam ad judicem, qui de facto cognoscit, & circumstantias in singulis causis examinat. Quid enim dicemus, si creditor sit admodum dives, debitor autem, cui cautio redditia, inops, eique arcta necessitudine conjunctus? Aut contra, quid si debitor forte miles sit, aut mulier, aut minor 25. annis? Bachovius 2. *divis. pact.* n. 6. etiam hoc ipsum absurdum esse contendit, quod dicimus in casu proposito mandatam videri adversus tertium nominis actionem: sed non esse absurdum argumento est, quod traditio instrumenti sicut inducit probationem rei tradita, ita & mandatarum actionum. *I. 1. C. de donat.* *I. Mævia.* 49. *ff. solut. matrim.* *I. servijunt filii.* 44. §. 5. & 6. *ff. de legat.* 1. Quid si ejusdem debiti plura sint apud eundem creditorem chirographa an vel unius redditione censemitur obligatio remissa? Ajunt Bart. Bald. Castr. Jas. in *d. l. 2. hoc tit.* Menoch. *d. præf.* 140.

14. Moventur hac ratione, quia unum tantum est instrumentum, quamvis pluribus tabulis conscriptum per *I. 24. qui test. fac.* & quia tabulis restitutis non scriptum, sed contentum restitutum intelligitur. arg. *d. l. 2. §. 1. hoc tit.* *I. 59. de leg.* 3. *I. 1. C. de don.* Atque hanc sententiam Bachovius *d. 2. div. pact.* n. 7. ex professo tuetur. Argumenta, quibus eam probare conatur, quinque ferre assert. Primum petitum est ex *I. veteribus.* 39 *hoc tit.* ubi Papinianus ait, veteribus placuisse, pactionem obscuram vel ambiguam ei nocere, in cuius potestate fuit legem apertius conscribere, unde inserit creditori imputandum esse, quod non apertius egerit, cum contra eum sit presumptio juris. Secundum argumentum est, quia humanior est sententia, quæ favet liberationi. Tertium, quia generalis est definitio *d. l. 2. §. 1. eod.* Quartum, quoniam nullus alius finis redditionis chirographi in dubio intelligi potest, quam debiti remissio. Quintum, quia si unum ex duabus chirographis debitori legatum esset, liberatio legata censeretur.

15. Cæterum hanc sententiam improbant Duar. Fort. Garz. Paul Bus. in *d. l. 2. §. 1.* excepto si id actum fuisse appareat, veluti si tabulae non simpliciter redditæ, sed aut donatae sint, aut legatae debitori. Et sane rationes à Bartolo & aliis adductæ tales sunt, ut

pro creditore retorqueri possint in debitorem , nec minus creditori quam debitori siveant. Nam ut alii pro debitore sic ratiocinantur ; Unum instrumentum est , licet pluribus exemplis descriptum , verum est igitur redditum esse : ita contra debitorem pro creditore hoc telum retorqueri potest ; Unum instrumentum est : atque hoc à creditore retentum ; igitur non est redditum. Sed nec illud simpliciter verum est , quod ajunt unum tantum esse instrumentum. Unus quidem est contractus , aut una obligatio ; at plures tamen cautions hic esse aut plura instrumenta dici possunt. Quod si contraria sententia admittatur , magna occasio præbebitur improbis hominibus fallendi bonos creditores suos : quippe in proclivi est duo chirographa ejusdem argumenti conscribere , quorum alterum tradatur creditori , alterum a debitore retineatur , ut si quando , ex eo , quod traditum est , conveniatur , proferat retentum , dicatque illud sibi redditum esse a creditore : atque ita fenestra aperietur fraudibus. Censent igitur Duar. Garz. & Busius , unius chirographi redditione non debere intelligi factam esse debiti remissionem , nisi id actum esse probetur. Quod si id doceri non possit , potius actori , quam reo , juramentum deferendum , quo affirmet chirographum a se redditum non esse animo remittendæ obligationis : quibus & nos subscribimus : facitque huc bonus textus in *L. ult. de his que in test. del.*

16. Supereft , ut respondeamus argumentis Bachovii. Ajo igitur , quod in *L. veteribus*. 39. *hoc tit.* de interpretatione pacti obscuri aut ambigui traditum est , non esse temere tradendum ad ea pacta , quæ tacite ex facto aliquo colliguntur , ad hoc ut donatio intervenisse præsumatur etiam eo casu , ubi alijs istius facti finis dari potest. Vel frivola causa excludere debet donationis præsumptionem , cum nemo facile præsumatur suum jaſtare aut effundere velie. *L. cum de indebito. pr. de probat.* & ibi DD. Jason. *L. 3. hoc tit.* Cyn. Bald. DD. in *L. 3. C. de non num. pec.* Idemque ad secundum argumentum responsum esto ; nempe non usque eo liberationi indulgendum , præsertim ubi constat de præcedente obligatione , ut quæ sine causa suum perdere voluisse præsumi debeat : donare enim , perdere est , d. *L. cum de indebito*. 25. *de probat.* *L. 7. pr. de donat.* Ad tertium , definitionem d. *L. 2. §. 1.* restringendam esse ad eam speciem , ubi una duntaxat cautio exposita , & eadem redditum est. Ad quartum respondeo , cum creditor unum duntaxat è duobus ejusdem debiti chirographis , quæ habet , debitori reddit , non continuo

credendum esse , voluisse eum debitum remittere , cum alias hujus redditionis finis esse possit , qui potius præsumendus sit ; nimis ideo id factum esse , quia ex altero , quod retinuit , debitum satis probari possit , ut supervacuum videatur utrumque retinere. Et cur quæsi si animum remittendi debiti creditor habet , non utrumque restituit , sed alterum retinet ? Actus agentium , ut vulgo dicitur , non operantur ultra eorum intentionem. *L. non omnis.* 19. *de reb. cred.* Adde & hunc finem , ne videatur creditor utroque chirographo retento aliquid malitiose velle machinari adversus debitorem. Ad quintum , loqui nos de eo casu , cum quis unum è duobus chirographis reddit simpliciter , nec id se donare profitetur. Legare , est donare. *L. 36. de legat. 2. §. 1. Inst. eod.* Nec dubium est , quin quemadmodum donatis , sic etiam legatis tabulis , nomen ipsius seu debitum donatum legatumque intelligatur.

## C A P U T XIII.

De pactis in rem & in personam , deque eorum vi ac potestate.

1. *Quid sit pactum in rem , quid in personam.*
2. *Pacta in rem quibus profint.*
3. *Species* *L. 17. §. 4.* *hoc tit.*
4. *Pacta in personam , non egrediuntur personam ejus , cui facta sunt.*
5. *Jure novissimo pactum rei , quantumvis personale , etiam fidejussori prodefesse.*
6. *Unde astimandum , utrum pactum in rem sit , an in personam.*

PÆTEREA pactorum alia in rem sunt , alia in personam *L. 7. §. pactorum* 8. *hoc tit.* quæ divisio ab effectu sumpta est. Sunt , qui ratione materiæ sic distingui pacta existimant : sed errore perspicuo labuntur : siquidem personæ non possunt esse objectum pactionis.

1. Pacta in rem sunt , quoties generaliter pacis cor , ne petam. In personam , quoties ne a persona petam , puta à L. Titio d. *L. 7. §. pactorum.* Mos loquendi veterum juris auctorum est ut quod generaliter & sine persona designatione fit , id in rem fieri ab ipsis dicatur. Sic actiones exceptionesque in rem scriptas , interdicta in rem concepta , nuntiationem operis novi in rem fieri legitimus *L. metam.* 9. §. ult quod met. caus. *L. 2.*

§. 1. l. 4. §. pen. de dol. mal. exc. l. 1. §. pen. de interditt. l. operis. 10. de op. nov. nunt. Cum igitur quis generaliter paciscitur, ne petat, nec personam nominat, à qua petiturus non sit, in rem pactum dicitur conceptum esse. In personam vero, cum exprimitur certa persona. Nec inutilis est hujus dictio cognitio. Nam quæ pacta in rem concepta sunt, ea omnibus prosunt, quorum obligationem dissolutam esse pacientis interest. l. & heredi. 21. §. ult. hoc tit.

2. Itaque pactum reale debitoris proficit & fidejussori, quoties debitoris pecuniariter interest, ut fidejussori quoque profit; scilicet quando fidejussor ejus nomine, quod pro reo solverit, mandati aut negotiorum gestorum actionem cum eo habet. Quibus autem casibus fidejussori adversus debitorem regressus non datur, veluti si domandi animo fidejusserit, aut pro invito & vetante, pactum rei fidejussori non prodest. d. l. & hered. §. ult. junct. l. quod dictum. 32. eod. l. si pro te. 40. mandat. nempe quia rei nihil hic interest à fidejussore non peti. Eademque ratione nec pactum fidejussoris generale prodest reo principali, aut confidejussori, qui socius non est; scilicet quia nihil fidejussoris principaliter interest, à quoquam eorum non peti, cum nullam adversus eum nomine ejus, quod solverint, actionem habeant. l. fidejussoris. 23. hoc tit. l. 39. de fidejuss. Prosunt porro pacta in rem & heredibus nostris. l. tale pactum. 40. eod. l. si pactum. 9. de probat. atque ut prosint, etiam nostra semper interesse intelligitur, crediturque unusquisque eo esse animo, ut non minus heredibus suis, quam sibi prospectum velit d. l. 9. de probat.

3. Non obstat lex 17. §. 4. hoc tit. quoniam illic exemplum proponitur pacti personalis, si quis paciscatur ne à se, neve à Titio petatur, & ratio jurisconsulti eo tantum pertinet, ut significet ei, qui non ut hæres adjectus est. etiamsi postea hæres extiterit, tale pactum non prodest, nec ex postfacto confirmari, quod ab initio in persona adjecti non constituit.

4. Pacta autem in personam concepta ejus, cui facta sunt, personam non egrediuntur. l. idem in duobus 25. §. 1. eod. qua de causa nec heredibus prosunt. d. l. 25. §. 1. d. l. 17 §. 3. & 4. eod. nec fidejussori l. nisi hoc. 22. eod. quanquam vix est, ut hoc procedat jure novissimo. Jure veteri creditor electionem habebat à reo vel à fidejussore pretendi. poteratque hunc etiam ante illum convenire l. §. l. si alienam 19. C. de fidejuss neque hoc jus convenienti fidejussorem omisso reo, pacto personali sibi adimebat.

5. At jure novo fieri non potest, quin pactum rei, licet personale, fidejussori quoque profit. Nam cum hoc jure Nov. 4. c. 1. unde auth. præsente. C. de fidejuss. reum principalem prius conveniri atque excuti necessitate sit, quam ad fidejussores veniatur, nec ante cum his efficaciter agi queat, quam si suum creditor à debitore consequi non possit; hoc beneficium ordinis & execussionis fidejussori jure publico datum, patiente debitoris ei auferri non potest. Itaque nunc etiam pacto personali cum debitore facto juvabitur fidejussor; nisi ipse beneficium suo ultero renuntiaverit, quod facere potest l. pen. C. de paet. Cujac. in d. l. & heredi. 21. hoc tit. Borcholt. de paet. c. 2. in tertia divis. n. 4. diff. Jul. Pac.

6. Utrum autem pactum in rem sit, an in personam, non tam ex verbis, quam ex mente pacientium estimandum est: adeoque in dubio, quantumvis persona adiecta sit, in rem tamen esse presumitur: quia plerumque persona pacto inseri solet, non ut pactum personale fiat, sed dunxat ut demonstretur, cum quo pactum factum sit. l. 7. §. paetorum. 8. hoc tit.

## C A P U T X I V.

Qui cum quibus pacisci possunt.

1. Furiōsi nullum omnino negotium gerere possunt.
2. Ratum habetur, quod gestum ante furorem aut in furoris intermissione.
3. Mente captorum & ebriorum eadem, quæ furiosorum ratio.
4. Prodigii & furiosi dissimilitudo.
5. Quibus rebus dispar conditio prodigi & minoris 25 annis.
6. Ipsone jure prodigi bonis interdicatur, an decreto magistratus.
7. Quid per verba ipso jure in l. 1. de cur. fur. significet Jurisconsultus.
8. In his, quæ animo & affectu geruntur, infans vix distat à furioso.
9. Comparatio infantis & infantiae proximi.
10. Comparatio infantiae proximi & proximi pubertati.
11. Pupillum pubertati proximum ex conventione sua naturaliter obligari, etiam si locupletior factus non sit.
12. Quo sensu nostri dicant, pupillum sine auctoritate tutoris contrahentem ne naturaliter quidem obligari.
13. Puberes minores 25. annis, curatorem habentes, sine consensu ejus, jure civili non obligantur.

14. *Confutatio sententiae contrariae.*  
 15. *Exponitur l. obligari. 43. de obl. & act.*  
 16. *Consideratio auctoris circa l. puberes. 101. de verb. oblig.*

PACISCI possunt omnes qui consentire & jure gentium se obligare possunt. Igitur mutus, l. 4. §. 1. *hoc tit.* & surdus l. 48. *de O. & A.* & deportatus l. *sunt quidam.* 17. §. 1. *de pæn.* l. 15. *de interdicto. & releg.* & filius fam. ut sibi præjudicet, l. *& heredi.* 21. §. 3. & 4. l. *in persona.* 30. *hoc tit.* & servus ex persona sua, ut naturaliter obligetur & obliget, l. 14. *de obl. & act.* Removentur autem hinc furiosi, mente capti, ebrii, infantes.

1. Furiosum nullum negotium gerere aut contrahere posse natura manifestum est, l. 1. §. *furiosus.* 12. *de ob. & act.* l. *si à reo.* 70. §. 4. *de fidejuss.* l. 5. *de reg. jur.* quia expers est voluntatis & mentis, l. *furios.* 40. *eod tit.* l. 2. C. *de contr. empt.* est enim furor mentis ad omnia cæcitas. Cic. 3. *Tuscul.* unde furiosus per omnia & in omnibus absens, quiescentis, dormientis & ignorantis loco habetur, l. 2. §. *pen. de jur. codicilli.* l. *ubi non voce.* 124. §. 3. 1. *de reg. jur.* l. 1. §. 3. *de acq. poss.* l. 4. *de divort. & repud.* quæ res etiam facit, ut nec accidente curatoris auctoritate ullum negotium recte gerat, d. l. 5. *de reg. jur.* Prius enim est, ut quid agi aut geri intelligatur, quam curatori dici possit, quod agitur aut geritur, probare.

2. Enim vero si furiosus dilucida habeat intervalla, quod gessit in intermissione furoris, id ratum haberetur, nec ullum negotium antea recte gettum furore postea interveniente perinitur, §. 1. *Inst. quib. non est, permis. fac. test.* l. 9. *Cod. qui test. fac.* & ibi DD.

3. Quod de furioso, μαρτυρία, dicitur, id etiam pertinet ad mente captum, ανοντο seu dementem, qui furore non corripitur, sed in quiete est: quoniam non alia ratione in furioso obtinet, quam quia mente caret, nec intelligit, quod agit, §. *furiosus.* 8. *Inst. de inut. stipul.* Sed neque ebrius i. e. qui vino gravis & ob id sui est impotens, hac in causa à furioso separandus. Nihil enim aliud est ebrietas, quam voluntaria insanitia: nec minor est furore, sed brevior, Senec. epist. 83. Platon. 1. *de leg.* non solum senex bis puer, verum etiam ebrius. Prodigum quoque proceres nostri furioso comparare solent; quasi non magis illius, quam hujus ulla voluntas sit, d. l. *furios.* 40. *de reg. jur.* l. 1. *de cur. furios.* Verum hæc similitudo claudicat, lo-

cum tantum habet, cum de prodigo obligando agitur, cum quid de bonis suis vult diminuere, alienare, &c. quibus casibus furioso assimilatur, quia in his exitum furiosi facit. l. *his qui.* 12. *in fin. de tut. dat. ab his.*

4. In acquirendo autem dissimilitudo est: quippe furiosus nullum negotium recte gerit, neque quo obligetur, neque quo obligationem sibi acquirat, aut ipse obligatione liberetur; quia nec mentem nec voluntatem habet. l. 1. §. *furiosus.* 12. *de obl. & act.* l. 5. *de reg. jur.* At prodigus pacificando, stipulando, aut aliter contrahendo sibi acquirere potest; licet promittendo non obligetur, non magis, quam furiosus. l. 4. *de verb. obl.* Itaque cum non de alienando, actionem remittendo, de se obligando, aliove modo conditionem suam dereriem faciendo agitur; sed de acquirendo, de sibi pacificando aut stipulando, aliave ratione conditionem suam meliorem faciendo, l. 3. *de nov.* hic prodigus non cum furioso, sed cum pupillo pubertati proximo comparandus est, l. *certi conditio.* 9. §. 7. *de reb. cred.* aut cum pubere minore 25. annis curatorem habente. l. 3. C. *de in int. rest. min.* quos constat etiam inconsultis tutoribus aut curatoribus alios sibi obligare posse, & conditionem suam quoquo modo facere meliorem. pr. *Inst. de aust. tut.* l. 11. *de acq. rer. dom.* Denique ut pupillus auctore tuto, pubes cum consensu curatoris omnia gerere potest, l. 5. *de reg. jur.* §. *pupillus.* 9. *Inst. de aust. tut.* Ita & prodigus accedente curatoris consensu. arg. d. l. *certi conditio.* 9. §. *sed & si.* 7. *de reb. cred.* d. l. 3. C. *de in int. rest. min.* l. 5. §. 1. *de acq. hær.* ubi scriptum est, eum, cui bonis interdicatur, hereditatem sibi delatam adire posse; nempe cum consensu curatoris, ut recte Gloss. & DD. in hoc enim distat à furioso, quod solum significare voluit Jurisconsultus.

5. Plane in eo quoque à pubere minore 25. annis distat prodigus, quod pubes & testamentum facere potest, & ad testamentum testis adhiberi. l. 5. *qui test. fac.* §. 1. *Inst. de test. ord.* quorum neutrum consensum prodigo. l. *is cui lege.* 18. d. t. §. *testes.* 9. *Inst. eod.* §. 2. *Inst. quib. non est perm. fac. testam.* Quæri vulgo solet, prodigusne intelligentus sit, qui factio talis est, qualem describit Ulpianus l. 1. *de cur. furios.* an vero decretum magistratus expectandum. Hoc est, an ipso jure & lege 12. tabularum dissolute & luxuriose viventi bonorum administratio interdicta intelligatur; an vero tum demum, cum talis esse sententia magistratus declaratus est. Dicendum est eum, qui moribus talis

Jus est, qualis in d. l. 1. describitur, re vera quidem & ethice prodigum esse (nam virtutia & virtutes non pendent à sententia & cognitione judicis, sed propriam naturam & formam habent) cæterum quod ad rerum administrationem attinet, neminem ante politice & effectu juris pro prodigo haberi, quam ea administratio causa cognita decreto magistratus ei adempta sit: cujusmodi decreti extat vetus formula apud Paulum l. 3. sent. 4. Nimirum bonorum administratione ademptione sive interdictio non juris, sed jurisdictionis est, hoc est, nemini speciatim bonorum administratione lex interdicit, ac ne potest quidem interdicere, sed generaliter interdici jubet omnibus, idque auctoritate magistratus, quos prodigos esse causa cognita constabit, eumque, cui publice bonis interdictum est, juber esse in curatione agnatorum. Ulpian. tit. 12. §. 2. fac. §. 2. Inst. quib. non est perm. fac. test. l. 6. de curat. fur. qui tamen & lege bonis interdicti dicitur, l. 18. qui test. fac. poss. l. 5. §. 1. de acq. her. propterea quod lex id fieri jubet, & à lege curatore accipit. Bene igitur & rationi juris convenienter Horatius 2. ferm. 3.

*Interdicto huic omne adimat jus*

*Prætor, & ad sanos redeat tutela propinquos.*

Furios alia ratio est: nam cum furor per se emineat, & vera sit mentis ac voluntatis privatio, ut furioso à magistratu bonis interdicatur, non requiritur. At vero an quis prodigus censeri debeat, ex multis & variis circumstantiis estimandum est, de quibus magistratum cognoscere & pronuntiare oportet, ne quis temere in hominem sui juris, & liberalem forte magis, quam prodigum, potestate aliquam sibi usurpet, aut cuiquam probabilis ignorantia noceat.

7. Atqui inquis, prodigus receptis sanis moribus & cum frugalitate in gratiam reversus definit ipso jure esse in curatione, d. l. 1. de cur. fur. Sed ne hoc quidem excludit cognitionem & declarationem magistratus. Nimirum textus juris ita sunt explicandi, ut ne certæ rationi, aut principiis aliarum disciplinarum repugnant. Qui fieri possit, ut citra magistratus cognitionem & auctoritatem, is cui publice bonis interdictum est curatore dato, se liberet à curatione, & curator ipsi datus curam & administrationem rerum deponat? aut quis secure cum tali contrahere poterit? Neque enim aut ipso prodigo, aut curatori ejus, aut aliis privatis hoc permitti debet, ut flatuant & judicent, an morum redierit sanitas. Itaque dicam per verba ipso jure in Vinn. Tratt. Varii.

d. l. 1. non excludi sententiam declaratoriam; sed opponi quodammodo curam prodigi curæ minoris 25. annis, quæ certo & statuto tempore, anno sc. vigesimoquinto, finitur, secus atque illa prodigi, quæ finitur mutatis in melius moribus, cujus rei cognitione magistrati competere debet. Gail. 2. obs. 51. Ant. Fab. Cod. suo forens. tit. de cur. fur. defin. 7. Tulden. Cod. eod. num. 5. Christin. vol. 1. decis. 160. Nostris moribus semper requiritur sententia declaratoria, ejusque publicatio, teste Grot. 1. manuduct. 11. add. Jod. Damhoud. c. 8. de tut. & cur. min. n. 26.

8. Infans quoque seu septennio minor, l. 1. §. 2. de adm. tut. l. 14. de sponsal. l. 18. Cod. de jur. delib. in his, quæ animo & affectu geruntur, non multum à furioso distat; ursore qui non magis intelligat, quod agitur, aut affectu acquirendi ducatur, quam furiosus. Proinde nec cum tutoris auctoritate quicquam gerere potest, nec contraheundo obligari, aut obligationem sibi acquirere, §. pupillus. 9. Inst. de inut. stip. Illud tantum utilitatis causa receptum est, ut infans tutori auctore possit incipere possidere, judiciumque infantis in re, quæ facti magis est, quam juris, suppleatur auctoritate tutoris, l. 1. §. 3. l. 32. §. ult. de acq. poss. l. 3. C. eod.

9. De proximo infantia quoque dicitur, nullum eum habere intellectum, d. §. pupillus, nihil scire aut discernere, l. 9. de acq. her. non intelligere, quod agitur, l. 1. §. huic proximus. 12. de obl. & akt. l. 6. rem pup. salv. actum rei non intelligere, l. 5. de reg. jur. Cæterum cum in d. §. pupillus. aliisque omnibus istis locis proditum sit, eum qui infantia proximus est, & stipulari & promittere, & hereditatem adire, omnianque tute auctore non minus recte agere posse, quam eum, qui proximus sit pubertati, quantumvis id benigne receptum sit, comparatio hæc infantis & infantia proximi cum mica salis accipienda erit, quod ille scilicet nullum omnino intellectum habeat, hic nullum perfectum: ille omnino non intelligat, hic non omnino. Nam si nec proximus infantia ullum intellectum haberet, ne tute quidem auctore quicquam agere posset, neque illa interpretationis benignitas magis in hoc admittenda esset, quam in infantie. Denique non alia ratione receptum est, ut septennio major idemque infantia proximus sponsalia contrahere, item sine tutoris auctoritate incipere possidere queat, quam quod ea etas jam aliquem intellectum habere credatur, ut diserte testantur Jurisconsulti in l. in sponsalibus, 14. de sponsal.

*I.* 1. §. 3. de acq. poss. igitur infantia proximi idem juris habent, quod proximi pubertati, nimis ut paciscendo, stipulando, aut aliter contrahendo sibi prodesse & obligationem acquirere possint, & cum tutoris auctoritate omnia gerere.

10. Cæterum cum hoc illis benigniter praestitum dicatur, *I.* 1. §. huic proximus. 13. de obl. & act. *I.* 9. de acq. her. *I.* 6. rem pup. salv. sciendum est in aliis adhuc manere differentiam; veluti quod qui tam impubes est, ut adhuc infantia sit proximus, seu adhuc consistat intra annum decimum & dimidium, expers doli & injurya habetur, quorum & poenæ capax est proximus pubertati, *I.* pupillum. 111. ff. de reg. jur. *I.* 5. §. pen. ad leg. Aquil. *I.* 3. §. 1. de sepulc. viol. *I.* impuberem. 23. d. furt. *I.* hæredibus. 13. §. 1. de dol. Et cum in fantia proximus, quando remoto tute de eo obligando agitur, in eadem plane causa cum infante & furioso, tanquam nullum intellectum habens ponatur, de pupillo pubertati proximo, queri intelligitur, cum queritur, an non saltem pupillus ex conventione sua vel contractu sine tutoris auctoritate initio obligetur naturaliter. Videamus autem, quid de hac quæstione statuendum sit.

11. Et posito eo, quod pupillus pubertati proximus intelligere potest, quod agitur, naturaque velle & consentire, consequens est omnino, ut etiam ex conventione sua naturaliter obligetur. At pupillum, quia ea ætate sit, actum rei intelligere, ac proinde consentire posse satis ostendunt textus in *I.* 23. §. 1. de dol. *I.* pupillum. 111. de reg. jur. *I.* 1. §. 3. de acq. poss. §. pupillus. 9. Inst. de inut. stip. in quibus hoc solo intuitu infantia proximus separatur à proximo pubertati, quod ille non intelligat, quod agitur, hic intelligat; ille doli expers sit, hic capax. Quod vero de impuberibus omnibus pronuntiatur, nullum esse eorum animi judicium, §. 1. Inst. quib. non est perm. fac. ref. id quidem recte dicitur etiam de pubertati proximis: sed in re, de qua illuc agitur, scilicet de dispositione testamentaria; in qua merito majus & solidius judicium requiritur, quam in ullam partem pupillaris ætatis cadere posse creditur. Sed & non nullis locis expresse traditum est, pupillum (intellige semper pubertati proximum) sine tutoris auctoritate contrahentem naturaliter obligari, *I.* cum illud. 25. §. 1. quando dies leg. *I.* si pupillus 21. ad leg. Falc. *I.* Stichum. 25. §. 2. de solut. *I.* in numerationibus. 44. eod. *I.* si ejus 64. ad sen. Treb. Idem quoque arguunt effecta huic obligationi jure civili tributa; veluti quod fidejussor acceptus pro

eo, quod pupillus promisit, teneatur, *I.* si pupillus. 127. de verb. oblig. quod præcedens obligatio pupillo eam in le luscipiente citra tutoris auctoritatem novetur, *I.* 1. in fin. de novat. Unde etiam corruit distinctio eorum, qui eo demum casu pupillum sine tute naturaliter ex conventione obligari statuunt, cum locupletior factus est. Nemo enim ex sola promissione sua aut susceptione alienæ obligationis unquam fit locupletior. Hoc quidem interest, quod locupletior factus ne quidem ante Divum Pium solutum condicere potuit, *I.* naturaliter. 13. §. 1. & *I.* seq. de condit. ind. Puto etiam hoc casu compensationem pati debuisse. At Divus Pius etiam actionem in eum dedit, in quantum locupletior factus est, *I.* 5. pr. & §. 1. de auct. tut. ex quo tempore efficax & civilis quoque esse coepit hæc pupillo obligatio. Quando autem locupletior factus non est, tunc & solutum repeti potest, & compensationi locus non est, *d.* *I.* 13. §. 1. *I.* quod pupillus. 41. de cond. ind. non quod nulla vere hic subsit obligatio: sed quod persona pupilli hoc tributum, ne obligatio ei noceat.

12. Plane quoniam obligationis naturalis, quæ ex conventione oritur, effectus præcipuus consistit in jure compensandi & soluti retinendi *I.* 6. de compens. *I.* 10. de obl. & act. obligatio autem pupilli hunc effectum non habet, nisi quatenus locupletior factus est, inde fit, ut de pupillo sine tutoris auctoritate contrahente sic aliquando Jurisconsulti loquantur, quasi ne natura quidem isto modo obligaretur, *d.* *I.* 41. de cond. ind. *I.* pupillus. 59. de obl. & act. habita inquam ratione personæ pupilli, in cuius gratiam & favorem propter debilitatem consensus obligationi vis omnis detracta est, quatenus ipsi noceri possit: non autem considerata conditione obligationis, tanquam nulla omnino subesse: alioqui ne accessiones quidem admitteret, aliusve nocere aut prodesse posset. Multo magis ex conventione & promissione sua jure naturæ obligantur puberes minores 25. annis: quippe qui si curatorem non habent, etiam jure civili ex contractu obligantur; ita ut lex necessaria sit in integrum restitutio, *I.* 3. C. de in int. ref. min.

13. Quod si curatorem habent, consensum ejus adhibere debent: alioqui innulla jure civili ex eorum contractu obligatio nascitur *d.* *I.* 3. ubi minores curatorem habentes in negotiis contrahendis eodem jure censentur cum iis, quibus bonis interdiutum est, quos constat jure civili sine curatorum consensu non obligari, *I.* 6. de verb. obl.

14. Ac proinde admittenda non est sententia Cujacii ad *l. puberes*. 10. 1. de *verb. obl.* Vult. *difc.* 16. Fachin. 3. *contr.* 9. Bronch. 1. *aff.* 33. distinguendum inter alienationem & obligationem, quasi alienare quidem res suas minor sine curatore non possit; obligare autem se possit ad alienandum. Hæc enim distinctio & verbis *d. l. 3. Cod. de int. rest. min.* manifeste refellitur; & ratio, qua Imperatores utuntur, perspicue probat, quod de una specie dicitur, ad alteram quoque pertinere. Loquuntur de venditione, de contractu, non de alienatione, que demum fit, cum ex contractus causa res traditur, *l. traditionibus*. 20. *Cod. de paet.* §. 3. *Inst. de empt. & vend.* quanquam & si de sola alienatione loqueretur, tamen id quod de ea diceretur, etiam ad contractus & obligationem minoris referendum esset, ut mox demonstrabitur. Ajunt ideo minoris contratum non esse servandum, quia minor curatorem habens similis sit ei, cui bonis interdictum est. Quod si hanc ob causam minor sine curatore alienare non potest, quia eodem jure, quo prodigus censetur: ob eandem causam nec sine curatore poterit obligari, *l. 6. de verb. oblig.* Quid quod hoc ipso quod minoribus denegatur rerum suarum administratio *l. 1. in fin. de minor.* non minus jus sese obligandi sine curatore, quam res suas alienandi ademptum intelligi oportet? Hæc enim duo se mutuo ponunt & tollunt, ita ut divelli nequeant. Qui jus habet personam suam obligandi ad rem alienandam, ille quoque jus alienandi habet, & contra. Item cui alienandi jus non est, ei nec obligandi, & contra, argumento est ipsa obligationis definitio, *pr. Inst. de oblig.* *l. 3. de obl. & ait.* Nam si obligationis civilis hæc vis est, ut actionem producat, & necessitate solvendi debitorem adstringat, utique cum eo, qui ita obligatus est, etiam judicio agi poterit, & res debita ab eo exigi, atque ille consequenter recte quoque eam præstabit, & ad creditorem transferet, cum etiam ad id cogi possit. Itaque male nonnulli sic colligunt: curatori rerum puberis & negotiorum administratio commissa est, non persona. *l. sciendum.* 20. *de rit. nupt.* proinde de persona sua promittere pubes potest sine curatore suo. Imo contra sic colligi debuit, curatori negotiorum impuberis administratio commissa est, ergo & rerum contrahendarum & obligationis puberis: nam in re contrahenda negotiorum geritur, *l. 7. pr. §. 1. & c. de m:norib.* Neque obligationis summus finis hic est, ut personam nobis obligatam habeamus; sed ut id, quod in obligatio-

nem deductum est, consequamur, *l. 3. de obl. & ait. l. stipulatio.* 38. §. alteri. 17. *de verb. obl.* Denique vel ex eo ipso, quod in *d. l. sciendum. d. de rit. nupt.* Jurisconsultus ait, utrum puella nubat, nec ne, ad officium curatoris non pertinere, quia id non fit ex administratione negotiorum, in qua officium curatoris consistit, satis intelligimus nuptiarum hoc esse proprium, eoque ad alias obligationes transferri non debere. Nam in nuptiis contrahendis non agitur de rebus extra personam positis, de dando aliquo aut præstando, sed de mera & sola conjunctione Personarum. Ceterarum autem rerum obligationes ad conjunctionem personarum non pertinent, sed ad dandum vel faciendum, id est, ad minuendum debitori & creditori augendum patrimonium. At ita futurum est, inquis, ut inter pupillum & adultum curatorem habentem non multum inter sit. Quid tum postea? ex ἀπίστας πολλούς διάφορους Καραντίγας δοτήτειν, teste Modestino in *l. eidem*, 13. *pr. de excus.* id est, valde pauca sunt ea, in quibus distant curatores à tutoribus. & alias nullum esset discriminem inter habentem curatorem & non habentem: cum tamen tam notabile afferatur in *d. l. 3. C. de int. rest. min.*

15. Confirmat, non evertit hanc sententiam locus Pauli in *l. obligari.* 43. *de obl. & ait.* ubi sic scribit, *Obligari potest paterfam. sua potestatis pubes.* His enim verbis, *sua potestatis pubes.* significatur is pubes, qui nec in curatione sit, removenturque puberes curatorem habentes, & ii, quibus bonis interdictum est: alioqui superfluo verba illa adjicerentur, cum nullus sit paterfamilias, qui non sit sua potestatis suive juris, si verba ista accipiantur in sensu vulgari, ut in tit. *Inst. & D. de his qui sui vel al. jur.* Sic & Ulpianus in *l. 2. §. 1. de pollicit.* ait, voto obligari patresfam. puberes sui juris. *sui juris,* id est, sua curæ, qui nec sint in potestate administratoria curatoris: quomodo & Cujacius ipse hoc explicat. 21. *obs.* 23.

16. At mihi plane persuadeo, neque Cujacium, neque quenquam alium ab hac sententia, ceteris fere interpretibus probata, recessurum fuisse nisi eos movisset responsum Modestini in *l. puberes.* 101. *de verb. obl.* Verba Modestini sunt: *Puberes sine curatoribus suis ex stipulatu obligari possunt.* Si ex hoc uno loco res decidenda esset, protinus subscriberem sententia Cujacii: sed quoniam ex professo in contrarium sententiam scripta est *d. l. 3. C. de in int. rest. min.* & quidem ita, ut in aliam trahi nequeat (omitto quæcunq; rationes & alios locos supra

adductos) danda potius opera, ut verbis d. l. 101. ea aptetur interpretatio, qua fiat, ut ne illa d. l. 3. repugnet. Et dictio quidem illa relativa & reciproca suis non patitur, ut verba Modestini sic interpretetur, *puberes qui sunt sine curatoibus*, &c. nec argumentum aut titulus, ut ea restringamus ad duptias aut sponsalia. At haec interpretatio colorem habet; *Puberes sine curatoibus suis*, &c. id est, absentibus curatoibus, quos habent, contrahentes; puberes alibi versantes sine curatoibus suis ex stipulatu obligari possunt; non utique sine illorum confessu, sed praesentia: ut intelligamus hoc inter impuberes puberesque interesse, quod tutor in ipso negotio præsens esse & statim auctor fieri debeat, l. 9. §. pen. de auct. tut. curatoris autem consensus etiam postea interveniens, atque ejus etiam, qui præsens non fuit, sufficiat. Nec video quid speciosus asseri possit ad evitandam legum pugnam, nisi putamus Modestinum ita scriptissime: "Εφεσοι οι νέοι χρημάτων, &c. id est, *puberes sine curatoibus constituti*, ut Imp. in d. l. 3. quod male conversum sit. Sane pleraque Modestini de tutoribus & curatoibus Graeco sermone scripta esse constat ex tit. de confirm. tut. Qui per. tut. De tut. dat. De excus. tut. Consuli interim poterunt DD. in d. l. 3. & d. l. 101. Robert. I. animad. 12. Goedd. tract. de contr. & comm. sfp c. 7. Lyclam. 7. membr. 15. Tim. Fab. annivers. disp. 9. Porro pacificum omnibus possumus, quibuscum juris gentium communio est. Ergo & cum servis, cum deportatis, aliisque peregrinis, cum hereticis, cum hostibus, quibus omnibus fides data jure gentium servanda est, l. nam & Servius. 21. de neg. gest. l. bona fides. 31. depos. de quo luculentius sub. c. 2. & 3.

## C A P U T X V.

An quis pactione sua alteri nocere,  
aut prodesse queat?

1. Quibus casibus pactum reale servi aut filiifam. domino aut patri noceat.
2. Quando pactum personale filii, ne ipse petat. utile.
3. Quibus casibus pactum procuratoris, ne dominus petat, domino noceat.
4. Quando tutoris, curatoris, &c. pupillo, minori, &c. noceat.
5. Cur pactio emptoris hereditatis & debitoris hereditarii noceat venditori hereditatis.

6. Pactum servi & filii ne à domino aut patre petatur, prodest domino & patri.
7. Quid juris, si filius fam. aut servus pacti, ne à se peteretur.
8. Quid si pater pactus, ne à filio petatur.
9. Pactum procuratoris negotiorum domino prodest ad exceptionem dolii.
10. Ejus, qui plane extraneus est, pactum nobis non prodest.
11. Contemplatio auctoris circa l. 3. C. de don. quæ sub mod.
12. Quantum vi & effectu differunt prohibitio alienationis testamentaria & conventionalis.

**N**EMO pactione sua alteri nocere potest, ne ei quidem, cuius est in potestate, l. si tibi. 17. §. pen. l. si unus. 27. §. 4. vers. ante omnia l. contra juris. 28. §. 2. l. ult. h. r.

1. Ceterum pactum à servo aut filiofam. in rem factum, ne pecunia petatur, domino aut patri interdum nocet, videlicet si de re peculiari, cuius liberam habent administrationem, non donationis causa, sed transactionis, aliave simili, quæ non excedit fines administrationis, factum sit, d. l. contra juris. §. 2. hoc tit. Quinetiam pactum de re dominica aliquando utile est, veluti si servus dominicam pecuniam credens patet sit, ne ea ante certum tempus petatur, l. fin autem. 29. eod. Quod si servus aut filius pacti sint, ne ipsi peterent, inutile est pactum, d. l. contra juris. §. 2. eod. Nam cum neque servus, neque filius fam. regulariter petere seu agere possit, l. filius fam. 9. de obl. & auct. l. 6. C. de judic. pacta de non petendo frustra in eorum personam concipiuntur.

2. Quibusdam tamen casibus in persona filiifam. id aliter se habet; veluti si paciscatur, ne injuriarum agat, vel alia quam actione ex earum numero, quæ jure singulari filiofam. competunt, d. l. filius fam. de obl. & auct. quod & Cajus significat in l. in persona. 30. hoc tit. Item cum pactum à filiofam. confertur in id tempus, quo sui juris effectus agere poterit, l. & hered. 21. §. 3.

3. Sed nec pactum à procuratore factum ne dominus petat, nocet domino, præterquam tribus in casibus: quorum primus est si dominus procuratori suo mandavit, ut pacisceretur: alter, si sit procurator omnium rerum, totorum seu universorum bonorum l. nam & nocere. 12. eod. quibus verbis veteres compendio sermonis significant eum, cui plena liberaque rerum administratio concessa est, l. procurator cui. 58. l.

*procurator totorum.* 63. *de procur.* 1. *jusjurandum.* 17. §. ult. *de jurejur.* Vaud. 1. *quest.* 47. Duar. *ad l.* 1. §. *per procuratorem.* 20. *de acq. poſſ.* Atque hujus procuratoris tam ampla potestas est, ut exigere, novare, aliud pro alio permutare, eaque omnia facere possit, quæcumque ad adminilfiltrationem magis, quam ad profusionem dissipationem patrimonii pertinent. Nam donationis causa pacisci non potest, ac ne eas quidem res vendere, quas diligens attentusque patrifamilias distrahere non solet, d. l. *contra juris.* 28. §. 2. *hoc tit.* d. l. 63. *de procur.* l. *ſi conſenſit.* §. 1. *quib. mod. pign. folv.* Tertius casus est, cum quis procurator in rem suam constitutus, id est, cum ei actio creditur; quia hic, ut ait Paulus, domini loco habetur, l. *ſed ſl.* 13. §. 1. *hoc tit.*

4. Similiter nec pactum tutoris aut curatoris donationis causa factum pupillo aut adulto nocet l. *pactum.* 21. C. *ead.* nocet autem si factum sit de re dubia transactionis causa l. *interdum.* 56. §. *pen. de furt.* per l. *tutor.* 35. *pr. de jurejur.* Curator quoque sive administrator reipub. aut civitatis paciscendo non magis reipub. aut civitati, quam tutor pupillo, nocere potest, l. *Imperatores.* 37. *hoc tit.* l. *prefes.* 12. C. *de transact.* eademque causa est ejus, qui societatis vel universitatis magister dicitur, l. *item magifri.* 14. *hoc tit.* l. *actor.* 9. *rat. rem hab.* atque ita accipendum quod Ulpianus d. l. 14. *magistri pactum & prodeſſe & obſeſſe.*

5. Pactio facta inter emptorem hæreditatis & debitorem hæreditarium nocet venditori, l. *ſi cum.* 16. *hoc tit.* nec mirum, cum totum commodum ad emptorem pertineat, qui etiam utiles actiones proprio nomine habet ex constitutione Divi Pii d. l. 16. Facilius admittendum fuit, ut quis pactio sua alteri possit prodeſſe: quod & ipsum tamen regulariter receptum non est, l. *ſi tibi.* 17. §. 4. l. *ſi cum.* 36. l. *tale pactum.* 40. §. ult. *hoc t.* l. *ſtipulatio.* 37. §. *alteri.* 17. *de ver. oblig.* Pactum filii aut servi, ne à patre aut domino petatur, utile est, prodestque patri & domino, d. l. *ſi tibi.* in fin. *cum 2.* II. *seqq.* *ead.* quoniam per eas personas, quæ in potestate nostra sunt, melior conditio nostri fieri potest, et si deterior fieri non potest, l. *melior.* 131. *de reg. jur.* l. 3. l. *filius.* 23. C. *hoc tit.* Idemque dicendum & de eo servo, in quo usumfructum habemus, aut qui nobis bona fide servit, l. *ſi debitor.* 55. *ead.* Si filius fam. pactum fecerit, ne à se petatur, proderit ei, l. *acquirent.* 19. §. 1. *ead.* Nam ex omni caufa filius fam. conveniri potest, sicut pater fam. l. *filius fam.* 39.

*de obl. & aet.* ac nametsi pactum istud personale sit, nihilominus tamen & patri proderit, si nomine filii conveniatur; utique quamdiu filius vivit; morte enim filii extinguitur, quia personale est. Quod si servus, ne à te peteretur, pactus sit, nihil valebit pactum; quia ab eo peri non potest. l. *cum servo.* 107. *de reg. jur.* At enim si in rem paciscatur, proderit domino pacti conventi exceptio. Si vero in personam pactum conceptum fuerit, dabitur domino hoc casu exceptio doli subsidiaria, l. *& hæredi.* 21. §. 1. *hoc tit.*

6. Pactum à patre factum ne à filio petatur, filio non prodest, etiamsi postea hæres filius extiterit, l. *ſi tibi.* 17. §. 4. *ead.* quod tamen cum Cujacio sic accipio, hærenus non prodest, ut filius pacti exceptio directa utatur: nam doli exceptio non videtur ei deneganda, arg. d. l. *& hær.* §. 2. *hoc tit.* & ita quoque Zal. in d. l. *ſi tibi.* §. *cum paſſeffor.* n. 7. & Pac. in §. 4. *ead.* Sed si pater paciscatur filio, ut hæredi futuro, quod facere intelligitur, cum super ea obligatione paciscitur, ex qua non potest filius, nisi ut hæres, conveniri, exceptio pacti filio danda est; nam hæredi confuli concessum est; & nihil prohibet uni ex hæredibus providere; ceteris autem non consuli, auctore Celso in l. *avus.* 33. *hoc tit.* quod & Pomponius probat, l. 10. *de pact. dotal.* Huic tamen sententia obliqui videtur Julianus l. *eum qui.* 56. §. 1. *de verb. oblig.* ubi ait, si quis promiserit se & Titium hæredem suum daturum, nihilominus ceteros quoque hæredes teneri, quamvis convenisse videatur, ne à ceteris peteretur. Nolo hic examinare varias responsiones cum veterum, tum recentiorum interpretum in d. l. 33. & d. l. 36. §. 1. sed quid mihi ad d. l. 56. §. 1. respondendum videatur, breviter exponam. Ago igitur Julianum illic principaliter agere de constituta obligatione in unum ex hæredibus, quod fieri propter legem 12. tabb. non potest: utpote ex qua obligatio, quæ in defunctum coepit, in omnes competit proportionibus hæreditariis, l. 2. C. *de hær. aet.* l. 6. C. *fam. erc.* Et quamvis, si verba stipulationis spectamus, in qua filius Titii mention facta, possit videri tacite convenisse, ne ab aliis hæredibus, sed à solo Titio peteretur; tamen taciti hujus, & tantum non imaginarii pacti rationem non habendam, propterea quod verisimile non est eam fuisse mentem stipulatoris decem sibi dari stipulantis, ut à solo Titio eam summam peteret, à ceteris nihil peteret atque ita integrata decem non posset consequi. Certum

enim est, Titum ultra portionem hæreditariam obligari non potuisse, & vel ideo, quia hæres ultra eam portionem habetur pro extraneo, l. 14. C. de rei vind. l. pen. C. de her. act. Atque hinc est, quod Julianus ait, Titii personam supervacue comprehensionem esse. Ex converso quoque qui stipulatur sibi & Titio heredi suo dari, omnibus hæreditibus suis obligationem acquirit propter eandem legem 12. tabb. ex qua etiam obligatio a defuncto coeptra heredibus omnibus pro hereditaria cujusque parte acquiritur; quod cum procul dubio cum effectu accipendum sit, consequens omnino est, neminem partem suam petentem exceptione summoveri posse, contra quam existimat Accursius in d. l. 33. hoc tit. At vero apud Celsum d. l. 33. non agitur de uno ex hæreditibus obligando, neque de obligatione uni acquirenda; sed de uno per pactionem liberando, eique ita consulendo, ut huic soli exceptio proficit, ceteris non item. Hoc autem eti tacita pactione non efficitur, expressa tamen effici potest. Tutoris quoque & curatoris pactum prodest pupillo, adulto, furolo & prodigo, l. tutoris. 15. l. contra 28. §. 1. eod. l. curatoris. 22. C. eod. quia eti personæ extraneæ sunt, tamen ob hoc ipsum rebus nostris administrandis sunt præpositi, ut faciant conditionem nostram meliorem. Sed & pactum procuratoris negotiorum domino prodest, quanquam non ad exceptionem pacti, sed ad exceptionem doli, quæ exceptionis pacti plerumque subsidium est l. transcriptum. 10. §. ult. eod. Quippe exceptio dolii non tam ex facto procuratoris nobis nascitur, quam ex dolo creditoris nostri; quem certum est dolo facere, si id petat, quod procuratori nostro, id est, pene alteri domino, & quidem nostro nomine remiserit, l. 1. §. 1. & 2. de dol. mal. except. Et generaliter quicunque stipulando nobis acquirere possunt, iidem & paciscendo possunt conditionem nostram facere meliorem, l. per quos. 59. hoc tit.

10. At si quis plane extraneus est, qui nec in potestate nostra sit, nec rebus nostris administrandis præsit, ejus pactum nobis non prodest, nec inde aut actio aut exceptio acquiritur extraneo, l. stipulatio. 38. §. alteri. 17. de verb. obl. l. 3. C. de inut. stipul. l. quotela. 73. §. ult. de reg. jur. quanquam interdum in subsidium exceptio dolii datur, l. idem in duobus. 25. §. ult. & l. seq. hoc tit. Illud singulare esse videtur in donatione, quod ex donatoris pacto acquiri potest actio tertio alicui extraneo contra donatarium, per l. 3. C. de donat. quæ. sub mod. cuius rei hanc esse rationem scribit Covar. 1. var. re-

sol. c. 14. quod id speciale sit in donatore liberalitatem exercente in donatarium, ut possit donator obligationem exigere in aliquo tertii favorem, obiter inspici potest & Ant. Fab. Cod. suo forens. ad d. tit. Cod. de donat. que sub. mod. defin. 2.

11. Tentari tamen potest, d. l. 3. C. eod. tit. occurre speciem fidei commissi in contractu constituti. Sane enim & in contractibus interdum fideicommissum constituitur, l. Publica Mævia. 26. pr. depos. l. si pecunia. 77. de legat. 1. Et sic possum in traditione rei meæ pacisci, ne res alienetur, l. ult. C. de paet. int. empt. & vend. l. ult. Cod. de reb. al. non al. l. in traditionibus. 48. hoc t. l. 3. C. de cond. ob caus. dat. cui non obstat l. pen. h. tit. quippe quæ ad eum casum non pertinet, cum pactio intercessit in traditione rei meæ, sed inter duorum prædiorum dominos, quorum alter ab altero nihil accepit.

12. Atque hæc est prohibitio conventionalis, inter quam & prohibitionem testamentariam, ut id obiter addam, hoc interest, quod ex testamentaria prohibitione & que ac ex legali, ad revocandam rem alienatam actio in rem competit, l. ult. §. 3. C. comm. de legat. At si contra conventionale fideicommissum alienatio facta sit, personalis duntaxat actio contra alienantem datur, d. l. 3. C. de cond. ob caus. dat. Quapropter quavis in d. l. ult. C. de reb. al. non alien. prohibitio fiat alienationis rei non modo quæ in testamento, sed etiam quæ in contractu alienari vetatur, ex eo tamen non oportet colligere eundem esse utriusque prohibitionis effectum, sed commodanda est vis ac potestas prohibitionis ad eum modum, quem species singulæ illic posita pro natura sua admittunt; quod & interpp. vulgo observant Bronch. cent. 1. assert. 35.

## C A P U T X V I.

Quatenus pactum debitoris fidejussori, aut fidejussoris debitori profit, & de pacto unius è duabus reis.

1. An utilitas exceptionis fidejussori quæ sita ex pactione rei, contraria rei pactione ei auferri queat.
2. Pactum fidejussoris nec reo nec confidejussori prodest.
3. Jurisjurandi alia ratio, & quare.
4. Quid juris, si expresse convenit, ne à reo quoque petatur.
5. Pactum unius ex correis debendi sociis alteri quoque prodebet: nec obstars l. 3. de lib. legat.

6. Si socii non sunt, non prodeſſe.
7. Species l. 2. C. de duob. reis.
8. Quid si uni ex correis debendi reddita cauio, & ita tacite pactio inducta?
9. Paclum unius è duobus reis credendi sociis ita alteri non nocere, ut neque proſit.
10. Explicatio l. si duo. 34. de recept. arbitr.
11. Si rei credendi socii ſint, paclum unius alteri nullo obeffe modo.

**PACTUM** debitoris in rem conceptum fideiſuſſori quoque prodeſſe conſtat, non tam propter vicinitatem obligationis, quam ob regulam traditam l. & heredi. 21. §. ult. hoc tit. ut jam intelleximus. Personale autem paclum debitoris diximus fideiſuſſori non prodeſſe (utique jure veteri) l. niſi hoc. 22. eod. Atqui, inquis, etiam hic interet rei, ne à fideiſuſſore petatur. Sed id in propoſito considerari non debet: quippe ubi reus expreſſe paclum ad ſuam perfonam reſtrinxit, creditori, qui aliter paclus non fuſſet, non poterit objici exceptio à fideiſuſſore, aut fiobjicatur, replicatione elideretur. Quid si ſimpliciter ſine particula taxativa paclus fit debitor ne à ſe petatur? Puto hoc paclum etiam fideiſuſſori profuturum & omnibus, quorum principaliter & pecuniarie interet, ne ab aliis petatur, arg. l. ſi tibi. 17. §. propen. hoc tit. Procedit igitur d. l. niſi hoc. 22. in paclto, ut loquitur Bartolus, personaliſſimo, quando paclto eft inserta diſcio taxativa; veluti ſi conuenit, ut a reo duntaxat non petatur. Poteſt autem & fine persona ſua reus pacifi, ne à fideiſuſſore petatur, ut paclum fit efficax, l. ſi unur. 27. §. eod.

1. Quæſtionis eft, an utilitas exceptionis ſemel fideiſuſſori quæſitæ ex paclione debitoris, ei iterum contraria debitoris paclione auferri queat. Et Furius Anthianus respondit, non poſſe, l. ult. hoc tit. cui obſtare videtur l. ſi unur. 27. §. 2. verſ. eadem ratione. eod. ubi Pāulus ait, prius paclum eadem ratione fideiſuſſoribus non prodeſſe, qua prius non prodeſſe debitori, qui poſtea paclus eft, ut petere liceret. Sed non ſunt hæc contraria. Nam hoc tantum ſignificat Paulus, ut paclum de non petendo debitori factum poſteriorē debitoris paclto de petendo tollitur, non ipſo jure, fed ope replicationis, ita & paclum factum debitori vel fideiſuſſori paclto contrario ipſius fideiſuſſori per replicationem elidi, ut noceat fideiſuſſori. Longe autem diuersum eft, quod Anchianus definit, exceptionem fideiſuſſori vel ſua vel debitoris paclione ſemel quæſitam, ipſi invito extorqueri non poſſe, Pac. 1. cent. 98.

2. Ex converſo paclum fideiſuſſoris reo

non prodeſſe, quoniam ut proſit reo, nihil interet fideiſuſſoris; quippe in quem reus, ſi ſolvet, nullam actionem habiturus ſit: ac proinde eſi fideiſuſſor ſimpliciter paclus fit, ne pecunia peratur, nihil magis id proderit reo, l. fideiſuſſoris. 23. hoc tit. ea demque ratione nec confideiſuſſori hujusmodi paclta proderunt, d. l. 23.

3. Jurisjurandi alia ratio eft: id enim ſolutionis loco cedit, l. jusjurandum. 27. & l. ſeq. §. 1. de jurejur. dummodo de ipſo con tractu & de re juratum ſit: quoniam tunc perinde habetur, quaſi nihil debeatur, l. in duobus. 28. §. 1. d. tit. Paclum autem non facit, ut ne quis debeat, ſed ut defendantur exceptione.

4. Cæterum ſi expreſſi conuenit, ne à reo quoque petatur, placet tale fideiſuſſoris paclum etiam reo proficere, l. idem in duobus. 25. §. ult. & l. ſeq. hoc tit. quo tamen caſu debitori non exceptio paclti, ſed doli exceptio datur, d. l. 15. §. ult. nimis etiam ex equo & bono: eft enim exceptio doli ſubſidiaria illius, quaſi alias ex paclto compete ret, ut ſupra quoque monuimus, l. refcri ptum. 10. §. 2. eod. Placet autem hoc caſu etiam reo exceptionem dari propter ~~convenit~~ ſeu connexum obligationum, quia reus & fideiſuſſor unum & idem debent. Idem eft & in confideiſuſſoribus. Excipitur & hic caſus, ſi fideiſuſſor quis ſit in rem ſuam: quoniam hic reus potius eft, quam fideiſuſſor, & iſ pro quo fidem interpoſuit, fideiſuſſor verius, quam reus, l. ſed ſi. 24. eod.

5. Si unus ex correis debendi, qui & socii ſint, paclus fit, ne à ſe petatur, quin id paclum cæteris quoque proſit, vix ambiguitur, propter regulam l. & heredi. 21. §. ult. hoc tit. Nam hoc quoque pacientis pecuniariter interet, à ſocio promittendi reo non exigi, quia ſi ſolvat, id alteri judicio ſocietatis reputabitur. Obſtare tamen vide tur, quod Julianum respondiſſe Ulpianus l. 3. §. 3. de liber. legat. refert, ſi uni ex correis ſocii liberatio legata eft, non paclto, ſed per acceptationem eum liberari debe re, ne dum ab altero petitur, ille inquietetur: quibus verbis non obſcure ſignificat, paclum unius rei debendi alteri non prodeſſe, licet ſocii ſint. Sed recte respondent Bachovius Jurisconsultum in ſpecie illic pro posita liberationem fieri voluisse per eum modum, quo penitus & ipſo jure obli gatio perimitur, ut in omnem eventum legatio proſpectum eft; cum alioqui actione ipſo jure non ſublata fieri poſſit & aliquando contingere, ut actione aduersus alterum instituta ipſe inquietetur.

6. Quid si socii non sint? pactum unius alteri non prodelse probatur ex *l. idem.* 25. *hoc tit.* quæ lex conjungenda est cum *l. fidejussoris.* 23. *eod.* ut inscriptio & res ipsa indicat. Cessat quoque hic regula *d. l. 21. §. ult. eod.* quia non interest paciscentis à correo, qui socius non sit, non peti. Et hoc in primis facit *d. l. 3. §. 3. de lib. legar.* ubi Jurisconsultus ait, alterum ex correis debendi, cui liberatio legata, agendo quidem consequi posse, ut pacto liberetur; sed non ut per acceptilationem, ne alteri liberatio proficit.

7. Plerique tamen credunt huic sententia contrarium esse, quod rescriptum est *l. 1. C. de duob. reis.* si unus ex duobus debendi reis conventus integrum debitum creditori exsolvat, quod ultra dimidiam suam solvit, posse repetere, quod sic accipiunt, posse repetere etiam citra cessionem in corrum actionis, videlicet subsidiaria actione negotiorum gestorum: & secundum id sæpe judicatum esse testantur Ant. Fab. *Cod. suo for. de duob. reis. defin. 1.* Chrittin. *vol. 3. decif. 114.* & *vol. 4. decif. 178.* Ego vero puto *d. l. 2.* commode accipi posse de correis sociis, propterea quod pecunia ibi dicunt communiter mutuo accepta, vid. eund. *Fab. 11. conject. 6.* & seqq. Perez. *ad tit. C. de duob. reis.* n. 10. & seq. Plane si quis nominatim correo quoque suo pacificatur proderit ei pactum ad exceptionem doli, arg. *l. idem in duobus.* §. ult. cum *l. seq. hoc tit.*

8. Quid si tacite pactum inducatur ex chirographi redditione uni ex correis debendi facta? Non alii prodesse posse Alexander ad *l. 2. hoc tit.* scripti, quam ei cui redditum est. Tacitum enim pactum ex facto inducitur. Factum autem nullum intercedit creditoris nisi cum eo ex correis, cui chirographum redditur. Et potius redditio illa conjecturam inducit & probationem mandatarum ei adversus correum actionum, arg. *l. 1. G. de donat.* *l. Mævia 49. solut. matrim.* *l. servum filii.* 44. §. eum qui. §. de legat. 1. Ex quo apparet non posse correo ex ea causa queri exceptionem pacti de non petendo; aliqui videretur creditor mandasse actionem inurilem; quippe quæ per exceptionem pacti elidi posset; idemque creditoris factum & actionem præberet, & simul exceptionem, qua hec actio elideretur; quod est absurdum. Fidejussorum alia ratio est. Quidni enim iiii proposito exceptio pacti, cum non possit redditio instrumenti facere, ut adversus eos ulla actio mandata videatur. Namque reus principalis regressum habere non potest adversus fidejussorem suum, cui ex contrario ipse indemnitatē præstare

debet. Plane si in rem suam fidejussit, aliud dicendum est, nam hoc casu nec pro fidejussore habetur, *l. sed si.* 24. *hoc tit.* *l. 1. §. 1.* qui satisf. cog. *l. 5. de liber. legar.* & ita judicatum refert Ant. Fab. *C. suo. hoc tit. defin. 6.* vid. & sup. c. 12. n. 13.

9. Illud adhuc videndum, an pactum unius ex reis stipulandi aut credendi alteri credendi correo noceat, nempe si pactus sit se non petiturum. Et hic iterum interesse putem, socii sint, nec ne. Si socii sunt, pactum unius alteri ita non nocebit, ut neque prospicit: nam saltem pro parte obstat correo petenti exceptio, pro ea videlicet parte, quam ille socio restituere teneretur judicio societatis: eam autem partem, quam ipse consequitur, communicare non tenetur socio ejus pactione effectum, ne integrum consequi potuerit. Et ut ut summi juris ratio efficere videtur, ut nullo modo unius pactum alteri obstat, propter conditionem obligationis duorum reorum, in quorum singulorum persona tota obligatio consistit: æquitatis tamen ratio facit, ut agenti saltem obstat exceptio pro parte.

10. Objicit huic sententiae Ant. Faber, *l. si duo.* 34. *de rec. arbitr.* ex qua ita argumentatur; Si compromissum unius ex correis sociis in totum alteri nocet, ergo nocebit & pactum: at compromissum nocet, &c. *d. l. 34.* Respondeo, falsum est assumptum: idque vel ex eadem *l. 34.* liquere potest: non enim queritur eo loco, an socius petere, quod promissum est, posset; sed an petente eo stipulatio poenalis interposita à socio, qui compromisit, committatur; quod non obscure affirmat Jurisconsultus. Unde facile intelligitur compromissum socio, qui non compromisit, non nocere: quamvis & eo petente stipulatio poenalis committatur adversus eum scilicet, qui compromisit.

11. Quod si correi credendi socii non sint, pactio unius alteri non obserbit ullo modo: quoniam talia pacta vim suam nunquam exercunt extra personas paciscentium, *l. si unus.* 27. *in fin. pr. junct.* §. 3. *vers. ante omnia hoc tit.* Aliud est, si unus promissori acceptum tulerit, *l. 2. de duob. reis.* aut novandi animo alium reum acceperit, *l. si rem.* 31. §. 1. *de novat.* aut jurandum detulerit, *l. 28. de jurejur.* quia hæc omnia vicem solutionis obtinent. Sed & vim litis contestatae jurandum habet, *l. 9. §. 3. de jure jur.* Petitione autem unius alterius jus consumitur, *l. 2. de duob. reis.* *l. 31. §. 1. de novat.* *l. 11. §. sic evenit.* 21. *de legat.* 3.

*legat.* 3. Hæc nunc pro instituto sufficient: alio fortassis tempore & loco nonnulla opulentius.

## C A P U T XVII.

De pactis majoris partis creditorum.

1. *Pactio debitoris, licet facta cum majore parte creditorum, aliis creditoribus non nocet.*
2. *Excipitur casus, de quo l. 7. §. ult. & 3. ll. seqq. hoc tit.*
3. *Exceptionis hujus ratio.*
4. *Major pars creditorum non ex numero personarum, sed ex modo debiti estimatur.*
5. *Creditores absentes, recte & tempestive citatos sequi debere exemplum præsentium.*
6. *Non excipi in hoc negotio creditores privilegiarios.*
7. *Hypothecarios excipi, & qui fidejussorem habent, & quare.*
8. *Sententia Pauli in l. si præcedente. §8. §. 1. mandat.*
9. *Quid nostris & Gallorum moribus.*

**C**REDITORES cum debitoribus suis obturatis qui solvendo non sunt, interdum paciscuntur de parte aliqua debiti non petenda: & hæc quidem pacta certo jure nocent illis, qui pacti sunt de certa portione remittenda: sed an aliis creditoribus, qui forte noluerunt pacisci, nocet pactio majoris partis creditorum, ut nec ipsi possint totum petere, queritur.

1. Dicendum est debitoris pactionem licet cum majore parte creditorum factam, cæteris non obesse, *l. debitorum.* 25. *Cod. hoc tit. per l. non debet.* 74. *de reg. jur. tot. tit. C. res int. al. alt. l. solvendo.* 19. *de neg. gest. item arg. l. ult. C. qui bon. ced. poss. ubi pars major creditorum minori quidem parti præjudicare potest in danda dilatione seu indiciis ad solvendum secundum formam illius constitutionis: cæterum non idem statuitur de remittenda parte debiti.*

2. Quo pertinet ergo disputatio Jurisconsultorum in *l. juris gentium.* 7. §. ult. & 3. ll. seqq. hoc tit. de pactione majoris partis creditorum? nimis ad casum singularem; cum scilicet hæres, qui vocatur ad hæreditatem debitoris obserati, & alienum metuens ita se instituit, ut nolit aliter hæreditatem adire, quam si a creditoribus sibi caverit, eos certa parte debiti contentos fore. Hoc casu placet pacta majoris partis creditorum nomine omnium facta, non tantum nocere pacientibus, sed etiam iis, qui pacti non

*Vinn. Tract. Varii.*

funt, *d. l. 7. §. si ante.* 17. *junct. d. §. ult. eod. arg. l. quod major. 19. ad municip.*

3. Atque hoc non sine evidenti ratione æquitatis constitutum est, quoniam creditorum omnium, etiam eorum, qui pacti non sunt, interest hæredem adire hæreditatem, ut saltem partem aliquam debiti salvam habeant, cum alias fieri posset, ut totum amitterent, aut de eo in dubium venirent, quia hæreditate non adita neminem haberent, quem possent convenire, §. 2. *in fin. Inst. de leg. Falsid.* Hæc autem ratio cessat, ubi hæres jam hæreditatem adiit nulla pactione interposita: quoniam cum nunc sit aliquis, qui conveniri possit, non debet aliorum, licet majoris partis, pactio obesse his, qui pacti non sunt. Ita recte Bart. Bald. Angel. Salic. Castr. *in dd. ll.* Unus tamen casus est, ubi etiam viante adhuc debitore principali obserato partum majoris partis creditorum nocet cæteris: nempe ubi debitor fugitus est, nec potest commode conveniri. Tunc enim eadem hic ratio est, quæ allegata fuit in debitore defuncto, cuius hæres recusat adire hæreditatem. Jason *in l. majorem.* 8. *hoc tit.*

4. Porro in toto hoc negotio majorem partem æstimari placuit ex modo debiti, non ex numero personarum, *d. l. 8. l. ult. C. qui bon. eod. ced. poss. l. si quis.* 14. *depref. l. cum bona.* 16. *de reb. aut jud. poss.* Enimvero hæc ita in supra dicta specie procedunt, si major creditorum pars de remittenda aliqua debiti portione, non de toto remittendo inter se disceptent. Paul. Castr. *ad d. l. 7. §. ult. hoc tit.*

5. Et quidem hic etiam absentes creditorum exemplum præsentium sequi debebunt, inhibiturque majoris computatio ex iis, qui præsentes sunt, *l. rescriptum.* 10. *eod.* Ceterum non aliter hoc procedet, quam si recte & tempestive citati sint absentes, ut bene *DD. comm.* quamvis Angelus, Castrensis & Pacius dissentiant: qui licet fastantur tutius esse absentes citari, tamen necessarium negant. Etenim cum hic partes suas prætor interponat, ejusque decreto opus sit, *d. l. 7. §. ult. hoc tit.* speciem judicati hæc res continet, ut iis, qui citati non sunt, ea præjudicare non debeat, *arg. l. de unoquoque.* 47. *de re jud. l. etiam si.* 29. *§. ult. de minor. l. nam ita.* 39. *de adopt.* Eoque jure utimur.

6. Quod autem major pars creditorum præsentium ita, uti diximus, statuerit, nobebit aliis etiam absentibus creditoribus, quantumvis privilegiariis, *d. l. rescriptum.* 10. *hoc tit.* nempe iis etiam, qui personale

privilegium inter creditores chirographarios habent, ut in *l. qui in navem.* 26. *l. quod quis.* 34. *l. bonis.* 38. §. 1. *de reb. aut. jud. poss.* *l. si sponsa.* 74. *de jur. dot.* Item fisco, cum non hypothecam, sed tantum privilegium exigendi personale habet, d. *l. rescriptum.* *hoc tit.* veluti cum in privati locum fiscus succedit, *l. fiscus.* 6. *de jur. fisc.* Alias contractibus suis habet fiscus hypothecam, sicut & ex causa tributorum, *l. l. 2. in quib. caus. pign. tac.*

7. Hypothecariis vero creditoribus pactio creditorum chirographariorum non nocet, *d. l. rescriptum.* *hoc tit.* cuius rei ratio perspicua est: neque enim iis obesse debet aliorum pactio, qui jus hypothecæ habent, propriaque actione rem sibi obligatam persequi possunt. Sed neque nocere debet creditoribus qui fidejussore vel mandatorem habent; quoniam his etiam satis prospicuum est, et si haeres non adierit hereditatem, cum habeant electionem, utrum debitorem, an fidejussorem convenire velint, *l. si praecedente.* 58. §. 1. *mandat. add.* Trentacing. *resol lib. 3. sub tit. de solut. c. 3.* In dandis vero induciis, quia minus praæjudicii vertitur, etiam hypothecarii creditores sequi tenentur suffragium majoris creditorum partis, *l. ult. vers. nulla quidem differentiation. C. qui bon. ced. poss.*

8. Quod autem diximus etiam privilegiariis creditoribus pactionem majoris partis creditorum nocere ex Ulpiano in *d. l. rescriptum.* *hoc tit.* ei obstat videtur *d. l. si praecedente.* 51. §. 1. *mandat.* ubi Paulus scribit per pactum majoris partis creditorum praesentium non auferri absenti creditori pignus aut privilegium. Ceterum nulla est inter Ulpianum & Paulum pugna: neque enim Ulpianus hoc dicit, pactione majoris partis creditorum praesentium auferri absentibus privilegiariis privilegium, ut putavit Cujacius, & Busius; sed ipsos etiam sequi debere exemplum creditorum praesentium, & portione debiti esse contentos: At vero privilegium, quod inter actiones personales vertitur, non admittunt, & præferrunt nihilominus in portione debiti reliquis creditoribus chirographariis, si forte propter heredis inopiam, suam singuli partem consequi nequeant; quod saepe evenire potest: & hoc solum est, quod Paulus vult in *d. l. si praecedente.* §. 1. *mandat.* Nam comparatio illa pignoris & privilegii apud Paulum non absolute, sed *ante* *si accipienda:* nimirum sicut pactione majoris partis non auferunt pignus creditoribus hypothecariis, ita nec privilegium auferri creditoribus privilegiariis. Illud vero discrimen

adhuc manet, quod conventione illa nec in parte debiti praæjudicetur creditoribus hypothecariis, privilegiariis autem praæjudicetur, ut recte post Bartolom & alios veteres interpres Baro & Colalius in *d. l. rescriptum.* Borcholt. *de pac.* c. 5. n. 21. & seqq. Pac. cent. 1. quæst. 89.

9. Hodie pactio majoris partis creditorum partem debiti remittentium dissentientibus neutiquam obest edit. Carol V. edit. 19. Maii 1544. arb. 35. atque ita in Gallia quoque judicatum refert Autumnus censur. Gall. ad *l. 7. §. ult.* & *l. 8. ff. de pac.* Sed nec pactas quoque cum majore parte creditorum inducias, ceteri creditores sequi tenentur nisi oblata cautione & judicis decreto interveniente, d. art. 35. atque ita in supremo Hollandæ senatu judicatum testatur Neostad. decif. sup. Cur. 53.

## C A P U T XVIII.

De quibus rebus pacisci possumus.

1. *Privatorum pactis jus publicum mutari non posse.*
2. *Non valere pacta, que contra juris regulas, seu contra formam juris civilis aut prætoris sunt.*
3. *Valeatne convenio vivo testatore facta, ne heres Falsidia uiatur.*
4. *Interpretatio l. pacum.* 46. *hoc tit.*
5. *Valere pactionem gratuitam de remittendo legato conditionali, quamvis repudiatione non valeat.*
6. *Moribus horum temporum etiam repudiationem eodem casu valere.*
7. *De controversiis, que ex testamento oriuntur, etiam non inspectis tabulis recte paciscimur.*
8. *De alimentis testamento relicitis gratis pacisci citra prætoris auctoritatem licere.*
9. *Pactum de quota litis cur improbatum.*
10. *An non saltem pactio, que per se non valet, vires accipiat à jurejurando.*

**PACISCI** possumus de re privata dum taxat & familiari, veluti si quis paciscatur, ne judicati, incensarium ædium, depositi, furti agat, ne operis novi nuntiationem exequatur, *l. juris gentium.* 7. §. *si paciscar.* 13. & 2. seqq. *hoc tit.* ne debitorem ultra quam quatenus facere possit, conveniat, *l. si quis crediderit.* 49. *eod.* ne ab herede hereditatem adiutorio totum peitat, *d. l.* 7. §. *si ante.* 17. *eod.* ne legatorum sibi relictorum nomine satisfactionem ab herede exi-

gat, *I. pactum. 46. eod. fac. l. 2. Cod. ut in poss. legat.* ne utatur fori præscriptione, *I. pen. C. eod.* Eadem ratione valet pactum, ut res deposita sit periculo ejus, apud quem deponitur, *I. 7. §. sed & si 15. eod. l. 1. §. sape evenit. 35. depos. I. contractus. 23. de reg. jur.* ne jumenti virtiosi aut morboſi venditor teneatur emptori actione redhibitoria, *I. 31. hoc tit.* Licit enim id pactum fiat contra edictum adilium, ad rem tamen pacientium privatam & familiarem tantum spectat, & renunciationem continet beneficii emptori edicto adilitione concessi. Item si fideicommissi onere invicem gravati sint filii, potest precaria hæc substitutio mutuo consensu remitti, *I. cum proponas. 16. C. eod.* cui simile exemplum est, quod proponitur *I. 1. Cod. eod. cum quis spem fideicommissi conditionalis sibi delati pacto remittit, & pro ea remissione qui vicissim accipit.* Ex eadem regula & illud est, quod si inter emptorem & venditorem convenerit, ut venditor de evictione non teneatur, pactio servanda sit *I. in emptionibus. 43. eod. l. 11. §. ult. de act. & empt.*

1. De iis vero rebus, quæ ad causam publicam pertinent, pacisci non possumus; puta si quis paciscatur, ne operis novi nuntiationem, quæ reipub. causa facta est, exequatur, *I. 7. §. si paciscar. 14. hoc tit.* nam jus publicum privatorum pactis mutari non potest, *I. jus publicum. 38. eod.* Et hoc est, quod generaliter definit Ulpianus *d. I. 7. §. & generaliter.* quoties pactum à jure communi remotum est, servari hoc non oportere: à jure communi, dictum videtur pro à jure singulorum & re cujusque privata, *I. si unus. 27. §. pacta. 4. eod.* Et ideo si is, cui oppignoratur prædium, paciscatur cum debitore, ne onus tributi prædii oppignorati agnoscat, sed ejus solvendi necessitas incumbat debitori, hoc pacto non convellitur forma juris fiscalis, *I. inter debitorem. 42. eod.* quanquam quod ad pacientes attinet justum, ac proinde servandum est, *I. epistola. 52. §. 2. eod. l. ult. C. fin. cens. vel reliq.*

2. Aliter hæc cum Græcis explicat Cujac. *lib. 1. obs. 24.* res autem eodem recedit. Similiter non valent pacta, quæ contra juris civilis regulas seu contra formam juris civilis aut prætorii sunt, *I. contra. 28. hoc tit. I. 27. de reg. jur.* veluti si pullus sine tutoris auctoritate pactus sit ne à debitore suo petat, *d. I. 28.* aut si convenierit, ne omnino, vel ut longiore tempore dos reddatur, *I. 2. I. 12. §. 1. l. licet. 18. de pact. dot.* aut si constante matrimonio vir & uxor paciscantur, ne ob res do-

natas ageretur, *I. 5. §. 1. d. tit.* Item si quis cum aliquo paciscatur, ne ejus frater sit. Nam jus agnationis aut cognationis pacto tolli non potest, *I. jus agnationis. 34. hoc tit.* Conjunction sanguinis necessaria est & naturalis conjunction, quæ ex voluntate arbitrio nostro non pender. Quam ob causam Isocrates amicitiam consanguinitate potiorem esse dicebat, quod hæc *ex r̄is adūx̄ns, ex necessitate, illa ex r̄is coagulat̄s, ex voluntate proficiscatur.* Eademque est ratio sententia, si forte iudex adeo excors sit, ut agnationem inter duos existentem ratione aliqua motus dirimat; aliter atque si nullam inter eos agnationem esse pronuntiet, quo casu merito jus facit sententia & pro veritate habetur, *I. 1. in fin. l. 2. l. 3. pr. de lib. agnosc.* Et in univerlum status hominis vel conditio personæ pactis mutari non potest, *I. liberos. 10. Cod. de lib. causa.* Denique sicut pacto effici non potest, ut is agnatus sit, qui agnatus non est, nec contra: ita quoque ut cohæres sit aliquis, cui neque testamento neque legi defertur hæreditas, frustra cavemus, *I. epistola. 52. pr. hoc tit.*

3. Quæslitum est, an valeat conventio vivo adhuc testatore facta, ne hæres Falcidia utatur, & certam pecuniam, si contra fecerit, præstet? Et Papinianus in *I. quod bonis. 15. §. 1. ad leg. Falc.* respondet hujusmodi conventionem tanquam juri publico contrariam non valere. Qua eadem ratione nec testator ipse olim in suo testamento Falcidiā prohibere potuit: quia nemo potest in testamento suo cadere, ne leges in suo testamento locum habeant, *I. nemo potest. 55. de legat. 1.* Ceterum quoniam jure novissimo testatori permisum est vetare, ne hæres Falcidia utatur, *Nov. 1. c. 2.* putavit Cujacius in *I. pactum. 46. hoc tit.* & cum Cujacio Busius, hodie etiam vivo testatore privata conventione remitti Falcidiā posse, contra responsum Papiniani in *d. I. quod bonis. §. 1. ad leg. Falcid.* Quod probare non possum. Abutitur Cujacius ratione Jurisconsulti, dum eam nimis generaliter accipit. Quod potest fieri, inquit, testamento, potest & pacto. Verum est; sed id demum procedit mortuo testatore, cum jam hæreditas aut legatum delatum est, aut faltem testamentum morte confirmatum, ut jam amplius voluntas revocari nequeat.

4. Hæc enim est sententia *d. I. 46.* sicut testator potuit testamento suo cadere, ne ab hærede satisfatio legatorum nomine exigatur, ita & post mortem testatoris legatarius, qui satisfactionem exigere poterat, eam pacto potest hæredi remittere. Neque

vero cur olim hæres Falcidiam vivo testatore remittere non potuerit, hæc ratio est, quod nec testator huic legi derogare potuit; sed hæc, quod eo tempore institutus necdum hæres dici potest, nec ullum plane jus ei natum est, cum testamentum pro libitu testatoris mutari queat: quæ ratio etiamnum obtinet. Et sic omnino accipendum, quod Jurisconsultus in d. l. 46. ait licere sui juris persecutionem aut spem futuræ perceptionis deteriorem constituere: nimirum non juris prorsus incerti, & quod in nuda atque imaginaria spe positum sit, cuius remissio jure nostro nullum momentum habet: sed juris aut jam delati, aut alias ita oblati, ut nisi die aut conditione differretur, statim illud agnoscendo acquirere possemus. Sane post mortem testatoris convention facta, ne hæres Falcidia utatur, valet: eaque Ulpiani sententia est in l. qui quod. 46. ad leg. Falcid. & Marcelli in leg. si patronus. 20. §. 1. de donat. confirmata à Justiniano l. ult. C. ad leg. Fal. ex quo loco apparet inter veteres etiam de hoc ipso dubitarum fuisse. Eadem ratione sanxit idem Justinianus, ut si quis à patre certas res pecuniamve acceperit, pactusque fuerit de que rela inofficioli adversus patris testamentum non movenda, hujusmodi pacto non pregravetur, possisque nihilominus non agnatum patris judicium oppugnare: quamvis post mortem patris recte pacificatur de que rela inofficioli, quæ jam ei nata est, non movenda, eique renuntiare possit. l. si quan- do. 35. §. 1. & 2. C. de inof. test. additur & hæc ratio, quod filii meritis magis ad paterna obsequia provocandi sunt, quam pacti- nibus adstringendi.

5. Hoc amplius putat Ant. Faber non valere conventionem, quantumvis post mortem testatoris factam, de remittendo legato aut fideicommissio conditionali. Valeat quidem talis pactio, si transactionis causa facta sit aliquo accepto vel reuento, l. 1. C. hoc tit. l. 11. C. de transact. Sed valere negat Faber eam, quæ sit gratuito & circa causam transactionis tantum animo reintrendi. Et quare? quia, inquit, tale pactum destruit voluntatem testatoris, quam ex contrario transactione presupponit, facit Paul. 4. sent. 1. §. rogati. Ego autem didici etiam gratis pacifici licere, l. & uni 21. §. 4. hoc tit. l. cum proponas. 16. C. eod. Nec obstat, quod legatum aut fideicommissum pendente conditione repudiare non possumus, l. si ita scriptum. 45. §. 1. de legat. 2. nam repudiationis & pacti diversa ratio est. Non repudiantur nisi quæ jam delata sunt, l. is qui. 13. l. nec. is qui. 17. in fin. cum l. seq. de

acq. har. l. delata. 151. de verb. sign. pacto remitti possunt & quæ nondum delata d. l. & uni. 21. §. 4 d. l. 1. & d. l. 16. C. de pac. Qui repudiat, remittit in praesens, quod ei delatum est & poterat agnoscendo acquirere. At legatum conditionale non deferatur, ac proinde nec acquiri potest, quamdiu pender conditio, mortuoque ante conditionem existentem legatio ad hæredem ejus non transmittitur, l. 4. l. 5. §. 2. quænd. dies leg. l. 1. §. fin autem. 7. C. de caduc. toll. Qui autem paciscitur, potest etiam in futurum remittere, scilicet cum legatum vel fideicommissum deberi & peti posse coepit. Qui repudiat, dicit se nolle rem, quæ delata est, ad se pertinere: qui paciscitur, hoc dicit, se eti post coepit res deberi, tamen eam non petiturum. Quin nec repudiari potest legatum, cuius dies nondum venit, licet cesserit, veluti si ex certa die nobis legarum sit, d. l. 45 §. 1. de legat. 2. Goedd. c. 6. de contr. & comm. strip. n. 15. & seq. post Alciat. Don. & alios ad d. l. 1. C. hoc tit. Zasius in l. 17. §. pen. hoc tit etiam assert rationem, quia repudiatio tantum nititur consensu unius, & est fragilis: sed pactum nititur consensu utriusque, legatarii & hæredis.

6. Caterum nostrorum temporum simplicitas, hanc juris Romani subtilitatem, ut nimis scrupulosam, insuper habet: possumusque hodie post mortem testatoris non tantum transfigere aut pacisci de hæreditate legatoque aut fideicommissio sub conditione relictis; verum etiam pendente adhuc conditione ea repudiare. Bern. Autumn. censur. Gall. ad. d. l. 55. §. 1. & ibid Groenevveg. tract. de ll. abrog. qui tamen male huic mori præsidium petit ex d. l. 2. C. hoc tit. l. de fidei- commis. 11. C. de transact.

7. De controversiis, quæ ex testamento oriuntur, placet non aliter recte transfigi, quam inspectis cognitisque testamenti verbis, l. 6. ubi Gloss. & DD. de transact. Unde quælibet, an hoc ipso etiam prohibita videri debeat, gratuita de hujusmodi controversiis pactio facta ante tabulatum inspectionem. Affirmat Bart. in d. l. 6. negant Castrensi. & Jason; quorum sententia meo iudicio probabilius; eaque defenditur his argumentis. 1. Quia d. l. 6. ubi transactio duntaxat prohibetur, aliquid singulare continet, ac proinde extendi non debet. 2. Quia non potest quilibet legatum aut jus sibi delatum repudiare. 3. Quia inter pactum & transactionem in casu proposito magna differentia est: quippe qui transfigit, accepto forte minimo pro magna summa, decipitur; cum utique velit habere, quod sibi

ex testamento debetur: at is, qui ultro totum remittit, non decipitur.

8. Huic quæstioni affinis est & illa, an quis alimenta sibi testamento relicta ex liberalitate donationis causa remittere possit, sive quod idem est, an gratis de futuris alimentis citra prætoris auctoritatem pacisci liceat, quamvis de his transfigere sine prætore licitum non sit, *i. e. per tot. de transact.* Et puto licere, idque ob hasce rationes.

1. Quia id nullibi prohibetur: est autem transactio ex genere prohibitorum.
2. Quia hæc transactionis prohibicio est contra regulas juris communis, ideoque non producenda ad consequentias, *i. quod vero. 14. & seq. de legib.*
3. Quia nemo prohibetur, quod sibi relictum est, repudiare & contemnere. Et quæso qua ratione quis impedietur, quo minus omittat & non petat, quod sibi relictum est? Quid denique intereat, utrum non petat prorsus repudietur an remittat?
4. In pacto cessat ratio, quæ in transactione cognitionem prætoris requirit, ne scilicet alimentarius circumveniatur: non enim videri potest decipi, qui ultro remittit: sed facile decipitur, qui pro aliomentis aliquid accipit, & mavult aliquid integrum in præfens habere, quam singulis annis particulam. Vism est voluntatem testatoris conservari ei, qui liberalitate ejus uti vellet, non qui contemneret. Nam mover, quod relatum est in *d. i. 8 si unus 15. de transact.* non posse alimentarium inconsulto prætore fundum in aliomenta oppigneratum liberare: Nam qui vult aliomenta persequi, sine prætore nihil facere potest, quo eorum conditio dererior fiat. In eadem autem *i. 8. §. si prætor. 17.* non de aliomentario remittente, sed de prætore negligente agitur. Porro pacta de re impossibili facta, aut quæ turpem & inhonestam caufam continent, quæ contra leges, aut bonos mores sunt, nullius momenti sunt, *i. 7. §. ait prætor. 7. i. si unus. 27. §. 3. & seq. hoc tit. i. 6. C. eod. i. generaliter. 26. & seq. de verb. oblig.* puta de faciendo, aliove quævis maleficio. Sed & si quis paciscatur cum aliquo, ne ob dolum suum aut furtum teneatur, si postea admissum fuerit, ex æquo reprobatur hoc pactum, cum magna sit illecebria peccandi spes impunitatis, *d. i. si unus. §. 4.* Diversa causa est ejus pacti, quo convenit, ut ne quod maleficium perpetetur. Cur enim de eo, quod legibus cæetur, pacisci hominibus privatis non liceat? *i. non impossibile. 50. eod.* Cæterum si ob eandem caufam promittatur pecunia, nulla nascitur obligatio propter turpitudinem conventionis, *d. i. 7. §. si ob maleficium. 3. eod.*

9. Inter pacta, quæ contra bonos mores sunt, memoratur & pactum, quo causidicus à litigatore item redimit, *& diuīs pugnat, sc. quo convenit, ut nomine mercedis certam partem ejus pecunia, quæ adjudicata fuerit, vel majorem aliquam summam in eventum litis accipiat, i. sumptus. 53. eod. i. 7. mandat. i. 5. C. de poftul.* Nam ejusmodi pactio causidicis calumniose litigandi occasionem præbet, iisque artibus & strophis veritatem oppugnandi, quas homines in foro ac litibus triti vel nolentes ediscunt. Lite autem finita pacisci vetitum non est de parte residui debiti remittenda advocate ob causam ejus patrimonio & fide defensam, *i. 5. C. hoc tit. Perez. ad d. tit. n. 5.* Illa quoque conventiones & pacta, ut turpia & bonis moribus contraria, jure civili improbantur, quæ circa viuentis sunt successionem sive obtineandam sive repudiandam. Sed de hoc genere dicimus ex professo cap. seq.

10. Hoc autem loco intempestive queritur, an non saltem pactio, quæ per se non valet, vires accipiat à jurejurando, quod ejus confirmanda gratia adhibitum est. Et Ulpianus in *d. i. 7. §. & generaliter. 16. hoc tit.* auctoritate Marcelli probat, hoc jusjurandum non majorem pacto vim tribuere, quam pactum per se habet. Et sane si conventio ideo non valet, quia natura aut turpis est aut iniqua, non debet à jurejurando ullum robur accipere, cum jusjurandum non debeat esse vinculum turpitudinis aut iniquitatis, *c. i. ext. de jurejur. c. inter cetera. 2. quæst. 4.* Sed disceptationem habere potest, si lex aliqua civilis conventionem, quæ aliqui ratione adjecti per se sit *æquifōrū*, tantum contemplatione alicujus utilitatis, quæ principaliiter non universos, sed singulos respiciat, valere non patiatur, an ea jurejurando firmata servari debeat, verbi causa; non valet donatio inter virum & uxorem, nec ea, quæ excedit summam quingentorum aureorum, nisi actis insinuata sit: non peccat tamen, qui donationes istas non revocat. Gail. *i. obs. 39. & seq.* ubi & plura huius generis exempla. Et siquidem hoc solum queritur, an tale jusjurandum jure civili sit efficax aut obligatorium, constanter dicimus nullam eo jure vim habere, maltoque minus confirmare posse conventionem, quæ jure civili nullius momenti sit, *i. 5. C. de legib. d. i. 7. §. & generaliter. 16. hoc tit. i. si quis inquilinus 112. §. ult. de legat. i.* Cæterum dicere ne conscientiam quidem jurantis religione obstrungi ejus juramenti, quod neque iniquum

per se nec contra bonos mores sit, nimis grave est. Recte ergo & verbo Dei convenienter juramentis omnibus sponte præstatis hæc vis jure canonico tributa est, ut sine exceptione servari debeant, si servata non redundant in alterius præjudicium, nec in dispendium vergant æternæ salutis, c. cum contingat. 28. ext. de jurejur. c. quamvis. de pact. in 6. c. non est obligatorium. de reg. jur. in 6. Atque hoc in foro quoque seculari hodie servandum esse volunt. Coller. de process. p. 1. c. 10. n. 215. Gail. 2. obs. 39. & seq. & ibi citati.

## C A P U T X I X.

## De pactis circa successiones.

1. *Pactiones de viventis hæreditate obtainenda legibus nostris improbatæ: & quæ hujus rei ratio.*
2. *Non excipiuntur pacta de successione mutua, nisi militum ad communem Martis aleam pergentium.*
3. *Defenditur contra communem pacta hujusmodi natura turpia non esse.*
4. *Respondetur ad locum Papiniani in l. 29. §. 2. de donat.*
5. *Varia variarum gentium pacta circa mutuam successionem.*
6. *Concluditur ex precedentibus, posse statuto induci, ut pactis hæreditas derur, & jure Canonico hujusmodi pacta juramento confirmari.*
7. *Pactiōnem de obuentura hæreditate generaliter conceptam sine designatione certæ personæ valere.*
8. *Eandem pactiōnem non valere, si is, de cuius hæreditate agitur, certus sit, nisi is consentiat, & in voluntate usque ad extremum perseveret.*
9. *Atiter, quam vulgo, exponitur l. 2. §. 2. de hæred. vel act. vend.*
10. *Explicatio §. 1 ult. Inst. de leg. agn. success.*
11. *Pactis hæreditatem non magis conservari, quam dari posse, contra quam vulgo creditur, multis documentis ostenditur.*
12. *Respondetur ad argumentum in contrarium allatum ex l. non aliter. 18. de adoption.*
13. *Etiam pacta de non succedendo improba ta esse: ut hæc minus odiosa, quam illa de succedendo, & cur minus odiosa.*
14. *Quibus distinctionibus exhibitis respondendum, cum queritur, an pactum quo*

*successioni renuntiatur, valeat, si renuncians tantum acceperit, quantum ei obuenturum fuerat.*

1. **A** PUD Romanos turpe atque impunitis habitum fuit, de hæreditate viventis sollicitum esse: ob eamque causam pactiones de futura successione, qua hæreditatis captandæ mortis alienæ, & more vulnerum cadaver (ut ajunt) expectandi occasionem præbent, ut odiosæ ac pericolosæ, legibus civilibus merito improbatæ sunt, quales illæ in primis, quæ sunt de hæreditate viventis obtinenda, interpres pacta de succedendo affirmativa vocant: ut ecce, pactus sum cum Titio, ut ille me, aut ego illum hæredem facerem, vel ut ille mihi, ego illi succederem; hæc conventio inutilis est, l. pactum. 15. C. hoc tit. l. 5. C. de pact. conv. tam sup. dot. l. 4. C. de inut. stip. in tantum ut nec poena in contrarium promissa peti possit, l. stipulatio. 61. de verb. obl. Idque non unam ob causam constitutum est: primum ne turbetur ordo publicus, quo hæreditates deferuntur; non deferuntur autem nisi testamento aut lege, d. l. 5. C. de pact. conv. tam sup. dot. l. ult. de suis & legit. §. ult. Inst. per quas pers. cuiq. acq. Deinde quia hujusmodi pactio tollit aut constringit libertatem testandi, quod leges nostræ aversantur, l. 1. C. sacros. eccles. d. l. 15. C. hoc tit. Pactio enim revocari nequit, l. 5. C. de obl. & att. voluntas autem testatoris ambulatoria esse debet usque ad vitæ supremum exitum, l. 4. de adm. leg. Tertio quia contra bonos mores esse tales pactiones creduntur, ut quæ votum inducant desiderandæ & captandæ mortis alienæ, d. l. stipul. 61. de verb. obl. l. 4. Cod. de inut. stip. l. 11. C. de transact.

2. Cumque eadem rationes militent & in pactis reciprocis de successione mutua, ne hæc quidem jure nostro rata esse recte defendit Goedd. tract. de contr. commit. stip. c. 6. concil. 7. n. 82. contra Mynl. obs. 33. & Gail. 2. obs. 126. Atque hoc satis perspicue elucet ex l. licet. 19. C. hoc tit. ubi nominatum etiam mutua hujusmodi pacta improbantur exceptis militum ad discriminem prælii pergentium, ~~in magna vix oportet~~ Bas. hoc tit. c. 60. in quo jus singulare, quod ad consequencias trahi non oportet, l. 14. & seq. de leg. Et tamen ne hoc quidem casu pacta commilitonum, ~~in magna vix oportet~~ Bas. valent in vim pacti, sed in vim ultimæ voluntatis ac reciproca institutionis, ut pro arbitrio paciscentium revocari queant, sicut rectè docet Cyn. in l. ult. C. hoc tit. n. 19. & DD. comm. d. l. licet. 19. C. eod.

add. Boer. *decis. 204. n. 14.* & seqq. Itaque pacta illa reciproca de succedendo inter conjuges facta in dotalibus instrumentis, quæ hodie plerisque locis recepta, non tam sustinentur auctoritate juris, quam vi consuetudinis aut legis municipalis. Et quoniam istiusmodi pacta liberam testandi potestatem constringunt, votumque inducunt captandæ mortis, atque ideo bonis moribus contraria esse dicuntur, ob hanc causam nec statuto nec jurejurando ea confirmari posse plerique tradiderunt. Borcholt. *tract. de pact. c. 5. n. 66.* & seqq. Gail. 2. *obs. 125.* Sichard. in *I. 3. n. 3.* C. de collat. Fachin. 8. *contr. 72.* & ibi alleg. qua tamen in re vix est, ut iis simpliciter assentiri queam.

3. Etenim si seposita juris civilis auctoritate ex ratione juris naturæ aut gentium rem absumere velimus, non sunt talia pacta natura turpia, sed more civitatis Romanæ, sive, ut Cujacius in *I. 26. de verb. oblig.* sunt contra bonos mores populi Romani. Nam primo natura turpe non esse libertatem coercere testandi ex eo patet, quod multis etiam è repub. visum est, nimiam testandi licentiam praecidere, utique hactenus, ne cui liceat prædia paterna aut avita legare. Quin etiam Bodinus *lib. 5. de repub. c. 1.* auctor est, solis Athenientibus usurpatam fuisse infinitam illam legandi licentiam, eamque ab his acceptam Decemviro in duodecim tabulas retulisse: Ceterarum autem gentium unam legem fuisse, ne prædia testamento legare liceret; eoque jure adhuc Polonus, Danos, Suecos aliisque populos uti. Sed & apud gentes qualdam nullus omnino testamentorum usus fuit, ut apud Germanos teste Tacito *de morib. Germ.* ac ne nunc quidem testamenti faciendo jus obtinet in Geldria & dioceesi Traiectina, locis Batavia noīræ finitimi. Ut proinde libera istius facilitatis testandi, non usque adeo magna ratio habenda videatur, præsertim quod ad eas personas attinet, quibus alias debetur hereditas. Sed & Imperator Leo qui ob singulari sapientiam Philosophus appellatus est in *Nov. 19.* aperte *d. I. pactum quod 15.* C. hoc tit. ut iniquam damnat & abrogat, eo quod statuat *εὐαγγελίον της Φωτίου πατρὸς τοῦ θεοῦ αφελῆ πόλεμον ἀσθενεῖς τὴν θρησκείαν αἰδούσης Εὐαγγελίου τῷ πατέρι, &c.* contraria naturali quæ a patribus liberis debetur, aequalitati, patrique adverbus filium ad iniquitatem fenestrā aperiat: Atque hanc Leonis constitutionem, qua abrogatur *d. I. quod pactum quod.* Gallorum moribus receptam esse testatur Cujac. in *I. 26. de verò. oblig.* Alter-

ra illa ratio, quod hujusmodi pacta inducant votum captandæ mortis, & consequenter peccandi præbeant occasionem, neque certa est, neque necessaria. Quorundam vero hominum improbitas impedit non debet, quominus id quod in se nullam iniquitatem aut turpitudinem continet, jure publico fieri permittatur. Et alioqui eadem ratione nec bonorum omnium donatio retento usufructu *I. si quis argentum. 35. §. sed si quidem. 5.* C. de donat. nec pupillaris substitutio in iisdem tabulis scripta, quibus pater sibi hæredem instituit, §. *fin autem. 3.* Inst. de pupil. subdit. nec mortis causa donations, nec denique hæredis palam facta nuncupatio permitienda fuerit: quæ tamen omnia jure civili permissa sunt; & haud dubie ideo, quia certum & constans votum captandæ mortis non inducunt.

4. Non movet *I. 29. §. 1. de donat.* ubi Papinianus satis aperte indicat, pacientes de hæreditate viventis adversus bonos mores & jus gentium facere & festinare. Nam in hoc genus disputationibus non auctoritate, sed ratione certandum est: & solent jurisconsulti Romani etiam id appellare jus gentium, quod à lege civili vim accepit, non solius populi Romani, sed aliarum quoque circa nationum; quod tamen cum non sit pars illius juris communis, quod proprio jus gentium dicitur, sed ad cujusque populi indolem accommodatum sit, ab uno populo aliis inconsultis mutari potest, ut multis ostendit Grot. *lib. 2. de iur. bell. & pac. c. 8.* & *lib. 3. c. 6.* & seqq.

5. In Germania valent pacta, ut vocant fraternitatum de mutua successione inter Principes, aut alias illustres personas: item pacta de unione prolium, de quibus Gail. 2. *obs. 125.* & 127. Quibusdam in locis etiam pactis dotalibus super hæreditate vel tota, vel pro parte ita mutuo disponitur, ut ea dispositio altera parte invita aut ignorantie revocari nequeat, confit. *Palatin. tit. 5. von testamenten und letsten willeden.* Apud alios ita, ut tamen alter in scio aut invito altero dispositionem mutare possit: rata autem maneat, si mutata non fuerit Sichard. in *I. 3. C. de collat. Myns. 2 obs. 33.* Boer. *decis. 294 n. 16.* Wesemb. *conf. 63. in fin.* Quæ autem natura turpia sunt, & honestati contraria, ea semper & ubique turpia sunt, saltem apud gentes moratores, & bene secundum naturam se habentes. Apud nos etiam pactum dotale, quo parens, qui alteri superstes erit, ad successionem ultimi ex liberis defuncti vocatur, subsilit, tametsi lex patria parentem superstitem ab hæ-

reditate liberorum secludat. Neostad. *ver. judic.* 2. Et quamvis non ob id vero pacto dentur hæreditates, cum pacto datum actionis jure exigi possit; hæreditates autem pacto datae nullam actionem pariant, sed unius voluntate revocari queant, & hoc tantum pactis sponsalitiis agatur, ut contrahentium singuli sibi liberisque suis ius succedendi ab intestato eligant, vel novum, si velint, constituent: lege tamen caveri honeste potest, ut ne liceat talia pacta invitio aut ignorante altero revocare. Imo non satis honeste facere videtur, qui illa clam altero revocat citra gravem causam.

6. Ex quibus omnibus effici videtur, posse jure publico constitui, ut etiam pactis hæreditas detur, si non simpliciter & absolute; utique tamen multis casibus, veluti inter virum & uxorem, inter fratres & sorores, ceteraque personas, quæ alias jure legitimo aut honorario ad successiōnem venturæ sunt. Forte & morum populi innocentia spectanda, in quem ob id si nisi illa suspicio non facile cadat. Unde Zasius dicebat, ea quæ de voto caprandæ mortis proferuntur, Italis esse relinquenda, *confil.* 1. *num.* 38. *lib.* 2. quod si statuto, (utique quod legis vim habet) induci potest, ut pacto deatur hæritas, poterit & juramento talis pactio confirmari, ratumque id jurandum erit jure canonico, quia servari potest sine dispendio salutis, per ea, quæ *cap. præced.* Bald. *in c.* 1. §. *moribus.* *si de feud. def. content.* sit int. dom. & agn. *vaf.* Decius *conf.* 516. *num.* 5. & *conf.* 656. *num.* 12. Cravert. *conf.* 139. *num.* 8. Johan. Ramat. *in c.* quamvis extr. de pact. in 6. *num.* 17. & seq. Menoch. *conf.* 1. *num.* 168. Pacti affirmativi de succedendo specimen faciunt & pactionem de hæreditate tertii: ceterum minus recte. Nam tali pacto agitur de succedendo, neque ex eo petti aut vindicari potest hæritas: sed nihil aliud est, quam conventio de communicanda aut dividenda hæreditate obvertura.

7. Et siquidem tale pactum generaliter conceptum fuerit, nullius certi hominis designata hæreditate, veluti si inter duos ita coita sit societas, ut si qua hæreditas alterutri obvenerit, ea communis sit, placet conventionem valere, *l.* 3. §. 2. *pro soc.* Ratio est, quoniam cum in genere de incerti hominis hæreditate obvientia pacificimur, caret illa conventio omnibus illis incommodis, ob quæ diximus pacta de hæreditate viventis jure nostro improbari.

8. Si vero is tertius, de cuius hæreditate agitur, certus sit, puta si duo paciscan-

tur de hæreditate Titii, quam forte jure legitimo sibi obvientur sperant, talis quoque conventio inutilis est, eamque diserte improbat Justinianus, propterea quod incivile & contra bonos mores sit, viventis hominis bona in fortē & divisionem vocare, atque ita quasi mortem ejus voto & spe præcipere, *l. ult. Cod. hoc tit.* addit tamen temperamentum aliquod, nempe ut ita non valeat superior pacticio, nisi is, de cuius bonis agitur, consentiat, & in ea voluntate ad extreūm usque vitæ spatium perseveret, quo casu hujusmodi pactionem vult ratam haberi. Non exigit, ut in ipso instanti, quo sit ista conventio, consensus hic interveniat: & ideo licet ab initio tale pactum factum sit inscio illo tertio, de cuius hæreditate agitur, si tamen is certior factus postea consenserit, in eaque voluntate perseveraverit, putat pactionem confirmari. Et quid refert, an tunc, an post vel ante consensus intervenerit, ut nulla consentienti injuria fieri intelligatur? Ant. Fab. *Cod. suo for. hoc tit. defin.* 10. dissentit tamen Jul. Pacius in *d. l. ult.* sed levi arguento, quod cuivis promptum solvere.

9. Huic autem sententiæ, quod non vallet pactio de homini certi hæreditate, objicitur *l. 2. §. 2. de hær. vel act. vend.* ubi Ulpianus scribit substitutum impuberis recte vendere hæreditatem impuberis, & maxime si ea jam delata sit. Ergo valere ea venditio, sive jam impuberis hæritas delata sit, sive non sit: ex quo effici videtur, valere venditionem hæreditatis impuberis etiam adhuc viventis. Respondent nonnulli particulam *maxime*, quæ nota est collationis, in *d. l. 2. §. 2.* positam esse pro *utique*, quæ nota est *\*am\**, ut hic sit sensus, valere venditionem hæreditatis impuberis, ceterum ita, si jam delata sit, hoc est, si impubes jam mortuus sit. Bronch. cent. 1. affert. 30. Diod. Tuld. *Cod. de pact.* *num.* 6. Sed non est necesse, ut ad hanc responcionem configiamus, imo falsum est non posse vendi hæreditatem, nisi quæ delata sit. Potest enim vendi & quæ nondum delata est, puta si vendatur pendente conditione, sub qua vendor hæres institutus est, & in specie *d. l. 2. §. 2.* substitutus est impuberi. Ceterum ita, dum sit hæritas, si testator aut impubes jam mortuus sit: nam viventis nulla est hæritas, *l. 1. de hær. vend. facit*, *l. & uni 21. §. 4. hoc tit. l. 1. l. cum proposas.* 16. C. eod. add. *c. præced.* Unde apparet vitiosam esse hanc collectionem, pacisci licet etiam de hæreditate nondum delata, ergo & de hæreditate

reditate viventis. Ita & Jul. Pacius ad *I. ult. C. hoc tit.*

10. Objici solet & quod scriptum est in §. ult. de *Inst. de leg. ag. success. patrem*, qui liberos ex pacto fiduciae sibi remancipatos manumittit, ex eo consequi, ut legitimam eorum successionem obtineat. Sed hoc non eam habet significationem, quasi pater ea lege emanciparet liberos, ut ipsis succederet: sed cum in emancipatione liberi mancipientur alii, atque ita traderentur in imaginariam quandam servitutem *I. 3. §. 1. de cap. min. §. præterea. 6. Inst. quib. mod. jus pat. pot. solv.* ne in ea servitute manerent, mancipabantur contracta fiducia, id est, ea lege, ut patri ab emptore imaginario remanciparentur, quo ipse deinde eos manumitteret: quæ conventio ad potestatem liberorum, non ad eorum hæreditatem obtinendam pertinuit. Quanquam si ex lege fiduciae sibi remancipatos pater manumisisset, in eorum bonis jus legitimæ successionis nancisebatur, d. §. *Inst. de legit. agnat. success.*

11. Quidam existimaverunt, et si hæritas pactis dari non potest, posse tamen pactis conservari, arg. *I. non aliter. 18. cum seqq. de adopt. I. quidam. 132. de verb. oblig. cum similib.* Sichard. in *authent. non licet. Cod. de lib. præt. num. 18. Goedd. de contr. stip. concl. 6. num. 88. Bart. in I. ult. Cod. hoc tit.* quod & ipsum tamen verum non esse bene post Bologn. in d. *I. ult. num. 93. ostendit Tim. Fab. annivers. disput. 21. 1.* quia ut filius à patre naturali in adoptionem extraneæ personæ datus jura sui hæredis apud patrem naturalem retineret, lege opus fuit, *I. penult. Cod. de adopt. §. sed ea omnia. 14. Inst. de hær. quæ. ab int. def. 2.* quia nec filius, quem pater emancipat, retinere sibi potest jus legitimæ successionis in bonis patris, nec agnati in facultatibus emancipati, nec pater filio, quem dat in adoptionem, d. *I. penult. Cod. de adopt. d. §. sed ea. 14. & §. emancipati. 9. Inst. de hær. que ab int. 3.* Quia nemo potest libertatem de supremis judiciis constringere, vel cognatum ulteriore proximioribus paciscendo præferre, *I. cum duobus. 52. idem respon. 9. pro soc.* Sic in specie *I. pactum quod. 15. Cod. hoc tit.* pacto non potuit pater servare successionem filiæ: quemadmodum nec in casu *d. I. quidam. 132. vers. quare sic. de verb. oblig.* sed conventio illic propoita non ad aliud prodest, quam ut poena promissa, si contra factum sit, committatur: qui locus proinde non oppugnat, sed confirmat hanc sententiam.

12. Similiter non obstat huic sententia, Vinn. *Traff. Varii.*

quod adrogator impuberis tenetur cavere servo publico, se, si intra pubertatem pupillus decesserit, restituturum ea, quæ ex bonis ejus consecutus est, illis, ad quos ea res pertinet, *I. non aliter. 18. & seq. de adopt.* Nam hæc cautio non ad conservationem juris eorum, ad quos alias res per ventura esset, pertinet; qui & omissa ea idem juris haberent, *I. his verbis. 19. §. 1. d. tit.* sed ad eorum securitatem. Adveniente denique ea adrogati ætate, qua testamentum facere possunt, qui sui sunt juris, evanescit, *§. 3. Inst. eod.*

13. Non tantum pactum affirmativum de succedendo, verum etiam negativum de non succedendo jure nostro improbatum, puta quo quis futuræ successioni renuntiat, *I. ult. de suis & legit. hær. I. 3. Cod. de collat. c. quamvis. ext. hoc tit. in 6.* Hoc vero pactum, cum nec libertatem testandi impedit, nec votum inducat captandæ mortis alienæ, longe minus odiosum est, quam superius illud de succedendo: & ideo à statuto robur accipere posse poene extra controversiam est, & jurejurando quoque confirmari Canones expresse voluerunt, *d. c. quamvis.* Tantum ideo improbatum est, quia privatorum cautiones, auctoritate legum, quæ certos duntaxat modos non modo acquirendæ, sed etiam amittendæ hæreditatis constituant, non consentunt, *I. ult. de suis & legit.*

14. Quid si is, qui pactus est, tantum acceperit, quantum ei ex hæritate, cui renuntiavit, obvenerunt fuisse? Adhibenda hic non una distinctio. Primum interesse puto, utrum is renuntiaverit, qui scilicet modo jus habet succedendi ab intestato, an qui & jus querendi de inofficio. Deinde an ille, cuius successioni renuntiatum est, testatus decesserit, an intestatus. Si intestatus, non obstante pacto, succedit ex lege, ut tamen, quod renuntians accepit, reliquis conferatur, *I. 3. Cod. de coll.* Si vero testatus, cessat potestas legis proximo hæreditatem deferentis, & illud queritur, an vi renuntiationis & pacti renunciant à querela excludatur. Tametsi autem hoc quidam simpliciter affirment, si quantitas accepta exæquer portionem legitimam, arg. *I. 1. §. 3. si à par. quis damn. referre tamen hic arbitror, quo titulo quid datum acceptumque sit; & præterea distinguendum inter jus vetus & novum.* Jure veteris quod mortis causa donatum erat, quamvis filio, & nulla interveniente renuntiatione, id imputabatur in legitimam, & querelam excludebat, *I. 8. §. 2. quis mortis. 9. de inoff. test.* quod autem in-

ter vivos donabatur non aliter, quam si ea contemplatione donaretur, ut in quartam haberetur, *I. si non 25. d. tit.* Jure autem novo ne pactum quidem renuntiatorum obstat filio, *I. si quando. 35. §. 1. Cod. de inoff. testam.* multoque minus jure novissimo, quo liberi legitimam habere debent titulum institutionis, *Nuv. 115. c. 2.* Ad hunc ferme modum haec explicat & Bachov. ad Treutl. *disp. hoc tit. thes. 8.* ubi etiam observandum notat, quod in specie *d. I. 1. §. 3. si à par. quis man.* parte non ipso jure, sed beneficio exceptionis excluditur: licet ibi non de querela inofficiosi, sed bonorum possessione contra tabulas agatur.

## C A P U T X X.

## De pactorum cæterarumque conventiōnum interpretatione.

1. In omnibus negotiis, etiamsi verborum aliqua sit ambiguitas, primum spectandum esse, id quod actum est: atque ejus sententiam inspici, qui sermonem protulit.
2. Si non appareat, quid actum sit, id accipi debere, quod est verisimilius & rei gerendæ aptius, aut quod plerumque fieri solet.
3. Si ne illud quidem appareat, in dubio sequendum quod minus est, quod noceat ei, qui loqui potuit apertius.
4. Pactionem obscuram vel ambiguam non tantum venditori, locatori, stipulatori nocere: verum etiam emptori, conductori, promissori, si ipsi legem obscuram dixerint.
5. Species *I. si mihi & Titio. 110. §. 1. de verb. oblig.*
6. Respondeatur ad *I. in lege 29 locat.*
7. In judicis orationem ambiguam pro actore interpretamur.
8. Redditur diversi hujus juris ratio.
9. Locus *Ulpiani* in *I. 5. §. ultim. de rei vind. expofitus.*

1. IN omnibus negotiis, etiamsi re conscient, primum inspicienda est pacientium & contrahentium voluntas, atque id quod actum est, pro cauto habendum, *I. semper. 34. de reg. jur. I. 3. de reb. cred.* & quamvis verborum aliqua sit ambiguitas, id tamen ante omnia spectari oportet, quod cogitatum taciteque actum est, *I. ubi. 21. I. cum in testamento. 24. de reb. dub. I. in lege 77. de contr. empr.* Nam qui ambigue loquitur id loqui intelligitur, quod ex his, quæ significantur, cum sen-

sisse credibile est, *I. Nepos Proculo. 125. de verbor. signific.* in quo placet ejus sententiam & affectionem maxime spectari qui sermonem protulit, τὸ ἀφρυστόν *I. in ambiguis. 96. I. rapienda. 168. §. 1. de reg. jur. I. 3. de reb. dub.* Atque hic habet locum, quod dici solet, unumquemque esse interpretem suorum verborum. Exempli causa, si quis triticum sibi dari stipulatus sit sine adjectione mensuræ, haec quidem stipulatio imperfecta est, *I. ita stipulatus. 115. de verbor. obligat.* cæterum si forte ex tractatu prius habitu appareat, de certi generis certaque quantitatis tritico cogitatum & actum esse, id pro expresso habebitur, *I. triticum. 94. eod.* Nec obstat *I. quidquid. 99. eod.* quoniam ille textus tunc demum locum habet, quando non appareat, quid actum sit. Semper enim, etiam in stipulationibus, quod actum est, in primis attendi deberet, *I. semper. 34. de reg. jur.* Aliud exemplum suppeditat *I. qui cum tutoribus. 9. §. ult. de transact.*

2. In dubio autem si non appareat, quid actum vel cogitatum sit, commodissimum est id accipi, quod rei gerendæ est aptius, *I. quoties. 67. de reg. jur.* seu quores, de qua agitur, magis valeat & in tutto sit, quam pereat, *I. 12. I. ubi. 21. de reb. dub. I. quoties. 80. de verb. obligat.* Omnino autem hic inspiciendum erit, quod est verisimilius, *I. in obscuris. 114. de reg. jur.* Exempla habemus in *I. si venditor. 38. §. 2. de act. empt. in lege 29. locat.* & elegans in *I. insu'a. 13. qui pot. in pigia.* ubi quod in lege venditionis non aperte dictum est, in dubio pro venditore Jurisconsultus interpretatur; quoniam ex conjecturis verisimile est id in specie illic proposita inter contrahentes actum esse, ut jus pignorum ab pensionem ab inquilino acceptorum ad venditorem primum pertinere, cui prioris anni pensio ex obligatione principali, quam pignus sequitur, accederet. Stipulus est aliquis intra certum tempus Carthagini sibi dari, cum duæ sint Carthagines, verborum est ambiguitas. Cæterum etsi promissor cogitaverit de una, in quam intra id tempus perveniri non potest, stipulator autem de altera, stipulatoris potius accipietur sententia, & quoniam rei gerendæ aptior est: & alioqui res contracta tuto in loco esse non potest, *I. ubi 21. de reb. dub.* Eadem ratione, ut res magis valeat, quam pereat, in hac specie, cum tabernam debitor creditori pignori dederit, & quæsum esset, utrum eo facto nihil egerit, an tabernæ appellatione merces, quæ in ea erant, obligasse videatur,

Scævola respondit, ea quæ mortis debitoris tempore in taberna inventa sunt, pignori obligata esse videri, *l. pen. de pign.* Hoc enim inter contrahentes potius actum fuisse verisimile est. Sequemur autem in hujusmodi negotiis id quod in regione, in qua actum est, frequentatur, aut *τὸν ὅτιον τηνόθερον*. Harmenop. *lib. 1. tit. 15.* §. 15. quod plerumque fieri solet, *l. semper. 34. l. in obscuris. 144. de reg. jur.* Exempla in *l. quod si nolit. 31. §. quia assidua. 20. de adil. adiit. l. quæ conditio. 30. §. 1. de cond. & dem. l. si pactum. 9. de probat.*

3. Quod si ne id quidem appareat, locus erit regulæ Ulp. in *l. 9 de reg. jur.* atque in dubio sequemur, quod minus est. Id que non in conventionibus tantum & contractibus observatur, *l. inter. 83. §. 3. l. quidquid. 99. de verb. oblig.* *l. ult. de præt. stipul.* verum etiam in aliis causis, puta in irrogatione poenarum, *l. si præses. 32. l. interpretatione. 42. de pœn.* in diversis judicium sententiis *l. inter. pares. 38. §. 1. de re jud. l. diem proferre. 27. §. 3. de rec. arbitr.* in testamentis. *l. cum servus. 39. §. scio. 6. de legat.* *l. l. Sempronius. 47. de legat.* *2. l. qui concubinam. 29. §. 1. l. nummis. 75. eod. 3.* Ex ejusdem regulæ ratione est, quod veteres probaverunt, in ambigua vel obscura oratione id accipi oportua, quod noceat ei, cui liberum fuit re integra loqui apertius, & verba latius cipere.

4. Et Papinianus quidem respondit, veteribus placuisse, pactionem obscuram vel ambiguam venditori & qui locavit, noceare; utpote in quorum potestate fuerit, legem apertius conscribere, *l. veteribus. 39. hoc tit. ut & Paulus l. in contrahenda. 172. de reg. jur.* Et Celsus, cum queritur in stipulatione quid actum sit, verba contra stipulatorem interpretanda esse ait; quia stipulatori liberum fuit verba late concepire, *l. quidquid. 99. de verb. oblig.* *l. cum queritur. 26. de reb. dub.* Quibus etiam haec Græcorum regulæ *lib. 11. Basili.* & apud Harmenop. *lib. 1. tit. 15. convenient;* *ἐν της ἀμφιβολίας τὸν ἵπερτονος νόμον τὸν ἵπερτονος τὸν ἄμφιστον οὐκέτιον.* item, *τὸν ἄμφιστον οὐκέτιον.* *τὸν ἄμφιστον οὐκέτιον.* Ceterum id ipsum quoque & in emptore & conductore, & promissore similiter admitti debet, si & ipsi legem obscuram dixerint, nec appareat, quid inter contrahentes actum sit. Etenim vel ipsa naturalis ratio docet, unumquemque contrahentium sibi imputare suæque imprudentia expensum ferre debere, quod non apertius locutus fuerit. Merito itaque Paulus pactum em-

ptioni appositum secundum venditorem, contra emptorem, qui legem contractui dixerat, minusque aperte locutus fuerat, interpretatur in specie, *l. si in emptione. 34. pr. de contr. empt.* item Marcellus in *l. comprehensum. 60. eod.* Sed & Celsus in *d. l. quidquid. 99. de verb. oblig.* postquam de stipulatore verba fecit, statim subjicit de promissore in eandem sententiam, Nec rursum promissor ferendus est, si ejus interverit, de certis potius *vasis forte aut hominibus actum esse*, quod valde circa hanc questionem considerandum arbitror; quoniam autem plerumque à venditore, locatore, stipulatore pactum interponitur & lex contractui dicitur, inde est, quod contra eos pactionem obscuram vel ambiguam exponi auctores nostri tradiderunt.

5. Quod si quis nunc querat, cur Pomponius in *l. si mihi & Titio. 113. de verb. oblig.* respondeat, non quid senserit promissor, estimari debere, sed stipulantis mentem spectandam esse. Dicam id ea ratione fieri, quia in casu illic proposito mens stipulantis cum rei veritate omnino congruat, & cum ipso loquendi usu, à quo mens promissoris aliena sit. Denique non esse ibi orationem ambiguam, nec tam contra promissorem ex mente stipulantis, quam ex re ipsa fieri estimationem.

6. Similiter non obstat resonsum Alfeni in *l. in lege 29. locat.* Nam in dubio semper prius inspiciendum, quod verisimile est inter contrahentes actum esse, ut ante diximus: ait autem Alfenus hoc potius locatorem videri voluisse. Quod si quis proprius rem animadvertis, reperiet vix ullam in verbis legi contractus à locatore appositis ambiguatem inesse: verum ea cum aut late aut stricte sumi possint, late potius ac generaliter accipienda esse Jurisconsultus ait; nempe ne superfluo adjecta pacto videatur illa clausula, *neve si nito:* cum etiæ ea adjecta non esset, conductor sylva doli vel culpæ nomine tenebatur, si quem urentem, cedentem, &c. reprehendens, non prohibuisset, ut notum est, ad hunc ferme modum & Jul. Padius cent. 2. quest. 7. Hæc autem ita observantur in conventionibus & contrahendis negotiis, cum in dubio est, quid senserint, quid egerint pacientes aut contrahentes.

7. In judiciis vero & actionibus exercendis aliud obtinet: quippe in quibus, si queratur, quid actum sit, orationem ambiguam pro auctore interpretamur. In contrahenda venditione, ait Paulus, ambiguum pactum contra venditorem interpretan-

dum est: ambigua autem intentio ita accipienda est, ut res salva actori sit. *I. in contrahenda.* 172. de reg. jur. Cujus regulæ partem posteriorem Harmenopulus ubi supra sic interpretatur, ἡ ἀμφιβολίᾳ ἀγωνίᾳ προσαγεται στάχυνται οὐαπεβλάπτει. Id est, ambigua vero actio rem actoris non ledit. In eandem sententiam Ulpianus *I. si quis.* 66. de judicio. si quis, inquit, intentione ambigua vel oratione usus sit, id quod utilius ei est, accipendum est quod à Græcis in Basilea ita redditum, ἡ ἀμφιβολίᾳ ἀγωνίᾳ καὶ ἀφέγονται τὰ ποιηταὶ αὐτὸις ἑρμηνεῖσι. Nec mirum, cum non tantum actionem editam declarare, sed etiam emendare, & mutare quoque actori libeat. *I. 3. C. de edend.*

8. Finge igitur Stichum judicio petitum esse, cum ejusdem nominis plures servi essent apud debitorem: is petitus videbitur, de quo actor senserit. At si Stichum stipulatus de alio censeam, tu de alio, nihil actum videri poterit. *I. inter stipulantem.* 83. §. 1. de verb. oblig. ubi Paulus hujus differentia hanc esse rationem scribit, quod stipulatio ex utriusque consensu valet: judicium autem etiam in invitum readitur; & ideo actori potius credendum esse: alioquin semper negaturum reum se consenserit. Nimirum cum nulla sine consensu utriusque obligatio ex contractu oriiri queat. *I. i. §. 3. hoc tit. I. in omnibus.* 55. de oblig. & act. ideo in contrahenda obligatione non valet, quod actum est, si error aut dissensus eorum, qui contrahunt, intervenierit in re, de qua agitur, corpore. *I. in venditionibus* 9. de contr. empt. *I. continuus.* 137. pr. de verb. oblig. §. si de alia. 22. Inst. de inut. stipul. Judicium vero propter dissensum actoris & rei non sit irritam, contraria videlicet ratione, quia hic utriusque consensus non requiritur, sed in invicem quoque judicia redduntur. Sequitur autem hic id, quod apparent actorem, qui ambigua oratione usus est, sensit, quod ei utilius est, non quod senserit reus, ne alias eludendi judicii reo praebatur occasio, seu, ut Græci, ἡ αὐτὸις ἀγαρεστοις αργαντοις ἀποκειναι, ne judicium incertum & confusum reddatur, nempe tergiversatione rei. Pertinet huc locus Demosthenis orat. ἡ περὶ τὸ διδομαρπενοῦ. ubi judices alloquens, jurasse eos ait, se judicaturos non de iis, quæ reus vellet, sed de iis, de quibus actio esset instituta: hanc autem necesse esse actoris dictione declarari, ἡ τὸ διάκονος τίκη διαδοθεῖ.

9. Non est contrarium, quod apud Ulpianum *I. 5. §. ult. de rei vind.* ex Pom-

ponio relatum est, si plures sint ejusdem nominis servi, puta plures Erotes; nec appareat de quo actum sit, Pomponium dicere nullam fieri condemnationem. Hoc enim tunc procedit, quando non apparet, de quo actor senserit. At cum id saltē apparet, quod actor voluit, tunc quod nos dicimus, procedit; & quod utilius est actori, qui ambiguo locutus est, sequitur. Hac paulo uberioris, quam vulgo solet, exposui, ut res tota perfecte cognosceretur.

## C A P U T X X I.

De effectu & potestate pactorum.

1. *Pacta obligatoria naturalem obligationem pariunt.*
2. *Naturalem obligationem ex pacto natam, nisi personæ qualitas obstat, eandem vim jure civili habere, quam habet obligatio civilis, dempta sola actione.*
3. *Ad agendum & petendum efficacem non esse, nisi pactum lege confirmatum, aut contractui bona fidei statim appositum sit, aut placito intercesserit.*
4. *Pacto liberatorio obligationem naturalem ipso jure tolli.*
5. *Enodatio I. si unus. 27. §. 2. hoc tit.*
6. *L qui servum. 34. §. 1. de oblig. & act. explicatur.*
7. *Nuda conventione rebus integris ipso jure dissolvi & obligationes omnes nudi confessus.*
8. *Eodem modo tolli etiam obligationem pignoris nuda conventione contractam; nec obstat I. 17. §. 2. hoc tit.*
9. *Ceteras obligationes pacto convento non tolli ipso jure, sed ope exceptionis, aut pacti, aut subsidiariæ doli.*
10. *Pacta, quæ aliquid obligationi detrahunt, in continentia contractus facta, prodebet reo ipso jure.*

**D**E vi & effectu pactorum, qua voce simpliciter prolatæ passim in jure nostro nuda significatur, multa jam ante à nobis dicta sunt, & dici necesse fuit. Quamobrem hic erimus breviores.

1. Eorum pactorum, quæ ad obligandum comparata sunt, hic effectus est, ut obligationem naturalem producant. *I. 5. §. 2. de solut.* *I. 3. I. 4. C. de usur.* Nihil enim tam congruum est fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare. *I. 1. pr. hoc tit.* unde Paulus *I. cum amplius.* 84. §. 1. de reg. jur. eum natura debere ait,

quem jure gentium dare oportet , ejus fidem  
secuti sumus.

2. Atque haec naturalis obligatio , nisi  
personæ obstat qualitas , eandem vim etiam  
jure civili habet , si unam dempleris actionem ,  
quam naturalis & civilis simul. Ut  
ecce , potest hoc naturale debitum cum  
alio quovis compensari *l. 6. de compens.*  
non datur ejus licet per errorem soluti re-  
petitio. *l. naturaliter. 13. l. si pœna. 19. de*  
*cond. indeb. l. 7. de fidejuss. l. naturales. 10.*  
*de obl. & aet.* Potest constitui & novari.  
*l. 1. §. pen. de pecun. confit. l. 1. in fin.*  
*de novat.* Potest & pignus & fidejussor huic  
obligationi accedere. *l. 5. l. 14. §. 1. de pign.*  
*l. naturaliter. 13. de cond. ind. §. 1. Inst. de*  
*fidejuss. l. 6. l. 7. ff. eod. & quamvis citra*  
*vinculum stipulationis usuræ foenebris pecu-*  
*niz per se non possint , l. 3. C. de usur. tamen*  
*pacto promissæ servari possunt per retentio-*  
*nem pignoris pro sorte & usuris obligati. l. 4.*  
*l. pignoribus. 22. C. d. tit.*

3. Cæterum talis obligatio , quæ ad agen-  
dum & petendum sit efficax , jure nostro ex  
pacto non nascitur , nisi specialiter lege  
senatusve consulto , aut à prætore con-  
tratum sit. *l. 6. l. 17. §. 2. hoc tit.* aut con-  
tractui bonæ fidei in continentali appossum ,  
eo quod hujusmodi pacta pars sunt & laci-  
nia atque lex ipsius contractus , sine quibus  
contractus initus non fuisset. *l. 7. §. quinimo.*  
*5. eod. l. in bona. 13. C. eod. l. 1. §. si conve-*  
*nit. 6. depos. l. contractus. 13. de reg. jur. l. 5.*  
*l. ult. C. de pact. int. empt. & vend.* Imo tan-  
tum abest , ut nuda pactio actionem pariat ,  
ut etiam si certis annis , quod nudo pacto  
conveneat , datum fuerit , nihilo magis in  
posteriorum actio competit , nisi placitis stipu-  
lationi intercesserit , ut rescriptum ab Impp. *l.*  
*si certis. 28. C. hoc tit.* Plane enim si placiti  
servandi causa stipulatio interposita fuerit ,  
dubium non est , quin ex stipulatione agi  
possit. *l. si pacta. 14. l. petens. 27. C. eod.*  
Quod si ad pactum accesserit & alia causa ,  
puta si præterea ab uno quid datum aut fa-  
ctum sit , jam quidem certo jure is qui dedit  
aut fecit , alterum sibi ita obstrictum haber ,  
ut etiam civili aut honoraria actione tenea-  
tur : sed jam illa conventio non amplius  
nuda censetur *l. 7. §. 2. l. divisionis. 45. l. in*  
*traditionibus. 48. h. t. l. debitor. 7. & seq. l.*  
*legem. 10. l. cum propōnas. 21. C. eod.* Ne-  
que enim nudum pactum est , quoties certa  
lege aliquid datum aut factum esse probatur.  
*l. 8. in fin. l. solent. 15. de præscript. verb.*  
Sed de his satis dictum est supra cap. 5 &  
7. ubi item notatum est , aliarum omnium  
gentium moribus non minus ex pacto , quam  
tumvis nudo , dummodo serio , quam jure

Romanorum ex stipulatione , actionem da-  
tam fuisse ; quod & jure Canonico diser-  
te cautum sit. *cap. 1. & 3. ext. hoc tit.*  
& disciplina horum temporum sequatur.

4. Sicut autem pactum obligatorium na-  
turem obligationem producit , ita ex con-  
trario pactum liberatorium naturem obli-  
gationem ipso jure tollit. *l. Stichum. §. na-*  
*turalis. 4. de solut.* Estque hoc consentaneum  
regulæ traditæ in *l. nihil tam naturale. 35.*  
*de reg. jur.* atque obtinet etiam , quamvis  
non ex conventione , sed alia ex causa ob-  
ligatio naturalis profecta est : quoniam vin-  
culum æquitatis , quo solo sustinetur , con-  
ventionis æquitate dissolvitur , ut disputat  
Papinianus *d. l. Stichum. §. 4. de solut.*

5. Non adversatur huic sententiæ , quod  
Paulus *l. si unus. 27. §. 2. hoc tit.* responderet ,  
prius pactum non elidi per posterius ipso  
jure , sed opus esse replicatione : quoniam  
ibi non queritur de nuda naturali obligatio-  
ne per pactum tollenda , sed de pacto prio-  
re , quo exceptio jure prætorio quæsita erat ,  
per posterius pactum elidendo , quo redat  
prima conditio & status obligationis , actione  
que vis pristina restituatur. Quod obligatio  
naturalis ipso jure per pactum tolli-  
tur , ei consequens videri poterat , etiam  
pacti hanc vim , ut ipso jure obligatio-  
nem priorem reponat in pristinum statum  
perinde ac si pactum prius interpositum non  
fuisset. Cæterum hoc minime sequitur : nam  
cum non obstante priore pacto de non pe-  
tendo obligatio & actio ipso jure adhuc  
teneat , fieri nequit , ut exceptio debitori  
pacto quæsita , posteriore pacto ita tolla-  
tur , ut ea agenti creditori in judicio oppo-  
ni non possit. Atque hoc significat Juris-  
consultus in *d. l. si unus. 27. §. 2. hoc tit.*  
cum ait in pactis factum versari. Ait prius  
pactum per posterius ope replicationis elidi ,  
non ipso jure , sicut tollitur stipulatio per  
stipulationem , si hoc actum est ; addita  
hac ratione , quia in stipulationibus jus  
continetur , in pactis factum versatur. Id  
est , ut ego interpretor . quia stipulations  
ipso jure vim suam exercent , eo quod his  
inest auctoritas juris : pacta aurem auxilio  
prætoris egent , & sine jure ex solo con-  
ventu servantur. Itaque quatenus pactum  
prius tuitione prætoris juvatur & hæc  
nus quoque auctoritate prætoris requiritur ,  
ad elidendam exceptionem jure honorario  
firmam. Hinc est , quod quidem etiam  
pacta nobis pro sint ad liberationem sed  
facto nostro , si quis initio litis pactum  
sit contestatus , ejusque exceptionem in  
judicium deduxerit. Hæc enim con estatio &  
defensio , cum in facto rei posita sit , restet

## T R A C T A T U S

dicitur in pactis factum ad liberationem versari: eademque hic receptionis & replicationis ratio est. In stipulationibus autem ius continetur, id est, per stipulationem Aquilianam, eamque secutam acceptilationem hoc assequimur, ut ipso jure libemerur, non facto aliquo nostro, id est, non defensionis contestatione, aut ex stipulationis exceptione & objectione.

6. Atque hoc pertinet, quod idem Jurisconsultus in *I. qui servum.* 34. §. 1. de ob. & act. scribit, eum qui rem sibi commoda tam surripuerit, teneri quidem & commodati actione & condicione, sed alteram actionem per alteram perimi aut ipso jure aut per exceptionem. Significat enim cum quis ipso jure liberatus est, posse eum tuto negare, se debere, & quamvis exceptionem in judicio non proponat, absolvit debere, si ex pristina actione solvisse se quandoque apud Judicem doceat. Si vero per exceptionem actio tollatur, non debere reum negare se teneri: sed cum hoc confessus fuerit, ejus quod præcesserit, exceptionem opponere posse, per quam consequatur idem, quod non teneatur, hoc vero, inquit, facere est tutius: quia scilicet dubitari possit, an eo modo prior actio sublata sit ipso jure. add. Cujac. Bus. & Ant. Fab. ad d. I. si unus. 27. §. 2. h. t. Donell. ad I. 5. Cod. cod. Borcolt. de pact. c. ult. num. 58. & seqq. Bachov. ad hunc tit. c. de effect. pact. lib.

7. Præterea ipso jure nuda conventione tolluntur obligationes omnes quæ nudo consensu contractæ, dummodo rebus integris à contractu abeat. I. 7. § adeo. 6. I. ab empli-  
pione. 58. h. t. I. 3. I. 5. § 1. de ref. vend.  
I. 1. I. 2. C. I. quand. lic. ab. empt. discedere.  
in quo & ipso regulam naturæ de tollendis  
obligationibus veteres secuti sunt. I. nihil  
tam naturale. 35. de reg. jur. I. prout. 80. de  
solut. Nam et si hujus generis contractus ob-  
ligationem quoque civilem, hoc est, efficacem  
ad agendum producunt, quæ videatur  
pacto ipso jure tolli non posse: tamen quia  
obligatio ista mero & nudo consensu con-  
stat, totaque est ex jure gentium, nihil ha-  
bens à jure civili præter generalem quan-  
dam approbationem, quod extrinsecum quid  
est, & accidentarium, ideo sublato hoc  
consensu per pactum sive voluntatem con-

trariam, tota obligationis substantia eva-  
nescit, ut nihil amplius supersit, in quo actio  
fundetur. Eadem videlicet ratione, qua nul-  
la superesse obligatio intelligitur. si res tra-  
dita in contractu reali animo recedendi red-  
dita fuerit.

8. Et secundum hæc rectè defenditur,  
etiam obligationem pignoris, quæ jure præ-  
torio nuda conventione constituitur, I. 1. de  
pign. act. contraria eaque nuda conventio-  
ne ipso jure dissolvi: licet obstat videa-  
tur, quod à Paulo traditur I. si tibi. 17.  
§. 1. hoc tit. de pignore ex pacto jure ho-  
norario actionem nasci: tolli autem per ex-  
ceptionem, quoties pacifcor, ne petam.  
Nam bene à Negusantio tract. de pign. part. 6.  
memb. 3. n. 3. & à Bachovio lib. 5. de pign.  
c. 6. observatum est, loqui Jurisconsultum  
de pacto, quo remittitur debitum principale,  
non de eo, quod directo tendit ad dis-  
solutionem pignoris.

9. Cæteræ obligationes pacto liberatorio de  
non petendo, non ipso jure, sed ope ex-  
ceptionis tolluntur, ut passim hoc tit. &  
alibi, inter quæ quid intersit, ex iis, quæ  
modo dicta sunt, intelligi potest. Concur-  
rit autem cum exceptione pacti exceptio  
doli, sicut & cum aliis exceptionibus: dol  
lo enim malo facit, quicunque id, quod  
quaqua exceptione elidi potest, petit. I. 2.  
§. item queritur. 4. & §. seqq. de dol. mal.  
except. Sed & quotiescumque pacti exceptio  
dari non potest, forte quia persona, ad  
quam utilitatem pacti porrigi volumus,  
exceptio pacti quæri non potuit, aut per-  
sona ejus pacto comprehensa non est, to-  
tities ad exceptionem doli subsidiariam con-  
fugimus.

10. Quæ pacta aliquid obligationi detra-  
hant, eamve imminuunt, ea si in conti-  
nenti facta sint, non tantum contractibus  
bonæ fidei, verum etiam stipulationi insunt,  
ipsoque jure reo prosunt ad liberationem. I.  
lecta. 40. de rebus cred. De furto & injuriis  
lex duodecim tabularum pacisci permisit:  
quam ob causam quoque actiones furti &  
injuriarum per pactum ipso jure tolluntur.  
I. si tibi. 17. §. 1. junct. I. 6. I. 7. §. pacifcar.  
14. hoc tit. Nihil autem horum est, quin  
propriis quoque locis ante explicatum sit,  
& quidem copiosius.





# TRACTATUS DE JURISDICTIONE ET IMPERIO ACADEMICO-FORENSIS.

*Amplissimis, Gravissimis, Spectatissimis VV.*

DD. CONSULIBUS REIPUBLICÆ LEIDENSIS.

**N**ULLIUS rei cognitio, Viri Amplissimi, ad intelligentiam juris civilis Romanorum æque necessaria est, atque hujus, quod tractandum suscepimus, argumenti de Jurisdictione & Imperio; nec quenquam repertum iri credo, qui id inficiaturus sit. Ceterum cum tot in hoc argumentum extent cum veterum interpretum, tum recentiorum commentarii, inanis omnis labor, & supervacuum videri poterit, quod porro in eo tractando studium ponitur. Atque hujus quidem etiam rei contemplatio diu me suspensum tenuit, & tantum non à praesenti scriptione deterruit. Verum enimvero cum & veteres interpres parum in hoc genere viderint, aut potius nihil (quod saeculi vitio antiqui moris & memoriae ignari adscribendum est) & recentiores, dum veterum errores taxant, ubi suam promunt sententiam, in alios non minus graves sepe incident; & denique cum etiam à viris magni nominis non pauca hic tam obscure & perplexe tradita sint, ut ad mentem eorum intelligendam Oedipo conjectore pene sit opus, non inutilem omnino fore ratus sum eam operam quam quis in resumenda hujus argumenti tractatione collocaret, dummodo possit apertius ac dilucidius, quam haec tenus factum est, rem totam explanare. Cum itaque repetita nuper ab initio Pandectarum interpretatione mox id ipsum argumentum publice se nobis explicandum obtulisset, tentare volui, possemne ea, quæ ad cognitionem rei tam necessariæ pertinent, clare ac luculentè auditoribus meis proponere, atque ita, ut etiam obtusiorum auribus hauriri, animisque percipi possent. Quod cum haud male, quantum intelligere potui, processisset, eventu conatu nostro respondente, ut aliis quoque prodessem, & quod semper studui, quam plurimis, ea, quæ viva voce in non contemnda auditorum frequentia exposueram, publici juris feci. Porci, & sine magno negotio, prolixiorem scribere Commentarium, sed nihil opus fuit, meliusque me consularum utilitatibus studiose legum juventutis arbitratus sum, dum ea modo diligenter persequerer, sine quorum cognitione frustra in hac materia laboretur, & quibus cognitis cetera omnia per se aperta & plana futura sint. Hasce ego secundarum mearum curarum primicias vobis, Amplissimi Viri, hic offero consecroque. Caufam, cur offeram, non addo, quod plerique nescio quibus coloribus accessitis facere solent, certus hoc munusculum nostrum, ut ut leviculum, gratum vobis acceptumque fore. Faxit Deus Opt. Max. ut florentissima vestra urbs florentior in dies evadat, in eaque optimarum artium studia magis magisque excitantur, atque incrementum capiant. Dabam Lugduni Batavorum pridie Kalend. Novembris 1644.

VV. AA.

Observantissimus

ARNOLDUS VINNIUS.



# TRACTATUS DE JURISDICTIONE ET IMPERIO.

## CAPUT PRIMUM.

*De imperio mero.*

## SUMMARIUM.

1. Partitionem Jurisdictionis in civilem & criminalem à Romani juris usu alienam videri.
2. Docendi tamen gratia tolerari posse.
3. Cur potestas cognoscendi de causis sola nomen jurisdictionis habeat.
4. Merum imperium cur sic dictum.
5. Quid sit merum imperium, & quibus in rebus consistat.
6. An condemnatio ad perpetuos carceres sit meri imperii.
7. Merum imperium quatenus & quando ad bruta quoque animalia extendatur.
8. Quatenus & quando ad noxiiorum hominum cadavera.
9. Appellatione meri imperii etiam cognitionem criminum contineri.



CRYPTURUS de jurisdictione, deque mero ac mixto imperio, cuius argumenti cognitione ad intelligentiam magnae partis juris civilis Romanorum in primis necessaria est, non putavi operæ pretium rem à primordiis urbis ipsaque origine repetere, quod & nimis longum foret, & fortassis etiam tedium pareret legentibus: sed satis abundeque desiderio studiosorum me facturum esse duxi, quamvis intra septa juris Justinianei me contineam, dummodo subinde, ubi opus erit transfiliam, id est ubi rei, de qua agetur, explicatio erit arcessenda è longiori.

1. Interpretes nostri appellatione jurisdictionis

ctionis in genere sumptæ, etiam imperium, quod merum dicitur, complectuntur; atque jurisdictionem dividunt in civilem & criminalem: aut barbare in bassam & altam, quæ posterior in libris juris civilis merum imperium appellatur. In consuetudinibus Burgundia & aliorum locorum hæc identidem occurunt, haute & basse Jurisdiction, hooge ende laege Jurisdiction, quarum prior Belgice etiam Halsheerlijkhelyt dicitur. Ceterum hoc à Romani juris usu alienum esse reor; quippe quo imperium, quod merum appellant, ut species opposita, expressim à jurisdictione separatur, cui contra cohærente & inesse dicitur imperium mixtum l. 1. §. 1. ff. de offic. ejus cui mand. l. 3. ff. hoc tit. de jurisd. Marcus quoque Tullius in orat. pro L. Muran. potestatem juris dicundi diserte opponit quæstioni, hoc est, mero imperio, ut explicat Carol. Sigonius de antiqu. jur. provinc. c. 7. Nihil juvat interpretes, quod Papinianus in d. l. 1. pr. de offic. ejus, &c. scribit, errare magistratus, qui cum publici judicij habeant exercitionem, jurisdictionem suam mandant: nam ut patet ex §. 1. d. l. 2. illud tantum verbis istis significare jurisconsultus voluit, errare magistratus, qui putant mandata jurisdictione, imperium quoque merum quod præter jurisdictionem habent, transire. Sed nec illud interpretum sententia patrocinaatur, quod apud Ulpianum l. 7. §. ult. de offic. procons. scriptum est, proconsulem habere plenissimam jurisdictionem, et si enim proconsul merum quoque imperium in provincia habuit: tamen falso existimant Ulpianum appellatione plenissimæ jurisdictionis intellectissime etiam merum imperium. Ait proconsulem habuisse plenissimam jurisdictionem, nempe in causis civilibus: sic enim loquitur Jurisconsultus, respiciens ad magistratus urbanos, qui plenam jurisdictionem

nem non habebant. Quippe Romæ jurisdictio in multos magistratus diffusa fuit *l. 2.*  
*§. ergo. 34. de orig. jur.* quorum omnium partibus proconsul in provincia fungebatur, salva magistratibus inferioribus sua in municipiis jurisdictione; nec ordinariorum tantum, sed etiam extraordinariorum, id est, qui de certis causis extra ordinem in urbe jus dicebant, quo in numero praefectus vigilum, & praefectus annonæ, *d. l. 2. §. Et hæc omnia. 33. de orig. jur. l. 3. §. 1. de offic. præf. vigil.* & ita Jurisconsultus hoc ipse explicat.

2. Evidem non insicior, si vim verbi spectemus, potestatem cognoscendi & judicandi de causis criminalibus jurisdictionem appellari posse, cum in confessu sit etiam de his ius dici. Pomponius *l. 2. §. Et quia. 23. de orig. jur.* *De capite civis Romani injussu populi non erat lege permisum consulibus jus dicere.* Sic apud Suetonium legimus Julium Cæsarem de repetundis, Augustum de parricidio, Claudium de majori fraude jus dixisse. Ac proinde docendi causa communem illam Doctorum distributionem tolerari posse, ut verba accipiuntur eodem sensu, quo judicium aliud civile, aliud criminale dicitur. Ceterum in multis non idem semper verborum & verbalium usus est; exempli causa, verba pacisci, transigere, agere, conferre, &c. latiorem habere significationem constat, quam verbalia, pactum, transactio actio, collatio; & præstat nos sequi usum auctorum juris.

3. Cur autem potestas de causis civilibus cognoscenda sola nomen jurisdictionis accepit, ejus rei hanc esse rationem arbitror, quod olim magistratus urbani, penes quos dicebatur esse jurisdictionem, tantum de causis civilibus cognoscabant, potestatem autem cognoscendi de criminibus, præsertim de capite civis Romani, populus sibi reservabat, eamque vel exercebat ipse, vel alii exercendam in causis singulis mandabat: de quo fusius differemus paulo post.

4. Separemus itaque primum à jurisdictione imperium, quod dicitur merum, & interdum ~~κατὰ τὴν κύρωσιν~~ absolute potestas, *l. 3. hoc tit.* Merum imperium sic dici existimo cum Goveano in *d. l. 3. num. 10. Donell. lib. 17. comm. 8. Duar. 1. disp. 53.* quia purum & per se solum est, alterius rei mixtum non habens; oppositive nimurum ad imperium, quod nostri mixtum, & non merum appellant; quod scilicet jurisdictioni coheret, subservit, inest, *l. 1. §. ult. l. ult.*

Vinn. Tract. Varii,

*§. 1. de offic. ejus, &c. d. l. 3. h. t.* Scimus enim merum propriæ dici de eo, quod purum est, & solum, ut in vino, quod aqua non est dilutum. Sic dicimus merum jus gentium, quod non est mixtum cum præceptis civilibus, *l. Bona. 31. pr. depos.* merum prætoris officium, id est, solum, *l. 5. de verb. obl.* mera conditio in dando, mera conditio in faciendo, ad differentiam mixta ex utraque, *l. cum servus. 82. vers. sed nos neque. de cond. & dem.* mera donatio, *l. Aquilius. 27. de donat.* id est, pura & simplex, & similia.

5. Merum imperium sic à parte digniore describit Ulpianus *d. l. 3.* ut sit habere gladii potestatem ad animadvertisendum in facinorosos: nimurum sub potestate gladii, ut rum temporis fere solo gladio vita admebat, *l. 8. §. 1. ff. de pœn.* comprehensu etiam reliquos modos, quibus vita adimitur. Quod si huic descriptioni addideris vel alterius cujusque gravioris coercitationis, ex *l. nemo. 70. de reg. jur. l. 6. pr. ff. de offic. procons.* perfectior erit definitio, Nihil enim aliud est merum imperium, quam jus animadvertisendi in reos criminum, five capite plectendi sine summove afficiendi supplicio, five tollendi è numero civium metalli coercitione, deportatione, exilio, five relegandi, fustigandive: unde etiam tot gradus meri imperii recte statuuntur, quot poenarum in *l. capitalium. 28. ff. de pœn.* Zaf. ad *d. l. 3. n. 25. & seqq. hoc tit.* Sed nec poenæ pecuniarie à gradibus graviorum coercitionum plane excludenda, per *l. 4. ff. de interd.* & releg. add. Pet. Fab. in *l. nemo. 70. de reg. jur.* Coras. 3. miscell. 17. Angel. Costal Govean. Duar. in *d. l. 3.*

6. De condemnatione ad perpetuos carcera quæstum est, an & illa meri sit imperii. Respondeo, jure civili Romanorum hæc quæstio supervacua est: quia hoc jure carcer custodia, non ad puniendos homines habetur, *l. 8. §. solent. 9. ff. de pœn.* licet custodia illa interdum verbo poenæ significetur, ut in *l. 3. de cust. reor.* Imo expresse veritum aliquem condemnari ad perpetuos carcera, *l. mandatir. 35. ff. de pœn. l. 6. C. eod.* Jure autem Canonico, quod mores hodierni sequuntur, id permisum est, c. 12. de heretic. in 6. c. 3. de pœn. in 6. hoc vero jure, quoniam poena perpetui carceris proxima est ultimo supplicio, eam ad merum imperium pertinere dicendum est, speciemque esse gravioris coercitionis, add. Damhoud. præz. crim. c. 6.

7. Exercitio meri imperii ad bruta quoque animalia extenditur : non tamen principaliter & directe, sed quatenus delictum hominis conjunctum, ad abolendam rei memoriam, *Levit.* 20. c. *mulier.* cauf. 15. quæst.

8. & materialiter ratione ipsius facti, non formaliter ; quoniam in bestias proprie nec delictum cadit. Quo pertinet, quod lex Divina *Exod.* 21. bovem, qui occidit hominem, lapidibus obrui jubet : quod magis fit, ne oculos hominum offendat conspectus istius bestie, quam ut sit poena. Joh. Selden. *de jur. nat. & gent.* lib. 1. c. 4. & denique in poenam hominis, ut cum bestie cum paricidis culeo insuuntur : quod tamen bestiarum respectu vere poena non est, sed usus tantum dominii humani in bestias. Grot. *lib. 2. de jur. bell. & pac.* c. 41. n. 11.

8. Extenditur & ad noxiiorum hominum cadavera in enormi delicto. Birt. & DD. in *I. ult.* ff. *de sepulc. viol. & tit. de cadav. panit.* poenæque rationem hoc habet, quatenus exemplo utile. Ceterum secundum jus scriptum hic ita distinguendum videtur : aut poena ante mortem inchoata est in reo, aut non est : priore casu poena etiam perdurat in cadaveribus. Nam eorum, qui ultimo supplicio affecti sunt, cadavera non sepeliuntur, nisi & petitum & permisum fuerit, *I. 1. ff. de cadav. punit.* nec eorum, qui in insulam deportati sunt, cadavera licet inde tranferre, *I. 2. d. tit.* Posteriore casu crima morte extinguntur, *I. 3. I. 6. de publ. jud.* *I. ult. ad leg. Jul. majest.* *I. ex judiciorum.* 20. ff. *de accusat.* Itaque hic poena crimini post mortem rei inchoari nequit. Excipiuntur judicia majestatis & repetundarum, quæ etiam mortuis reis, cum quibus nihil actum est, adhuc exerceri placuit, ut bona eorum fisco vindicentur, *d. I. 20. de accusat.* *d. I. ult. ad leg. Jul. maj.* *I. ult. Cod. eod.* Et ex hac igitur causa etiam cadavera mortuorum ignominia affici possunt. Ratio est, quia cum poena irrogandæ duplex sit causa, correctio delinquentis, & perterrefactio aliorum, cum poena in exemplum irrogatur, licet prior cesseret, altera tamen hic locum habet, quæ exemplo utilis. In praxi autem etiam ad alia atrocia scelerata hoc tractum est. Gomel. 3. *resolut.* num. 78. & 79. Clat. *I. 5. §. fin. quæst. 51.* n. 15. Farinac. *var. quæst. 10. n. 77.* & seqq. cum *ibid. allegat.*

9. Illud notandum est, appellatione meri imperii non tantum contineri jus animadverendi in reos criminum, sed etiam jus

de causis criminalibus cognoscendi & judicandi, perperamque hæc à nonnullis separari, ut perspicue apparer ex *I. 6. pr. de offic. procons.* ubi Jurisconsultus ait custodiarium audiendarum mandatum esse extraordinarium ; neminem enim posse gladii potestatem sibi datam ad alium transferre. Et illi ipsi tantum, non alii, de criminalibus cognoverunt, quibus jus coercendi datum, praefides nimirum, proconsules, praefectus urbi, praefecti prætorio : ac procul dubio Ulpianus in *I. 3. hoc tit.* sub proteste animadverendi etiam cognitionem comprehendit. Quod autem olim extra ordinem à proconsule legatis mandabatur, ut causas etiam criminales (quod de levioribus accipio) audirent, & reos præauditos ad se remitterent, qui aut innocentes liberaret, aut nocentes condemnaret puniretque, id quidem postea cœpit esse juris ordinarii, sed ex speciali concessione. Constantini *I. un. Cod. de offic. procons.* Nec obstat exemplum causarum civilium, in quibus cognitione & judicatio, tanquam nuda notio, separata est ab executione, quæ ad mixtum imperium pertinet ; quasi & in criminalibus causis cognitione, tanquam notio quadam criminalis separanda sit ab executione, quæ sola sit meri imperii. Nam in causis civilibus imperium mixtum venit accessorie, atque extrinsecus assumitur propter contumaces & nec obedientes sententiæ judicis : quippe in his causis jurisdictione tota posita est in cognitione & sententia, cuius tuenda atque exequenda gratia imperium mixtum comparatum est, *I. ult. §. 1. de offic. ejus cui &c.* Criminalium vero causarum longe alia ratio est ; utpote quæ sola sententiæ dictio terminari non possunt, nec crima sine executione coerceri : unde tota criminalium causarum tractatio nomen sibi assumpit meri imperii.

## C A P U T II.

*De iis, quæ præcipue circa merum imperium querenda.*

### S U M M A R I U M.

1. Merum imperium qui olim habuerint ante & post questiones perpetuas constitutas.
2. Ordinem judicum in decurias descriptorum discretum fuisse à consilio centumvirali.

3. Prætorem non esse eundem, qui judex quæstionis.
4. Qui post Principem constitutum merum imperium habuerint, & n. s. ubi quedam notabilia de præfectura urbana.
7. Non omnes, qui merum imperium habent, posse quævis pœnas irrogare.
6. Officium & potestas præfetti prætorio ut tempore variaverit.
7. Apud nos quinam in municipiis aut agris merum imperium exerceant.

**H**oc cognito, quid sit merum imperium, & quibus in rebus consistat, tria adhuc potissimum quærenda, quinam illud imperium habeant; an ab eo, qui habet, alii mandari possit: & postremo, soline ei, qui summam in republica potestatem habet, jure proprio, illud competat, an etiam magistratibus, quibus id concessum.

1. Olim nulli magistratui in urbe jus erat arbitrio suo in civem Romanum animadverendi, sed populus hoc jus sibi reservarat, & ut quæque incidenter crima, ita de iis aut ipse cognoscebat, aut aliis eam cognitionem mandabat, quod & aliquando à Senatu factum legimus. *Liv. lib. 39.* At post quæstiones perpetuas constitutas, quod factum esse Censorino & Manilio Coss. ait Cicero in *Brut.* anno ab urbe condita 605. septuaginta annis antequam Sylla tyrannidem Romæ exerceret, prætores ordinarii creati sunt, qui cum quæstori & judicibus ex ordine equestri & senatorio selectis de causis criminalibus cognoscerent, de quibus non videbatur extra ordinem quærendum esse, ut de repetundis, ambitu maiestate, peculatu. Nam propterea quæstiones perpetuae dicebantur, tum quod lege erat præscripta quædam forma perpetua judicii de his rebus exercendi, ut nova semper lege opus non esset; tum quod annuam provinciam de his quæstionibus exercendis illi prætores peragerent, non quemadmodum antea fieri solebat, cum ita casus tulisset, ut quærendum videretur, tum crearetur, qui quæreret, statimque hoc absoluto iudicio potestatem de eadem re quærendi non haberet. Quod si tum quoque aliquid accidisset, de quo extra ordinem primo quoque tempore propter criminis gravitatem aut novitatem quærendum videretur, ad populum ferebatur, ut quem vellet, de ea re quærere juberet: ac tum veteri more creabatur quæstor parricidii, sicut lege Pompeja extra ordinem populi suffragio creatus est quæstor L. Domitius Ahenobarbus, qui de vi, cuius Milo postulabatur, quæreret.

2. Ordo autem ille iudicum in decurias descriptorum, cuius modo facta mentio, discretus erat à consilio centum virali. Nam centumviralia iudicia non publica, sed privata erant, ut constat ex enumeratione causarum centumviralium apud Ciceronem in *Brut.* Scævola. *I. Titia. 13. de inoff. test.* quærelam in officio testamenti, Imperator *I. ult. C. de post. hered.* petitionem hereditatis centumvirale iudicium vocat. At apud selectos illos judices tantum quæstiones publicæ, id est, causæ publicorum iudiciorum agitabantur: idque non in basilica, ubi centumviri iudicabant, sed in foro. Prætoris hic non alia partes, quam ut eos judices cogeret, eorumque fortitudinem & sublortitionem faceret ex iis decuris, quibus iudicandi tum munus incumbebat: reliqua, quæ ad causæ cognitionem pertinebant, absolvebat iudex quæstionis forte à prætore ex numero iudicium creatus, qua cognita judices sententiam ferebant. *Judex quæstionis.* Ciceroni quæstior, Asconio *Verrin 3.* princeps iudicium dicitur.

3. Non erat igitur ipse prætor, ut putat Budæus in *I. ult. ff. de senat.* sed alius ab eo. In iudicio Oppianici prætor erat C. Verres, iudex quæstionis C. Junius. In iudicio Cluenti prætor Q. Naso, quæstior Q. Voconius. In iudicio Verris de repetundis Prætor M. Glabrio, iudex quæstionis Q. Curtius, ut indicat Cicero in *fin. 3. in Verr.* consuluntur Carolus Siganus, Nicolaus Gruchius, & alii antiquitatis periti scriptores. Enimvero etiam stante adhuc re-publica certum est merum imperium habuisse magistratus, qui cum fascibus & securibus in provincias mittebantur, veluti consules, proconsules, prætores, proprætores: atque id speciali lege his tribui soluitum.

4. Constituto Principe in urbe animadverso criminum præfecto urbi concessa, & præsidibus in provinciis, in quas à Principe mittebantur. Atque omnino verisimile est, hos non speciali aliqua lege populi, sed ex ipsa creatione merum imperium habuisse. Quod autem ad proconsules attinet, quos senatus in provincias sibi populoque relicta mittebat, vetus ratio fortassis aliquandiu adhuc mansit, ut speciatim de eorum imperio lex ferretur. Quid si dicamus de horum omnium magistratum imperio semel legem aut constitutionem promulgatam, quæ in creatione singulorum reperita censeretur, Cabot. *2. disp. 2. Scip. Gentil. 3. de jurisd. 20. & 25.*

5. Igitur sub Principibus merum impe-

## T R A C T A T U S

rium Romæ habuit præfetus urbi. *l. 1. de offic. præf. urb.* prætores urbani non habuerunt: unde illa tutorum & curatorum, qui feveriore animadversione indigebant, ad præfecturam urbanam remissio. *l. 1. §. solent. 7. d. l. 1. 3. §. sed si. 15. ff. de susp. tut.* Præfetus urbi olim pro regibus aut magistratis juri dicundo constituebatur ad tempus, illis urbe profectis ab bellum, vel ad provincias suas. Post cœpit constitui ad paucos dies tantum, quod solemne sacrum Latarum feriarum rite perageretur, quod Varto numerat inter annales ferias, *lib. 5. de Ling.* Primus Augustus præfecturam urbanam perpetuam fecit, teste Tacito *lib. 6. Annal.* Auxit deinde potestatem hujus magistratus Divus Severus; dataque præfecto cognitio de omnibus criminibus non tantum in urbe, sed etiam in Italia usque ad centenitnum ab urbe lapidem. *d. l. 1. de offic. præf. urb.* Idem imperium in provinciis habuerunt præsidia. *l. 6. §. pen. ff. de offic. præsid. item proconsules. l. 6. ff. de offic. procons.*

6. Cærerum hi non habuerunt potestatem poenias qualsvis irrogandi. Nam ecce præses provincie jus gladii habuit, & in metallum damnandi potestatem. *d. l. 6. §. pen. de offic. præsid.* deportandi tamen in insulam jus ei datum non est. *l. 6. §. 1. ff. de interd. & de releg.* *l. 1. §. 3. ff. de legat.* 3. De proconsule idem sentio: nam id genus poenæ, ut speciale & in libera republica non usurpatum, principem sibi reservasse credibile est. Itaque argumentum à majori ad minus hic non procedit, ut notant Doctores in *l. non debet. 21. de reg. jur.* Cujac. in *l. notionem. 99. de verb. sign.* quoniam singula, quæ ad merum imperium pertinent, nisi specialiter concessa non competit. *l. 1. de offic. ejus cui &c.* Præfecto autem urbi nominativ ac specialiter jus quoque deportandi à Principe datum. *l. 2. §. 1. ff. de pen. d. l. 1. §. 4. de legat.* 3. Imperium merum, & quidem plenissimum habuerunt quoque præfetti prætorio. *d. l. 1. §. 4. de legat.* 3.

7. De officio præfeti prætorio, unde hujus magistratus initium & progressus, Arcadius Charisius in *l. un. de offic. præfeti. præf.* Videtur autem hic magistratus tempore posteriorum Imperatorum in officium plane civile degenerasse, cum ex institutione prima militare tantum fuerit, ut ex Dione, *lib. 55.* Sueton. in *August.* Arcadio, *d. l. un.* & aliis constat. Tanta vero auctoritas præfotorum prætorio fuit, ut à sententiis eorum provocare non licet, solumque concederetur supplicatio. *d. l. un.*

*§. 1. l. un. C. de sent. præf. præf.* Itaque nunc recte præfecturas appellare possumus, quæ Galli parlamenta, curias nimirum supremæ jurisdictionis sive provocationis ultimæ, cours souveraines, hooge collegien van Justicie, daar van geen appel en valt, hoe vvel supplicatie, aut, ut nunc loquimur, revisie.

8. Hodie in municipiis iidem fere magistratus, quorum est jurisdiction, etiam merum imperium habent: at in agris, ten platten lande, scabini jurisdictionem tantum habent, merum imperium exercent, qui nostratis dicuntur Velgeboremannen; hoc est, illi de causis civilibus duntaxat, hi de criminalibus cognoscunt.

## C A P U T III.

*An meri imperii exercitio mandari possit?*

## S U M M A R I U M.

1. *Meri imperii exercitio mandari non posse.*
2. *Excipitur causa necessaria magistratus absentia: neque ea refringenda ad judicium legis Juliae de vi.*
3. *Male nonnullos excipere & eum, cui princeps cause criminalis executionem commisit: ubi de sententia l. un. C. qui pro sua jurisd.*
4. *An jure Can. imperium merum delegabile.*
5. *Rex Siciliae, Neapolis, Aragonie, Principes, Duces &c, Germanie habere imperium merum non tanquam sibi mandatum, sed à se & ut suum. Neque queminus veri principes sint, impedit obligationem fidelitatis &c. & n. 6.*
7. *Quid in toparchis seu dominis territorii.*
1. *N E M I N E M posse jus gladii vel alterius coercionis sibi datum ad alium transferre, nec mandata jurisdictione imperium merum, quod lege datur, transire, tot locis & tam perspicue traditum est, ut mirum sit reperiri, qui contradicant. l. 1. pr. & §. 1. de offic. ejus cui mand. l. 6. pr. de offic. proc. l. nemo potest. 70. de reg. jur.*
2. *Una exceptio est, si is, cui hujus imperii exercitio obtigit, necessario abesse cogitur. d. l. 1. pr. Idem tamen Doctores communiter statuunt in causa infirmitatis tali quæ impedit, quominus magistratus officio suo fungatur & quod & rationem habet, Bart. & DD. in l. 3. hoc tit. Sunt qui hanc exceptionem restringunt ad judicium publicum legis Juliae de vi, quia hujus solius in*

*d. l. i.* meminit Jurisconsultus Bronchorst.  
*1. Enant. afferit.* 16. quod non placet : nam eadem ratione dicendum est, nec regulam ad alia crimina pertinere. Et cur non idem admittramus in causa adulterii, peculatus, reperundarum &c. aut si in his admittimus, cur non etiam in causa homicidii ? An quia gravius puniuntur sicarii lege Cornelia, quam lege Julia alia illa crimina ? Atqui vis publica non minus severa vindicatur lege Julia, quam homicidium lege Cornelia, ut patet ex collatione *l. 5. §. 2. d. l. qui dolo.* 10. §. ult. & *l. seq. ad leg. Jul. de vi publ.* cum *l. 3. §. pen. ad leg. Corn. de sicar.* Non utor auctoritate legis *l. §. 8. ff ad SC. Turpil.* quia in plerisque codicibus illic non *Præsens*, sed *Præses* legitur : quo modo etiam legendum existimo. Nam falsum est, quod à praesente, mox tamen profecturo, causæ meri imperii delegari non possint. Utique enim cum præses iusta ex causa abesse cogitur, cum plerumque præsentem adhuc, id est, antequam proficitur, hujusmodi causas mandare solitum, nemo opinor, cui datum est habere nasum, negaturus est.

*3. Afferunt & aliam exceptionem plerique interpres*, in eo scilicet, cui princeps specialiter causæ criminalis executionem commisit, arg. *l. un. C. qui pro sua jurisd.* & ibi Gloss. Bart. Bald. Cuman. Angel. Alexand. *lib. 2. conf. 106. n. 20. Corn. conf. 24. colum. ult.* & alii, quos laudat & sequitur Menoch. *lib. arb. jud. quæst. 54.* Sed perperam : quia constitutio ista utique restringenda est ad causas natura sua delegabiles, id est, civiles, argumento inscriptionis tituli. Et falluntur, qui putant hac explicazione admissa, fore, ut nova istius constitutionis sive editi ad præfectum prætorio missi promulgatio otiosa sit & supervacua : siquidem, ut textus ipse ostendit, præcipue pertinet constitutio ad magistratus delegantes causas non suæ jurisdictionis, cujusmodi delegatio vetatur. Excipitur autem delegatus à principe, cui soli hoc conceditur, ut etiam causas alienæ jurisdictionis, quarum cognitio ei mandata, delegare possit, & possit etiam personis alterius jurisdictionis. Itaque his verbis, *nullo personarum causarumve habito tractatu*, sub finem positis, hoc tantum significatur, posse delegatum principis causas quasvis (intellige civiles & delegabiles, quæ & ipsæ infinita & variae) delegare quamvis alienæ sint jurisdictionis &c. quod in principio constitutionis aliis denegatum erat. Ita ferme & olim Alberic. in *d. l. un. n. 5. Salic. n. 7 Castr. n. 9.* post Cyn. Jac. de Are. Oldrad. Plures etiam citat Gilken. in *d. l. un. n. 3.* In legato pro consulis, quoniam is proconsuli tanquam

vicarius à senatu èis *bonorum testis Appiano lib. 1. de bell. civil.* adjungebatur, speciale fuit, atque extraordinarium, quod ei custodiarium cognitio mandari potuit. *l. 6. pr. de offic. procons.* A Constantino autem jus audiendi causas criminales ei etiam nomipatim datum. *l. unic. C. eod.*

*4. Sunt*, qui jure canonico imperium quoque merum delegabile esse centent. Longoval. *in repet. l. 3. hoc tit. part. 3. c. 4.* Alexand. Coital. Busi. *in lib. 1. de offic. ejus cui mand.* sed nullum textum è jure isto proferrunt, quo id aperte probetur. Dicitur quidem in *c. pen. ne cler. vel monach. facul. negot.* posse Episcopum aliumve prælatum temporalem jurisdictionem habentem delegare causas sanguinis : sed quis non videt hoc esse speciale, cum ipsis clericis causas hujusmodi agitare non licet ? quod & ibidem adjicetur. Illud quoque, quod ex *c. in archiepiscopatu. de raptor.* afferunt, proponi illic Regem Siciliæ causas criminales delegasse, qui tamen beneficiarii sit sedis Romanæ, Clement. *pastoralis. de sent. & re jud.* nihil est.

*5. Nam Rex Sicilia non habet merum imperium ab alio*, ut illud nudi habent magistratus : sed à se tanquam princeps supremam in regno suo habens potestatem. Quamvis enim jure feudi Pontificem agnoscat, verus tamen Rex est & princeps omnia jura habens in subditos, quæ principibus convenient. add. Covar. *3. refol. 20. Fachim. 9. contr. 99.*

*6. Similiter quod de Principibus, Ducibus & Comitibus imperii Germanici afferatur, non eos ipsis de causis criminalibus cognoscere, sed aliis harum rerum cognitionem mandare, ex eo non recte colligitur, merum imperium posse hodie delegari.* Nam principes isti non habent imperium merum, tanquam mandatum sibi, sed tanquam suum & proprium : neque enim sunt nudi magistratus, sed quasi reges in suis ditionibus jus regalium habentes, quo jure & magistratus creant : ac proinde nec recte dixeris eos mandare merum imperium, non magis quam princeps Romanus olim dicebatur id mandare, cum præsidem crebat. Scip. Gentil. *lib. 3. de jurisd.* c. 23. & 29. Enim vero, quomodo hi Principes sint, non impedit fidelitatis aut tributi alteri præstandi obligatio, dummodo jura majestatis habeant : nam feudum censuive præstatio non adimit iis supremam potestatem, quam in subditos habent, eamque continuo transfert in eum, qui jus feudi vel tributi habet : sed cum eo nihil habet commune. Sic hodie licet Turcarum Imperator tributum à principe Transilvanæ accipiat, nihil tamen juris in subditos ejus sibi vindicat. Regna Siciliæ, Neapolis, Arrago-

## T R A C T A T U S

nix feuda sunt sedis Romanae, adeoque si Pontificia constitutioni credimus, ipsum quoque imperium Romauum, quale nunc est, ex fide Romani Pontificis pendet. Clement. *un. de jurejur.*

7. Postremo nec toparchæ seu domini territorii, quibus à Principe in feudum concessum est jus meri imperii, *hooge juridictie ofte halsheerlijkhheit*, cum alios constituant, qui vice sua de criminibus cognoscant, non est ea tam simplex causarum criminalium delegatio, quam quædam magistratum & judicium criminalium pro potestate à Principe accepta, creatio. Eos autem, qui nudi duntaxat magistratus sunt, verbi causa, Scabinos in oppidis, hodieque imperium quod habent, mandare alii non posse satis notum est: atque ut nunc mores sunt, ne causarum quidem civilium cognitionem.

## C A P U T I V .

*Soline principi iisve, qui summam in re-pub. potestatem habent, merum impe-rium jure proprio comperat, an etiam magistratibus, quibus id concessum.*

## S U M M A R I U M .

1. Lotharii sententia contra Azonem defensa.
2. An merum imperium sit jus vitae ac necis, & an idem, quod summum, & n. 3.
3. Aperitur via ad conciliandum cum Lothario Azonem, & n. 5.

**H**ÆC quæstio olim agitata fuit Bononiæ hab hinc annis fere quadringentis inter Azonem & Lotharium, maximi tunc nominis jurisconsultos, coram Imperatore Henrico Lucenburgenſi Frederici Secundi filio. Utterque ex ſponſione equum apud ſequellem deſuerat. Azo contendebat, non ſolum principem, verum etiam magistratus merum proprio jure habere imperium. Lotharius contra ſolum id jus habere principem: magistratus autem ex confeſſione nudum duntaxat ejus juris exercitum, jure ipſo apud Principem remanente. Imperator auditis utriusque partis argumentis ſecundum Lotharium pronuntiavit. Quamvis autem hoc decreto Principis legis vim habere debuerit, l. 1. §. 1. de constit. princip. tamen Doctores inſequentes Azois ſententiam magis probaverunt, quaſi Imperator non ex rei veritate, ſed favore ſue cauſæ ita judicafſet. Unde natum est illud vulgatum Lotharius iniqum dixit, & equum abſtulit: Azo æquum

dixit & equum perdidit. Zaf. in l. 3. num. 36. hoc tit.

1. Cærerum cauſam Lotharii rurſus ſuſcepit Alciatus lib. 2. paradox. c. 6. & poit eum etiam recentiorum magnæ parti ſententia Lotharii probabilior viā eft; eamque & ipſe veriorem eſſe exiſtimo, utique ſi ſpeciemus rationem juris civilis Romano-rum. Etenim Principes Romani non tam ipſum jus meri imperii concedere ſoliti fuere, quam hujus juris uſum atque exercitionem. l. 1. ff. de off. ejus cui mand. non ut hoc imperium haberet magistratus tanquam proprium & ſuo jure, uti ſuo jure habet jurisdictionem l. 5. ff. hoc tit. Sed tanquam delegatum: quam ob cauſam nec aliis mandari ab eo, cui exercitio obtigerat, potuit d. l. 1. pr. & §. 1. de off. ejus cui. quod liuiſſet, ſi id jure habuifet proprio, arg. d. l. 5. hoc tit. Non obſtat, quod morte Principis non finitur merum imperium in persona ejus, cui id confeſſum. Nam Princeps jure regalium magistratus creat, & tanquam lex quædam imperium ejusque exercitionem iis defert, non ſimpliſter mandat exercendum: alias certe morte mandantis extingueretur, ſicut jurisdictione à magistratu mandata morte mandantis extinguitur. l. 6. hoc tit. lex autem non moritur.

2. Afferunt alii & hanc rationem, quia merum imperium eſt jus vitæ ac necis: hoc autem non niſi ejus proprium fit, qui jura majestatis habet, five illa jura ſint apud unum, five apud plures, five apud universum populum. Curtius l. 4. Et cum in regali ſolio reſidebis vitæ necisque omnium civium dominus, Cujus potefatus inſigne apud Romanos eſſet pugio five gladius, Tacitus lib. 3. hiftor. Vitellium ſolutum à latere pugionem Cætilio Simplici in concione reddidiffe, tanquam jus vitæ & necis &c. Cærerum quoniam illi, qui principatum obtinent, ipſi vacare exercitioni meri imperii non ſemper poſſunt, ideo hoc exercitum cum cauſe cognitione aliis delegari ſolitum arg. l. 2. §. exactis. 16. §. & quia. 23. de orig. jur. Addunt porro & hoc, quod quemadmodum ſoliuſ principis eſt poenam remittere l. 4. ff. de pen. l. 1. & paſſ. Cod. de ſent. poſſ. Auguſt. de fato; Imperatori ſoli licet revocare ſententiam, & reum mortis absolvere, & ipſi ignoscere, ita & ſoliuſ Principis proprium fit punire, arg. l. nemo. 37. de reſ. iur. Jam vero quia perraro accidit, ut nocentibus venia detur, ideo hoc jus principem ſibi reſervare, nec ulli concedere: at contra quia fontes plerumque puniuntur, idecōro jus animadvertendi certis magistratibus mandare ſolitum.

3. Verum ego hæc non usque adeo magni astimo, imo falsum arbitror, quod ajunt imperium merum esse jus vitæ & necis. Nam qui magistratus merum imperium habent, nihil aliud habent, quam potestatem ad animadvertisendum in facinorosos, & absolvendo innocentes: ac proinde quid jurisdictionale, separatum ab iis, quæ jura majestatis proprie dicuntur: at jus vitæ ac necis, damnatos morti eximere, poenam remittere, pars est juris regii ac majestatis, quod summum imperium non merum, dicitur, neque cum alio communicatur: quamquam interdum sit, ut cum jura majestatis apud plures sunt, potestas condonandi delicti tribuatur uni, sicut nostri Ordines id tribuerunt Principi Auriaco. Utique merum imperium cum summo confundi non debuit: non meri, sed summi imperii sunt, leges condere, magistratus creare, bellum interire, pacem facere &c nec puto apud ullum idoneum auctorem reperiri positum merum imperium, pro summa in republica potestate.

4. Disputamus autem hic de more Romanis ultra, non de potestate Principis. Nemo enim est, qui nesciat posse Principem eumve, qui alio nomine summam reipublica tenet, non modo quoad usum nudum exercitum alicui merum imperium concedere, verum etiam ita, ut illud tanquam proprio jure habeat, atque alius quoque mandare queat. Quin imo potest Princeps alicui merum imperium concedere jure patrimonii, ita ut id etiam in bonis ejus reputetur, aliisque illud vendere & hereditibus relinquare possit, sicut hodie jurisdictionem criminalis in feudum data patrimonialis est. Potest & ex contrario Princeps ea, quæ sunt jurisdictionis, & ad causarum civilium duntaxat cognitionem pertinent, sibi reservare: quemadmodum initio civitatis omnia manu à Regibus gubernabantur. *I. 2. §. 1. de orig. jur.*

5. Arque eo fortassis etiam respexit Azo, dum eum quidem solum, qui principatum in republica tenet, concedit habere jura majestatis, eaque soli sibi reservare: ceterum judicialia & jurisdictionalia cum his confundenda non esse contendit, cuius generis quoque si merum imperium. Nam est omnium magistrorum potestas & jurisdictionis à Principe tanquam à fonte promanat, tamen hæc diversimode magistratibus concedi posse & solere, vel ut tanquam jure quodam proprio ea habeant, aliisque eadem mandare possint, quali jure olim jurisdictionem & jurisdictioni cohærens imperium Romani magistratus habuerunt: vel ut tanquam nu-

dam exercitationem juris alieni, sine potestate alteri ea mandandi, ut olim cognitio & executio criminum, id est, merum imperium lege vel senatusconsulto delegabatur. *I. 1. de off. ejus & vel denique ut aliquis hæc habeat etiam jure patrimonii.* Atque ita Azonis sententia indefinite citra considerationem juris Romani accepta, vera est.

## CAPUT V.

*De Jurisdictione, quam vocant simplicem.*

## SUMMARIUM.

1. Notionis verbum de causis omnibus promiscue prædicari, iisque etiam attribui, qui jurisdictione carent.
2. Jurisdiction nullus simplex, si consideretur in concreto.
3. Vocem jurisdictionis & stricte accipi & late, tum quæ qua significatione comprehendatur.
4. Specialiter concessa dici & ea, quæ sub nomine officii tribuuntur.
5. Definitio jurisdictionis in genere acceptæ, cum accurata exegesi.

**N**UNC de jurisdictione videamus, prout ea vox in usu juris sumitur, mox etiam dicturi de imperio mixto, quod jurisdictioni cohæret: sed prius aliquid de verbo notionis dicendum est.

1. Notionis nomen latissimum est: nam & in civilibus causis & in criminalibus usurpat. Prætoris notio esse dicitur, utrum actio danda, an deneganda sit. *I. ult. in fin. de obl. & act.* item cum de alimentis testamento relictis transactio interponitur. *I. 8. §. 1. de transact.* cum disceptatur, utrum qui filius esse dicitur, in potestate sit, nec ne *I. 3. §. hoc autem. 3. de lib. exhib.* At in *I. 1. §. initio. 4. de offic. præfett. urb.* notio ad causas criminales & capitem animadversionem refertur, & apud Hermogenianum in *I. ex omnibus. 10. ff. de offic. præf.* ad cognitionem causarum civilium & criminalium promiscue. Sed & ad eos quoque refertur, qui neque imperium, neque jurisdictionem habent: nam Ulpianus in *I. notionem. 69. de verb. sign.* scribit notionem, sic accipi posse ut & jurisdiction & cognitione intelligatur, videlicet, sine jurisdictione, ac proinde cum auctor edicti de re judicata dixisset, *cujus de ea re jurisdictione est*, idem Ulpianus in *I. 5. de re jud. melius*, inquit, dixisset, *cujus de ea re no-*

tio est. Etenim notionis nomen, ait, etiam ad eos pertinet, qui jurisdictionem non habent, sed habent de quavis alia causa notionem; notionem nimurum nudam, id est, cognoscendi & judicandi potestatem duntaxat, sine iure sententiam, quam dixerunt, exequendi; qualis fuit judicum à magistratu daturum. *I. à Divo. 15. pr. ff. de re judic.* Itaque quamvis judices dati notionem habuerint, jurisdictionem tamen non habuerunt, quia sententiam suam non potuerunt exequi. *d. I. à Divo.*

2. Dices, sententiam exequi non esse actum simplicis jurisdictionis, sed mixti imperii, quod jurisdictioni cohereret. Faceor. Sed nego ullam esse jurisdictionem simplicem, si eam in concreto consideremus, ut à magistratu haberetur: quoniam nullus est magistratus sine imperio cuius vi jurisdictionem suam tueatur, arque explicit. *I. ult. §. 1. ff. de offic. ejus &c. I. 2. ff. hoc tit.* At si consideretur in abstracto, vix est, ut jurisdictione aut actus jurisdictionis discerni possit à nuda notione actuē nudæ notionis, quam judex pedaneus habet; utique in causis jurisdictionis contentiosis; excepto eo, quod judicem dare non nudæ notionis, sed jurisdictionis est. *I. 3. in fin. ff. hoc tit.* Ex his jam intelligere possumus notionem & generis nomen esse, sub quo & jurisdictione comprehendatur, & speciei jurisdictioni opposita.

3. Jurisdictione duobus modis accipitur. Primo modo angustius & stricte pro ea potestate, quam quisque magistratus ex natura officii sui habet, sive propter eam ab initio creatus sit; sive eam obtineat more majorum: ut ecce, Praetor initio constitutus est ad hoc, ut de causis privatis inter civili iudicio contendentes jus dicat: more hoc ei concessum, ut privatae judicare jubeat. Proprie igitur dicitur praetori competere vi jurisdictionis sua, sive, quod idem valet, iure sui magistratus, & more majorum, ut privatae judicet, aut judicare jubeat. Secundo modo paulo latius, ut ea quoque comprehendat, quæ ad jurisdictionem magistratus proprie & more majorum non pertinent, aut ad id, propter quod initio creatus est, sed specialiter magistrati postea sunt concessa: utpote qua concessione, tanquam accessione quædam novæ auctoritatis jus officiumque magistratus, & jurisdictione ejus plenior facta sit atque auctior: cujusmodi verbi causa jus est tutoris dandi potestas, quam Ulpianus *I. muto 6. §. 2. ff. de tutel.* negat esse jurisdictionis, nempe stricte & proprie acceptæ, veræ & germanæ: quia tale jus non est ex eorum genere, quæ vi jurisdictionis sua aut mo-

re majorum magistratus habet, sed quæ specialiter Magistratus quibusdam lege, vel senatusconsulto, aut à Principe data sunt, & quæ nisi nominatum tributa essent, magistrati non competenter. Recte tamen dixeris jus dandi tutores pertinere ad officium & jurisdictionem ejus, cui hoc concessum est, idque eum habere iure sui magistratus, si vocem jurisdictionis & juris magistratus paulo latius, ut diximus, accipias, nempe pro eo etiam iure, quod ex adventitia illa & speciali potestate magistrati competit, sive iure extraordinario. *arg. I. 1. ff. hoc tit. I. 8. §. sed nec. 18. ff. de transactionib. I. 3. de postul. I. 3. §. sed eti. 5. ff. judic. solv. §. sed hoc iure. 4. Inst. de Attil. tut.* De similibus idem judicium esto. Mire in hujus rei explicatione variant DD. *in I. 1. hoc tit. in d. I. 6. §. 1. de tutel. & d. §. 4. Inst. de Attil. tut. Don. 7. comm. 2. Coras. 5. misc. 24. Bellon. 1. supput. 2. Muscorn. tract. de jurisd. n. 167. Scip. Gentil. lib. 1. de jurisd. ad orat. D. Marci. c. 1.*

4. Illud hic observandum est, lege aut senatusconsulto concedi non tantum ea dici, quæ in causis singulis specialiter singulis conceduntur, puta Titio aut Mævio: sed etiam quæ in universum tribuuntur, & sub nomine officii, puta praetori, praefidi, &c. *I. 1. I. 3. ff. de tut. dat. ab his.* Hodie tutoris datio nem est jurisdictionis ordinariæ notant, *Myns. ad §. nos autem. 5. Inst. de Attil. tut. n. 11. & Vult. ad eund. tit. n. 10.*

5. In latiore autem illa significatione accepta jurisdictione sic describatur: Jurisdictione est potestas juris dicundi in causa civili publice data aut permissa. His definitionis verbis, *juris dicundi in causa civili*; significatur quidem esse ex adverso potestatem quandam juris dicundi in causis criminalibus: ceterum in usu juris nunquam ea potestas jurisdictione appellatur, sed perpetuo separatur à jurisdictione, unde & nomen eius meri imperii; neque insolens est, ut verbi alicuius latior sit usus, quam verbalis, ut supra demonstravimus. Sub causis civilibus comprehendimus etiam actus voluntariæ jurisdictionis, veluti emancipationem, adoptionem, &c. Verbo *juris dicundi* excluditur notio pedaneorum judicium, quorum ministerio magistratus in judicando utebantur, unum aliquem actum iis committentes prescripta formula, quam sequerentur, & reservata sibi potestate exequendi. *I. 5. I. à Divo. 15. ff. de re jud.* Nimurum cum judices pedanei de facti veritate duntaxat cognoscant & inquirant, juris autem definitionem ex formula prescripta mutuentur, vix est, ut ipsi jus dicere videantur.

Et

Et alias quoque multum interest inter jus dicere & judicare. Separantur hæc in l. 4. §. 1. ff. de interrog. in jur. fac. & tit. Cod. ne quis in sua ca. jud. vel jus dicat. Pater in causa filii jus dicere prohibetur, l. 10. ff. hoc tit. judicare non item, l. in privatis. 77. cum l. seq ff. de judic. quamvis si judec datus sit, recusari à parte adversa possit. Duar. 1. disp. 51. D. Tuldene. ad Cod. ne quis in sua cauf. numer. 1. Postremo sæpe jus dicitur etiam non interveniente sententia, ut in iis, quæ sunt jurisdictionis voluntariae, puta adoptionibus, manumissionibus, bonorum possessione danda, &c. Ajo publice data, ut hinc removeatur potestas arbitrorum ad quos ex compromissione itur, quæ non publica, sed privata est: quarnobrem nec actio, nec exceptio ex eorum sententia nascitur, de quo forte alias dabitur dicendi occasio. Addo autem permissa, ut comprehendam etiam jurisdictionem mandatam, quæ immediate jure publico non datur, sed permititur, concessa ab iis, qui jurisdictionem directo acceperunt à populo, aut Principe, l. 6. ff. hoc tit. eodem fere sensu, quo tutela testamentaria & Artilliana jure civili permissa dicitur, legitima data l. 1. ff. de tutel. eademque proptermodum ratione prorogata quoque jurisdictione definitione continebitur. Atque hac jurisdictionis in genere sumpta definitio, ut est simplicissima, ita mihi & optima ac plenissima videtur, utpote species omnes, nulla excepta, comprehendens. Aliorum definitiones, quas magnam partem vide est apud Enucleat. Don. lib. 17. comm. 7. lit. F. nequaquam tam accurata. Illa autem Cujacii parat. Cod. de jurisdictione est notio, quæ jure magistratus competit; qua nullam meliorem se composuisse scribit, soli convenit ordinariae.

## CAPUT VI.

*De jurisdictione ordinaria, & extraordinaria, contentiosa, & voluntaria.*

## SUMMARIUM.

1. Ordinariae jurisdictionis quæ sint.
2. Quæ jurisdictionis extraordinariae.
3. Tutoris datio quo referenda.
4. Quo judicis dandi licentia.
5. Contentiosa jurisdictione quid, & quæ eo pertineant.
6. Jurisdictione voluntaria, & quæ ad eam referenda.

Vinn. Tract. Varii.

7. Quatenus admittendum, quod vulgo ajunt, actus jurisdictionis voluntariae etiam extra territorium jus dicentis exerceri posse.

POTERIT igitur secundum ea, quæ supra diximus, primum hoc modo dividit jurisdictione, ut alia sit ordinaria, quæ jure ordinario & more à majoribus recepto magistratui competit: alia extraordinaria, quæ competit ex speciali concessione legis aut Principis, non jure ordinario.

1. Prioris generis sunt omnia, quæ jurisdictionis sunt contentiosa: quo etiam quodammodo pertinet missio in possessionem, facit arg. in l. 4. §. 1. de off. ejus, &c. Bonorum possessionem dare voluntariae jurisdictionis est, & tamen ad hoc idem genus pertinet, arg. d. l. 4. §. 1. videturque species esse jurisdictionis ampliatae jure magistratus à Prætore, ut & restituere integrum.

2. Posterioris generis sunt cognitio super alienatione prædiorum minoris, per l. 2. §. 1. d. tit. l. 1. de reb. eor. qui sub tut. cognitio super translatio de alimentis testamento relictis, l. 8. pr. & §. sed nec. 1. ff. de transact. super manumissione à minore 20. annis facienda, quam causam prætor de consilio sententia examinabat ex lege Alia Sentia. §. 4. Inst. qui & ex quib. cauf. manum. Eoque pertinet, quod Ulpianus in l. 2. pr. de offic. ejus. ait eum, cui mandata est jurisdictione, non posse exercere consilium, item cognitio, quam ex senatusconsulto prætor habet, si à familia dominus occisus esse dicatur, l. 1. in fin. pr. de offic. ejus.

3. Huc item referenda est tutoris datio, per l. 8. ff. de tut. dat. quam hoc respectu jurisconsultus negat esse jurisdictionis, l. 6. §. 2. ff. de tutel. nimis in specie acceptæ & ordinariae; quemadmodum Pomponius in l. 2. §. hæc omnia. 33. de orig. jur. cum præfectum vigilum & annonæ negat esse magistratus, vocem magistratus ad ordinarios contrahit: ab aliis enim, Fenestella, Cassiodoro, in numero magistrali recessentur.

4. Judicis dandi licentia in provinciis extraordinariis, Romæ ordinariae jurisdictionis fuisse videtur, arg. l. cum prætor. 12. §. 1. de judic. ubi Paulus scribit, judicis dandi potestatem more concessam esse magistratibus Romæ: lege autem datam proconsuli. Magistratus municipales etiæ jurisdictionem aliquam habent, nusquam tamen legimus eos judicis dandi licentiam habuisse.

L

5. Secundo distribui potest jurisdictionis in contentiosam & voluntariam : cuius distributionis fundamentum est in *l. 1. de offic. procons. & leg.* Contentiosa jurisdictionis est, quæ exercetur in invitox judicio pecuniariorum seu civili contendentes. Ad hanc pertinent actiones omnes, & quæ actionis instar habent, ut stipulationes prætoriaæ, missio in possessionem ; tum quæ ad judicium exercendum pertinent, ut judicis dandi licentia, *l. 1. l. 3. l. 4 ff. hoc tit. l. actionis. 37. ff. de oblig. & act.* Atque hæc jurisdictionis species maxime proprie appellatione jurisdictionis continentur, deque ea potissimum agitur in *ff. & C. hoc tit.*

6. Voluntaria jurisdictionis est, quæ exercetur auctore magistratu in volentes in iis, quæ geruntur extra judicium. Eorum autem, quæ ad hanc jurisdictionem pertinent quædam præter approbationem & auctoritatem magistratus nihil desiderant : cuius generis sunt adoptio, manumissio, liberorum emancipatio ; quæ proinde etiam de plano transfigi possunt, *d. l. 2. de offic. procons. §. 2. Inst. de libertin.* quædam etiam causa cognitionem & decretum magistratus, qualia sunt transactio de alimentis testamento relictis, prædiorum minoris alienatio, manumissio à minore 20. annis facienda, adrogatio impuberis, *l. 8. c. 8. ff. de transact. l. 1. ff. de reb. eor. qui sub tut. §. 4. Inst. qui & ex quib. ca. man. l. si paterfam. 15. §. 2. l. nec ei. 17. per tot. ff. de adopt.* Pertinet denique huc etiam decretalis bonorum possesso, per *l. 2. §. 1. ff. quis ord. in poss. serv.* Tutoris datio intermedium quoddam genus jurisdictionis est, quod quidem fine judicii contentionem exercetur, sed tamen in invitox quia publicum tutela munus est, *pr. inst. de excus. tut.* Ad prius autem genus recte vulgo referunt bonorum possessionem edictalem, insinuationes testamentorum & donationum, quæ summagnum quingentorum aureorum excedunt, aperturam tabularum & testamentorum. Legitimatio autem vereor ut ad jurisdictionalia referri possit : & utique hoc jus est ex reservatis Principum.

7. Interpretes hanc differentiam inter exercitum actuum utriusque jurisdictionis observandum tradunt, quod quæ sunt jurisdictionis voluntariaæ, etiam extra territorium jus dicentis exerceri possunt, *arg. l. 2. ff. de offic. procons.* contentiosa autem jurisdictionis extra provinciam explicari nequeat, *l. ultim. ff. hoc tit.* Ceterum hac distinctione ad omnes actus voluntariaæ jurisdictionis non pertinet : utique non ad eos, qui causa cognitionem desiderant : nec ad

alios fere, quam ad hosce tres, adoptionem, manumissionem, & emancipationem. Atque hi actus in specie dicuntur actiones legis, eo quod exerceri non potuerunt nisi apud eum, penes quem erat legis actio, *l. 3. ff. de offic. procons. l. 1. ff. de offic. jurisd. l. 1. Cod. de adopt.* Paulus lib. 2. sentent. 25. ubi scribit etiam apud magistratus municipales adoptari & manumitti posse, si habeant legis actionem, id est, apud duumviro, quibus data est legis actio. Apud defensores insinuari poterant testamenta & donationes, *Nov. 15. c. 3.*

## C A P U T VII.

## De mixto imperio.

## S U M M A R I U M.

1. *Mixtum imperium quid sit, unde sit dictum, & an pars jurisdictionis.*
2. *Cur hoc imperium jungi jurisdictioni necesse.*
3. *Actus jurisdictionis & imperii revera esse diversos.*
4. *Præcedere semper actum jurisdictionis, sequi actum imperii : si opus sit.*
5. *Bonorum possessionem dare sitne actus jurisdictionis, an imperii, & numer. 6. & 7.*
6. *Ad l. 3. ff. hoc tit.*
7. *Jubere cavere præatoria stipulatione & in possessionem mittere, jurisdictioni, an mixto imperio adscribenda.*
8. *Explicatio l. 4. ff. hoc tit. junct. l. 28. ad munic.*
9. *Restituere in integrum, cognoscere de specie tutoribus jurisdictionis esse, non mixti imperii.*
10. *Divisionem imperii mixti in id, quod jurisdictioni inest, & id, cui inest jurisdictionis, commentitiam esse.*
11. *Quicumque jurisdictionem habent, etiam mixtum habere imperium.*

1. **N**UNC tempus est, de eo genere imperii loquamur quod mixtum nostris appellatur : Mixtum imperium est potestas cohærens jurisdictioni, comparata ad eam tuendam atque explicandam. Dicitur mixtum, propterea quod coniunctum est cum jurisdictione, eique cohæret & inest, *l. 3. ff. hoc tit. l. 1. in fin. ff. de offic. ejus, &c.* Alias appellatur imperium non merum, *l. ult. §. 1. d. tit.* quia meri appellatio nulli mixto convenit. Hoc autem imperium, & jurisdictionis licet ratione

personæ, cui competunt, ita inter se conjuncta sint, ut alterum sine altero esse non possit: tamen ut nominibus sunt distincta, ita & re ipsa diversa sunt: id quod ex eo manifestum est, tum quod mandata jurisdictione hoc imperium simul transire dicuntur, tanquam consequens jurisdictionis, eique perpetuo cohærens, d. l. 1. §. fin. & d. l. ult. §. 1. de offic. ejus. tum quod definitur modica coercitio, qua magistratus jurisdictionem suam tueretur atque explicat, d. l. ult. §. 1. ut non tam pars sit jurisdictionis, quam adjunctum inseparabile, quanquam hoc sensu dici potest unum quadam cum jurisdictione compositum constitutum.

2. Dicitur autem modica coercitio oppositive ad gravem animadversionem, in qua consistit imperium merum. Nimis propter improbitatem hominum contumacium, & nec obedientium sententiis & decretis magistratum in causis civilibus necessere fuit portionem aliquam quasi de imperio decerpere & jungere jurisdictioni, ut magistratus hac potestate armatus jurisdictionem suam defendere, & quæ vi jurisdictionis sua statuit ac decrevit, executioni mandare posset, ceteraque facere, sine quibus jurisdictione foret elutoria.

3. Licit igitur imperium hoc conjunctum atque unitum sit cum jurisdictione, revera tamen, ut diximus, diversa sunt, atque actus jurisdictionis & imperii distincti, ut neque quod jurisdictionis est, imperio; neque quod imperii, jurisdictioni tribui debeat. Causam cognoscere, sententiam dicere, decernere, statuere, jubere, jurisdictione sunt, non imperii: sententiam, decreta, statuta, iussa exequi manu militari, captis pignoribus aut indicta multa, imperii, non jurisdictionis. Jubere in carcerem ire in causa pecunaria mixti quoque imperii est, per l. 2. ff. de in jus voc. & recte Scip. Gentil. lib. 3. de jurisd. c. 10. post Zaf. in l. 3. ff. hoc tit. n. 47. notat, quarundam coercitionum species mixto & mero imperio esse communes, qualis item est multæ dictio.

4. Et præcedit igitur actus jurisdictionis, quem sequitur actus imperii, si ei, quod vi jurisdictionis statutum aut decretum est, non pareatur. Si pareatur, subsistit mixtum imperium in nuda potentia & actu primo. Hæc sententia uti simplicissima, ita & verissima est, licet paucos auctores habeat, & præter Goveanum, Longovallium, Ant. Fabrum lib. 4. conject. 4. Bachovium ad hunc tit. fere neminem. In tantum ut ceteri juris magistri, qui decreta & iussa ma-

gistratum imperii esse statuunt, veluti jubere, cavere prætoria stipulatione, in possessionem mittere, passim imprudentes fibi contradicant, dum ajunt imperium mixtum esse coercitionem cohærentem jurisdictioni, ut nervos habeat, & illud positum esse in executione atque expeditione, vid. Coras. 3. miscell. 17. Duar. de jurisd. c. 7. Dov. 17. comm. 6. Vaud. 2. quæst. 35. Fachin. 9. controv. 95. Inter alios Scipio Gentilis lib. 1. de jurisd. cap. 3. sic scribit. *Si consideramus materiam circa quam jurisdictione & imperium mixtum non differunt: utrumque enim pertinet ad causas civiles & pecuniarias. Quod si non res, sed vim ipsam atque naturam jurisdictionis & imperii mixti spectamus, jurisdictionem esse dicemus, jus cognoscendi & statuendi de causis civilibus; mixtum vero imperium potestatem, que jurisdictioni cohæret, ejus tuenda atque exequenda gratia.*

5. Hinc jam judicare licet, utrum dare bonorum possessionem, jubere cavere prætoria stipulatione, in possessionem mittere, jurisdictioni adscribenda sint, an imperio mixto. Non possunt adscribi imperio. Nam, ut de datione bonorum possessionis primum dicam, quis actus jurisdictionis hic præcedit, quem bonorum possessionem dando prætor defendat? quem coercet? cui multam dici? Si cognitionem aliquam dicas præcedere, nulla est tentatio, quam non præcedat cognitione; nemo autem unquam dixit, mixti imperii esse pronuntiare tentationem, eum, à quo quid petitur, absolvere aut condemnare. Et alioqui etiam pedaneis judicibus, quos constat jurisdictionem non habere, tribuemus partem imperii, jurisdictioni perpetuo annexam, & remotam à nuda notione, quam solam judges pedanei habent. Relinquitur ergo, ut dicamus bonorum possessionem dare non imperii, sed jurisdictionis esse.

6. Hoc ipsum & ex eo quoque perspicuum est, quod jus omne, quod in danda bonorum possessione versatur, introductum est juris veteris tum emendandi tum confirmandi gratia, teste Justiniano in pr. Inst. de bon. possess. Correctio autem juris civilis, temperatio, confirmatio non ab imperio aliquo proprio dicto, sed à jurisdictione prætoris veniunt, unde edicta omnia.

7. Sic igitur omnino habendum est, cum prætor alicui bonorum dat possessionem, aut si opus est, causa cognita pro tribunali decernit, quod requiritur in ea, quæ decretalis dicitur, l. 2. §. 1. ff. quis ord.

*in bon. poss.* hunc actum non esse alicujus imperii, sed intra terminos jurisdictionis consistere. Quod si ex solo decreto bonorum possessio obtineri nequeat, jam prætor utetur imperio vique adhibita quod decrevit, exequatur, & coercebit obnientes. Facit *l. 3. pr. ne vis fiat ei, qui in poss.*

8. Sed obstat nobis locus Ulpiani in *l. 3. ff. hoc tit.* ubi diserte Jurisconsultus ait, bonorum possessionem dare, esse mixti imperii: sic enim scribit: *Mixtum imperium est, cui etiam jurisdictione inest, quod in danda bonorum possessione consistit. Jurisdictione est etiam judicis dandi licentia.* Respondeo me non dubitare, quin lectio istius loci vitiola sit, & vel cum Antonio Goveano legendum & distinguendum hoc modo; *Mixtum imperium est, cui etiam jurisdictione inest, Quod in danda bonorum possessione consistit, jurisdictione est. Jurisdictione est etiam judicis dandi licentia,* nihil enim tam frequens est, quam iterati verbi omissionis: aut cum Antonio Fabro *lib. 4. conjet. 4.* pro *quod substituendum quæ, ad hunc modum, cui jurisdictione inest, quæ in danda bonorum possessione consistit.* Utique verba sequentia, *Jurisdictione est etiam, &c.* ostendunt prius à Jurisconsulto prolatum fuisse exemplum jurisdictionis, non imperii: potuitque facile nasci error ex utriusque syllabæ & notæ similitudine. Hanc mihi responsionem extorsit manifesta ratio juris. Hotomannus *lib. 7. observ. 16. & in d. l. 3. hoc tit.* etiam pro his verbis, *cui jurisdictione inest, legi mavult, quod jurisdictione inest, nec sane absque ratione.* Nam proprie jurisdictione non inest imperio, sed hoc illi: & ideo non dicimus mixtam jurisdictionem, sed mixtum imperium: nec jurisdictionem cohædere, accedere, formaliter imperio mixto, sed hoc jurisdictioni, *l. 1. in fin. l. ult. §. 1. de offic. ejus cui mand.* Ceterum non semper accurate satis loquuntur jurisconsulti: nec aliud sensisse existimo Ulpianum, cum mixto imperio inesse dixit jurisdictionem, quam imperium hoc jurisdictioni cohærete, hoc est, penes eum esse, cui competit jurisdictione.

9. His, quæ diximus, consequens est, neque imperii mixti esse, jubere cavere præatoria stipulatione, & in possessionem mittere. Nam cum cavere juberet prætor, verbi causa, damni infecti nomine, & si non caueatur, decernit missione in possessionem rei, de qua damnum timetur, vi jurisdictionis sive id facit, non imperii, non magis quam si judex in actione arbitraria

aut bonæ fidei jubeat rem petitam restituiri, & si iussu ejus non pareatur, contumacem condemnaret, quanti adversarius in litem juraverit. Denique stipulationes prætorias omnes & ædilicias à jurisdictione venire aperte scriptum est apud Pomponium in *l. 5. pr. ff. de verb. oblig.* At si ex decreto missus non admittatur, si vis ei fiat, hoc jam succedit, quod diximus, imperium, quo decretum suum prætor manu ministrorum exequatur, *l. 3. ff. ne vis fiat ei qui in poss.*

10. Negotium plerisque facessit, quod apud Ulpianum *l. 4. ff. hoc tit.* & Paulum *l. ea quæ. 26. pr. junct. §. 1. ff. ad municipal.* legimus, jubere cavere præatoria stipulatione, in possessionem mittere, restituere in integrum, imperii magis esse, quam jurisdictionis. Me vero parum ita movent, quippe qui certus sum verbo imperii in *dd. legib.* nihil minus significari, quam mixtum imperium, quo de hic quærimus: nam aliqui dicere debeant jurisconsulti jubere cavere, & in possessionem mittere, jurisdictionis non esse, sed imperii mixti. Jam vero cum dicant ista magis esse imperii, quam jurisdictionis, illud significare voluerunt, esse quidem hæc jurisdictionis, sed eminentioris cuiusdam, magisque imperiosæ, quam, ut cum Goveano loquar, juridicæ, in qua scilicet potestas majorum magistratum, hoc est, eorum qui tribunali præsunt, relucet: minores autem magistratus, quales erant magistratus omnes municipales, ea quæ excellentioris hujus jurisdictionis sunt, facere non posse, *d. l. ea quæ. 26. pr. ad mun.* Atque hoc respectu alibi magistratus omnes inferiores dicuntur esse sine imperio & potestate, *l. nec magistribus. 32. ff. de in-* jur.

11. Hujus ejusdem generis est & restitutio in integrum, *d. l. 26. §. 1. ad mun.* quippe nec ulla hic coercitio, nec dici potest ea cohædere jurisdictioni &c. Cognoscere quoque & pronuntiare de quæstione suspecti tutoris ad hoc idem genus pertinere patet ex *l. 1. §. suspecti. 11. ff. ad senat.* Turpil, ubi legimus suspecti tutoris accusationem pro tribunali tantum examinari posse, & nullum alium de hujusmodi quæstione, quam præsidem posse pronuntiare, non quia id mixti si imperii, nam & magistratus inferiores mixtum imperium habent: sed quia est excelsæ cuiusdam & nobilissimæ jurisdictionis, quæ solis competit magistratibus majoribus, & imperii nomine passim à nostris designatur, *l. 8. & l. ult. de offic. procons. l. 3. de offic. ejus &c. l. 2. ff. de adopt. l. cum præ-*

*tor. 12. §. 1. ff. de judic. l. 7. §. si pacifcar. 14. ff. de paet. l. quod jussit. 14. ff. de re judic. quibus omnibus locis nomen imperii tribuitur huic excellentiori jurisdictioni, eoque nomine significatur, imperium quidem majorum magistratum, sed quod tamen positum sit in jure dicundo. Neque immerito cum quid magistratus vi jurisdictionis suæ facit, imperare dicitur, cum & ipsa vox imperii pro magistratu interdum usurpetur. Cic. lib. 3. de legib. *Juxta imperia sunt*. id est, magistratus legitimate creator.*

12. Plerique cum hæc non inteligerent, ut aliqua saltem ratione se expedirent, duo genera imperii mixti commenti sunt; unum, quod jurisdictioni cohæreat atque subserviat, comparatum ad jurisdictionem contentiosam tuendam atque explicandam: alterum, cui insit jurisdiction, seu cui tanquam principali jurisdictione accedat atque ancilletur; cuius generis sunt ea, quæ magis imperii esse dicuntur, quam jurisdictionis: & hoc ideo, quia sicut in priore specie jurisdictione, ita in hac magis emineat imperium, ita Baro in *l. ult. de offic. ejus. Muscorn de jurisd. n. 143. Bocer. cap. 4.*

18. Obrecht. c. 12. n. 25. Hillig. ad Don. lib. 17. comm. 8. In quo toto cœlo eos errasse ex iis, quæ modo diximus, manifestum est. Nullum enim eit mixtum imperium, ac ne fingi quidem cum aliquo colore potest, quod per se subsilitat cui accedit & famuletur jurisdictione: sed omne accedit & servit jurisdictioni, cum omne positum sit in modica aliqua coercione, comparata jurisdictionis defendendæ atque expediendæ gratia.

13. Hoc autem constituto imperium mixtum consistere in modica coercione, quæ sine nulla sit jurisdictione; id in imperium cohætere jurisdictioni eique subservire, consequens omnino est omnes, qui jurisdictionem habent, etiam hoc habere imperium; ac proinde etiam magistratus minores in municipiis, cum & ipsi habeant jurisdictionem: Quemadmodum enim magistratus intelligi non potest sine jurisdictione, ita nec potest sine imperio aliquo, quo jurisdictionem suam tucatur, ratumque efficiat, quod statuit aut decrevit. Enim vero non est necesse, ut quicumque magistratus est, omnes partes hujus imperii habeat, sicut nec ex diverso, ut habeat plenam jurisdictionem: at partem saltem aliquam habere oportet, quæ muneri cujusque tuendo sufficiat. Sic magistratus municipales eti forte jus multæ dicende non habeant, argum. *l. 1. pr. si quis jus dic. non obtemp.*

*l. aliud est fraus. 131. §. 1. de verb. sign. pignoribus tamen captis jurisdictionem suam tueri possunt, l. quemadmodum. 29. §. pen. ff. ad leg. Aquil. l. 5. §. 1. de reb. eor. qui sub tut. l. 4. §. 2. de damn. infect. non male in hanc sententiam differit Donel. lib. 17. comm. c. 7.*

## CAPUT VIII.

*De jurisdictione propria & mandata.*

## SUMMARIUM.

1. *Quinam propriam jurisdictionem habeant.*
2. *An legatus proconsulis.*
3. *Mandata jurisdictione quid.*
4. *Quid sit, mandare jurisdictionem.*
5. *Eum, cui mandata est jurisdictione, magistratum non esse.*
6. *Quæ jurisdictione quibus mandari possit.*
7. *Mandari posse, quæ sunt jurisdictionis ordinariae: non posse, quæ extraordinariae, & quare item n. 8. & 9.*
10. *Manumissio, adoptio, emancipatio an apud delegatum exerceri possint.*
11. *An apud legatum proconsulis, ad l. 17. ff. de man. vind. & l. 2. §. 1. junct. l. 3. de off. procons.*
12. *Tutoris datio an mandante magistratu transferat.*
13. *Eiam causas cognitionis praetoriae mandari posse.*
14. *Mandata tamen simpliciter jurisdictione non transferri.*
15. *An mandari possit mixtum imperium.*

**N**ONDUM omnia jurisdictionis genera executi sumus: itaque illuc redeo, & me confero ad reliqua explicanda. Notabilis est distributio jurisdictionis in propriam, mandatam, & prorogatam. Nimurum jurisdictione quedam competit jure proprio, quædam non jure proprio, sed beneficio alterius.

1. Propriam habent magistratus, utpote quibus ea potestas principaliter data, *l. 6. ff. hoc tit. ad hoc enim magistratus à populo aut principe creati & constituti sunt, ut jus dicant reddantque, l. 2. §. post originem. 13. de orig. jur. qui ob id etiam jurisdictioni praesae dicuntur, l. 12. de legib. l. 10. ff. hoc tit. l. 1. ff. de judic.* Nec tantum magistratus ordinarii propriam jurisdictionem habent; verum etiam qui extra ordinem constituantur juris publice dicundi causa, ut praefectus vigilum & annonæ, *l. 3. §. 1. de offic. præf. vigil.* eoque referri pos-

sunt & delegati à Principe. Item magistratus municipales, quorum jurisdictione continetur intra territorium cuiusque municipii, l. 3. ff. de tut. dat. l. duumvirum. 53. C. de decur. lib. 10.

2. Cum autem non alii, quam magistratus hanc jurisdictionem habeant, sequitur nec legatum proconsulis propriam habere jurisdictionem: scilicet quia nec legatus magistratus est; erratque Onufrius lib. 3. de imp. Rom. legatum referens inter magistratus ex ipsa creatione immediate à populo aut Principe jurisdictionem accipiunt: legatus autem, et si proconsuli adjutor in partem curarum à senatu dabatur, ut ex Appian. supra retulimus, jurisdictionem tamen à proconsule accipiebat l. 4. ult. l. 12. & l. seq. de offic. procons. l. 1. §. an autem 4. ff. de suspect. tut. Aperte autem inter se pugnant, eandem jurisdictionem & mandatam esse & propriam; eundem pro suo imperio agere, & alienis partibus fungi, l. 1. §. 1. de offic. ejus. Quod si legatus suo jure haberet jurisdictionem, utique & alii eam mandare posset per l. 5. hoc tit. quod tamen nusquam traditum est, nec morte proconsulis finiretur, contra l. 6. eod. Govean. in d. l. 6. n. 9. Potest quidem dici etiam legatum quædam propria habere, l. 13. de offic. procons. sed ea videlicet, quæ mandata non sunt, nec mandari possunt, veluti jus dandi tutoris, l. pen. eod. tit. quod ei specialiter datum est oratione D. Marci, l. 1. §. 1. ff. de tut. dat. Nec tamen eo modo hæc dicuntur propria, quo illa, quæ jure magistratus competit; sed quia hæc à proconsule non accipit legatus, nec in iis proconsulem recognoscit. Atque ad hæc forte referendum, quod Venulejus l. 2. ff. quis. & a quo appell. scribit, à legatis procontulam appellari, de quo plura inferius. Apud nos item magistratus omnes & soli propria sunt jurisdictione prædicti: Vafalli autem de jurisdictione cum feudo investiti etiam jurisdictionem habent patrimoniale, quam & in hæredes una cum feudo transmittunt. Itaque hi non sunt simplices magistratus. Ejus autem jurisdictionis, quæ proprio jure non competit, due species recte constituantur, mandata & prorogata. De utraque hac specie dicimus separatim, ac primum de mandata.

3. Mandata jurisdictione est, quam quis habet delegatam ab iis, qui eam proprio jure obtinent; ac proinde beneficio alieno, per l. 5. ff. hoc tit. Quatuor hic fere quæstiones examinandæ occurunt. 1. possitne quam quis jurisdictionem habet, quam alte-

ri mandare. 2. si potest, quando pro potestate sit mandata. 3. quatenus mandata transeat. 4. translata quomodo & quando finiatur.

4. Primo satis constat jurisdictionem, quam quis habet, alii mandare posse, sed inquam mandare, id est, alii exequendam dare, qui eam nomine mandantis exerceat, l. 3. de offic. ejus &c. l. solet. 16. ff. hoc tit. qui vice & partibus ejus qui mandavit, utatur, l. 1. §. 1. de offic. ejus. ac proinde etsi is, cui mandata est, eam exerceat, nihilominus tamen, qui mandavit, jus dicere intelligitur, per l. 5. §. 3. ff. de adm. tut. & mandatarius jurisdictionis simplex & purus vicarius est, non magistratus. Transferre autem jurisdictionem suam in alium, atque ab se abdicare nemo potest, l. pen. ff. de offic. præstd. quoniam nimurum hac translatione constitueret magistratum, quod solius est supremæ potestatis. Vult. ad l. 3. C. hoc tit. Scip. Gentil. lib. 2. de jurisd. c. 26. estque perspicuus error Busii in l. 1. §. 1. n. 2. & 4. de offic. ejus asseverantis etiam eum, cui mandata est jurisdictione, magistratum esse: non enim quævis juris di- cundi potestas magistratum facit, sed ea tantum, in qua principem obtineas locum, quam tuo jure, non alieno mandatu exerceas, ut recte Donell. 17. comm. 7. Potest sane is, qui summa rei præest, majores creans magistratus, his impertiri facultatem minores constituendi, sicut apud nos quædam civitates jus magistratus eligendi à Principe habent: sed tale jus magistratus Romanis concessum fuisse nulquam proditum est.

5. Cæterum non omnes, qui jurisdictionem habent, eam mandare possunt: sed nec cuivis mandari jurisdictione, neque omnia possunt, quæ sunt ejus, qui jurisdictionem habet, ut iam amplius hic querendum sit, quis, cui, quatenus, quid eorum mandare possit.

6. Et more majorum ita comparatum fuit, ut is demum jurisdictionem mandare posset, qui eam suo jure, non alieno beneficio haberet, l. more majorum. §. ff. hoc tit. qui haberet propriam, non etiam qui sibi mandatam, l. ult. de offic. ejus. Qui enim utitur aliena, is eam alteri utendam dare non magis potest, quam rem sibi commodatam alteri commendare fac. l. nemo plur. 54. de reg. jur. Hinc vulgatum illud, delegatum subdelegare non posse: cuius quidem regulæ exceptions aliquot recensentur à Costalio in d. l. ultim de offic. ejus. sed quæ nata sunt ex errore confundentium delegationem jurisdictionis cum datione judi-

cum. Una exceptio ex parte vera , quod delegatus Principis subdelegare potest : de quo pluscula cap. sequenti. Mandati porro jurisdictionio iis omnibus potest , qui & judices dari possunt. Qui autem idonei judices non habentur , iis nec jurisdictione recte mandabitur : quo in numero sunt surdus , mutus , perpetuo furore laborans , impubes , senatu motus , foemina , servus , quibus foro interdictum est , & si qui sunt similes , *I. cum prator. 12. §. 2. ff. de judic.* & ibi gloss. & DD.

7. Sed nec omnia , quæ sunt jurisdictionis in genere acceptæ , mandari possunt : nam ut supra dictum est , quædam jurisdictione est extraordinaria , & adventitia , quæ competit ex speciali concessione legis aut Principis : quædam ordinaria & genuina , quæ magistratui competit jure sui magistratus. Quæ jurisdictionis sunt ordinaria , ea omnia mandari possunt & mandata jurisdictione transeunt. At contra nihil eorum mandari potest , quæ specialiter lege , senatus-consulto , vel constitutione Principis conceduntur , nec quicquam eorum mandata jurisdictione transfertur , *I. 1. de offic. ejus &c.* Nimirum quæ jure magistratus competent , natura sua insunt jurisdictioni , & ideo mandata jurisdictione transeunt : quæ autem specialiter magistratui concessa sunt , non transeunt , quia ea non ex natura officii sui habet , sed ex nova & adventitia auctoritate , quæ ad officium & jurisdictionem magistratus , cui tributa sunt , necessario non pertinet.

8. Mandari igitur possunt , quæcunque sunt jurisdictionis contentioæ , & mandata jurisdictione transferuntur : inter quæ & jubere cavere præatoria stipulatione , & in possessionem mittere , de suspectis tutoribus cognoscere , *I. 4. pr. & §. 1. de offic. ejus. I. 1. §. an autem. 4. ff. de suspect. tnt.* Jure quoque ordinario magistratus competit bonorum possessionem postulantibus dare , quamvis id voluntaria sit jurisdictionis : proinde & hæc potestas mandari potest , *d. I. 4. §. 1. de offic. ejus.*

9. Ex contrario jus cognoscendi super transactione de alimentis ultima voluntate relictis , super alienatione prædiorum minoris , super adrogatione impuberis , manumissione à minore viginti annis facienda , non recte mandatur , quia jurisdictionis extraordinaria est , sive specialiter & extra ordinem concessa , *I. 2. pr. & §. 1. de offic. ejus. I. 8. pr. & §. sed nec. 18. de transact. I. si paterfam. & II. seqq. ff. de adopt.*

10. Eandem fere rationem habet , quod hi actus voluntaria jurisdictionis , adoptio ,

manumissio , emancipatio , quæ propriæ legis actiones dicuntur , mandari non potuerint , *I. 1. C. de adopt. I. 2. §. 1. & I. 3. de offic. procons.* ex quibus locis discimus , hujusmodi actus expediri non posse , nisi apud eum , apud quem plena sit legis actio : eum autem , cui mandata est jurisdictione , talerum jurisdictionem non habere , adeoque omnino non esse apud eum legis actionem. Sunt qui existimant hasce legis actiones magistratis Romanis proprio jure competentes , singulari tamen cum restrictione , ut ne mandarentur : atque inde factum , ut iis , quæ speciatim concedebantur , annumerarentur ; ut vero alii magistratis competerent , legæ & speciali concessione opus fuisset , per *I. 1. de offic. jud. I. apud Praefitum. 21. de manum. vind. I. 1. C. de vind. libert.* At hæc eodem recidunt.

11. Objicitur hic nobis *I. apud proconsul. 17. de manum. vind.* ubi ita scriptum est : *Apud proconsulem , postquam urbem egressus est , vindicta manumittere possumus. Sed & apud legatum ejus manumittere possumus.* cui loco è diametro obstat *I. 2. §. 1. de offic. procons.* verba hujus loci sunt hæc ; *Apud legatum proconsulis nemo manumittere potest , quia non habet jurisdictionem talem , nimis voluntariam , qualem habet proconsul ; & mox I. 3. eod. subjicitur , Nec adoptari potest : omnino enim non est apud eum legis actio.* Duarenus ad tit. *de offic. procons.* Hotomanus 2. *amic. resp. 1.* & alii hæc loca conciliant adhibita hac distinctione , ut inter sit , utrum legatus provinciam jam ingressus sit : an necdum . Quamdiu nondum ingressus est provinciam , actum manumissionis apud eum celebrari non posse , eoque pertinere d. *I. 2. & 3. de offic. procons.* posse autem , ubi provinciam ingresso à proconsule mandata est jurisdictione ; quo referunt d. *I. apud proconsulem. 57. de manum. vind.* Huic conciliationi per me licet , qui volet , acquiescat , potius quam antinomiam in re , quæ apud antiquos minime dubia esse potuit , admittat. Sed tamen , ut verum fatetur , numquam mihi hæc conciliatio probabilis visa est. Primum quia quod Paulus initio *d. I. apud consulem. 17. de man. vind.* ait , posse apud proconsulem manumitti , postquam urbem egressus est , idem eum intellexisse omnino verisimile est & in eo , quod mox subjicit , de legato , ut scilicet & apud eum manumissio procedat , simulatque urbem egressus sit. Deinde quia ratio , ob quam Marcianus in *d. I. 2. §. 1. de offic. procons.* negat apud legatum manumissionem fieri posse , nempe quia talem jurisdictionem non habet , admissa superiori distincione inepta

plane est : Nam legatus antequam provinciam ingressus jurisdictionem à proconsule accepit , nullam omnino habet , ac ne mandari quidem ei ante jurisdictione à proconsule potest , l. 4. §. post hæc. 6. de offic. procons. Postremo ratio ab Ulpiano allata in l. 3. eod. tit. quod omnino non sit apud legatum legis actio , manifesto excludit etiam id tempus , quo legato jam provinciam ingresso à proconsule mandata est jurisdictione . Quod si jurisdictione in hac causa mandari potuit legato , velim aliqua mihi deterratio , cur mandari nequeritur , simulatque proconsul ipse eam potuit exercere , id eit , statim quam urbem effecit egressus . Suspicio igitur lectionem d. l. 17. mendosam esse , & pro apud legatum ejus , reponendum , apud legatum Cæs. id est , Cæsaris , error remque natum ex notis ejus & Cæs. quod & ante me nonnulli alii suspicati sunt , teste Gothofredo . Est autem legatus Cæsaris idem , qui passim praeses provinciæ appellatur , l. pen. ff. de offic. pref. & probable admodum est , jurisconsultum ostendere voluisse idem proconsulis & praesidis hac in causa jus fuisse , atque apud utrumque simul ac urbem egressi essent , manumissionem expediri potuisse .

12. Tutoris quoque datio ex speciali concessione est , non jurisdictionis ordinariæ . l. 8. §. 2. ff. de tutel. idque ex eo intelligimus , quod olim prætor urbanus cum maiore parte tribunorum plebis id jus habuit ex lege Atilia , praesides provinciarum ex lege Julia & Titia , pr. Infl. de Attil. tut. postea consules , & mox prætores ex constitutionibus , §. 3. Infl. eod. tit. Quapropter nec hanc potestatem mandante magistratu transire traditum est l. 8. de tut. dat. nec obstat , quod apud Justinianum legimus , jussi praesidum magistratus municipales tutorem dare posse , §. 4. Infl. d. Attil. tut. Nam hoc non ita accipendum est , quasi vi jussus aut mandari magistratus potuerint dare tutores ( nam his quoque id jus specialiter datum est l. 3. de tut. dat. ) sed quod non ante hoc jus usurpare poterant , quam rem ad praesidem , cuius priores partes erant , detulissent , isque eam , quod forte aliis negotiis avocaretur , ad eos remisisset , l. 1. §. si præses. & i. si curatores. ff. de magist. conven. Nec admodum dissimile est exemplum legati proconsulis , qui mandata demum à proconsule jurisdictione tutorem dare potest , l. 13. junct. l. pen. de offic. procons. ceterum non propter mandata jurisdictionem ; sed quia id ei specialiter datum est oratione D. Marci , l. 1. §. 1. ff. de tut. dat. Merum imperium mandari non potuisse , quod &

ipsum ex speciali concessione magistratus quibusdam competit , supra relatum est , sed hoc à jurisdictione remotum .

13. Illud hic quæsumus est , an etiam causæ cognitionis prætoriæ mandari possint , hoc est , causæ , de quibus ipsi magistratus ex officio cognoscebant , non judicem dabant , qua etiam extraordinariæ cognitiones dicebantur , propterea quod præter morem judiciorum ordinarium atque usitatum , sine solemnibus & strepitu judicii , sine formula expediebantur & disceptabantur à magistratu ipso : cujusmodi causæ erant , cognitione de salariis advocateorum , medico rum , possessorum liberalium artium . l. 1. de extraord. cognit. perfœctio fideicommissi , l. pecunia. 17. §. 2. ff. de verb. sign. Ulpian. in fragm. tit. 25. §. 10. petitio liberorum , qui in potestate sunt , l. 1. §. 1. ff. de rei vind. restitutio in integrum ex edicto de minoribus , l. in causæ 13. §. 1. l. quod si. 24. §. ult. ff. de minor. Et quidam existimaverunt hujusmodi causas mandari non posse , inter quos & D. Cujacius lib. 7. obs. 24. & in d. l. pecunia. 278. §. 2. de verb. sign. ubi ait eas magistratui specialiter concessas . Sed perperam , ut mea quidem fert opinio . Nam quod in hisce causis judex dari non potuit , l. 2. C. de pedan. judic. ex eo non continuo sequitur , nec mandari potuisse ; quod enim judex in his causis dari non potuerit , id propriam rationem habet , quia certo jure non mitebantur , neque certæ & ordinariæ harum causarum erant actiones aut formulae , ut patet ex d. l. quod si. 24. §. ult. de minor. Ex hoc edicto , inquit ibi Paulus , nulla proprie actio vel cautio proficiscitur ; totum enim hoc pendet ex prætoris cognitione . Ratio autem nulla est , cur minus jurisdictione in his causis , quam in aliis mandari possit , quod & Scipio Gentilis lib. 1. de jurisd. c. 20. bene observavit . Nimurum cognitione prætoria vel praesimalis est etiam in eo , cui mandata est jurisdictione , licet non sit in judge dato . Quæ decretum requirunt & pro tribunali explicanda sunt , prætorem desiderari dicuntur , l. ubicumque. 105. de reg. iur. nec tamen hinc excluditur is , cui jurisdictione mandata est , qui vice ejus , qui mandavit , fungitur , sed tantum judges pedanei & magistratus municipales qui pro tribunali non cognoscebant : atque hinc explicandum quod dicitur in l. 1. §. suspecti . 11. ff. ad sen. Turp. suspecti tutoris accusationem tantum pro tribunali examinari posse , neque de hac questione alium , quam praesidem posse pronunciare : nam hujus quoque rei cognitionem mandata jurisdictione transire conitat , l. 1. §. 4. ff. de suspect. tut.

14. Plane si quis querat, an jurisdictione simpliciter mandata, etiam cognitio super hujusmodi causis translata intelligatur, responderem non intelligi translatam: neque enim omnia, quæ specialiter mandari possunt, in genere mandata jurisdictione transfeunt, per l. 4 de offic. ejus junct. l. 1. §. 4. ff. de susp. tut. ubi rescripto decisum, non an cognitio de suspectis tutoribus in specie mandari potuerit, sed an jurisdictione simpliciter mandata, ista quoque mandata intellegetur. Sic in mandato procuratorio generali non omnia continentur, sed quedam requirunt mandatum speciale: quos casus collegit Mozz. c. de divis. mand. n. 11. & seqq.

15. Memini quoque quæsitum esse, an mixtum Imperium mandari possit. Sed hæc quæstio mihi inepta atque absurdâ videatur, nisi ita accipiatur, an mandata jurisdictione simul imperium, quod non est medium, transeat. Inauditum quippe est imperium mixtum, quod jurisdictionis tenudæ causa comparatum est, veluti multam exigere, pignora capere, quod est apparitorum, seorsum mandari sine jurisdictione. Quod si ita quæstio proponatur, an mandata jurisdictione etiam imperium mixtum in eum, cui jurisdictione mandata est, transeat, nullam causam video, cur id affirmare dubitemus, cum sine ullo imperio jurisdictione explicari nequeat, & sunt in eam rem textus expressi in l. 1. §. 1. l. ult. §. ult. de offic. ejus. Plane imperium mixtum, quod jurisdictioni extraordinariae & adventitiae subseruit, mandata jurisdictione non magis transit quam ipsa illa jurisdictione.

## C A P U T I X.

*Quando jurisdictione mandata, quatenus & quo effectu translata intelligatur.*

## S U M M A R I U M.

1. Quando jurisdictione mandata intelligatur.
2. Quid inter sit, magistratus an Princeps jurisdictionem mandet, item n. 3. & 4.
3. Ex quo estimandum, quatenus jurisdictione translata.
4. Jurisdictionem mandatam sic transferri, ut semper maneat aliena, ejusque rei effecta.
5. Neque hinc excipiendum esse legatum pro cons. ubi explicatur l. 4. §. ultim. de off. procons.
6. Sententia l. 13. eod. tit.

Vinn. Tract. Varii.

7. Explicatio l. 2. quis à quo app.
8. In eum, cui delegata est jurisdictione, etiam mixtum transire imperium, ubi insignis veterum interpp. error reprehenditur.
9. Sententia l. 13. ff. hoc tit.
10. Apud Belgas morem delegandi judices fere exoleviss.

1. **M**ANDATA jurisdictione intelligitur, ubi magistratus dicit se mandare aut delegare alicui jurisdictionem suam, se jurisdictionem suam alicui exercendam dare, sive velle se, ut quis in jurisdictione vice sua & partibus fungatur, sive jurisdictionem suam alicui dare, l. 3. l. 4 de offic. ejus. l. solet. 16. ff. hoc tit. Necesse autem est, ut delegatus exhibeat literas mandati; alioqui ei non creditur, c. cum in jure x. de offic. deleg.

2. At enim multum interest, Princeps ne, an magistratus his verbis utatur: nam si magistratus quibuscumque ex superioribus verbis usus fuerit, nihil amplius, quam mandasse jurisdictionem intelligitur. Quod si magistratus judicem dare se aliquem dixerit, is nudus judex erit: cuius rei effecta hec, ut nec jurisdictionem habeat, neque alium judicem dare possit, nec sententiam, quam tulerit, valeat exequi, l. à judge. C. de judic. l. 5. l. à Divo. 15. ff. de re jud. quod contra esset, si his verbis jurisdictione mandata intellegeretur, l. 2. l. 3. in fin. hoc tit. l. ult. §. 1. de offic. ejus.

3. Utrumque hoc contra in Principe. Cum princeps jurisdictionem alicui dedit, is eam propriam habebit, non tanquam mandatam: utpote quæ tanquam à lege profecta sit: siquidem potestas dandi & efficiendi propriam, quam magistratus non habent, in Principe cum voluntate concurredit, per l. 6. ff. hoc tit. junct. l. 1. ff. de constit. princ. Effectus hic, ut ne finiatur hæc jurisdictione morte Principis, quod contra futurum erat, si mandata tantum intellegeretur, d. l. 6. hoc r. Rursus quem Princeps judicem tantum dedit, ei & jurisdictionem mandasse intelligitur, id quod potestas huic judici tributa manifesto probat. Nam qui à Principe judex datus est, is etiam alium judicem dare potest; atque ab hujus sententia appellatur is, qui eum dedit, non Princeps, l. 1. C. de judic. l. un. in fin. C. qui pro sua jurisd. junct. l. 1. l. ult. ff. quis à quo appell. Atque hanc mentem esse Principis causam aliquam degentis existimari par est, tum propter occupationes ejus, tum quia etiam ipsa executio majestate ejus, est inferior.

M

4. Ceterum cum mandata duntaxat jurisdictione in persona judicis à Principe dati accipiatur, idcirco morte Principis ea finietur, d. l. 6. ff. hoc tit. Hinc jam facile intelligi potest, quatenus recipiendum, quod vulgo tradunt, delegatum Principis subdelegare posse, nempe posse eum alium judicem dare; idque semper, non tantum si propriam habeat ex datione Principis jurisdictionem, sed & si mandatam duntaxat, qualem etiam in eo agnoscimus, qui vel judex à Principe datus sit: jurisdictionem autem alii delegare non posse, nisi ex voluntate Principis ejus propria facta sit: quod ut jam diximus, contingit etiam jurisdictione à Principe mandata.

5. Quatenus mandata jurisdictione transeat ex ipso mandato estimandum est, quemadmodum & in ceteris rebus omnibus fines mandati custodiendos esse constat, l. solet. 16. & ll. seqq. ff. hoc tit. l. 5. ff. mandat. ac proinde ad cautelam advocati pertinere tradunt, ut petat palam commissionem legi, atque animadvertat, quid & quantum mandatum sit. Potest & ipse committens super dubio consuli. Gail. 1. qbs. 35. num. 3. & seqq. Et igitur si tota jurisdictione mandata est, universa transit, ut tamen semper excepta esse intelligentur, quæ mandanti specialiter concessa sunt: nam absurdum esset generali oratione plus tribui & concedi posse, quam speciali, l. solet. 16. ff. hoc tit. junct. l. 1. §. 1. l. 2. de offic. ejus. Si pars tantum mandata, puta in certas personas aut causas, nihil amplius, quam quod mandatum est, transit, l. prætor. 17. ff. hoc tit. Quin imo eti simPLICITER & INDEFINITE jurisdictione mandata sit, ea tamen, quæ sunt cognitionis prætoriae, transire non puto, sed ut transeat, opus esse mandato speciali, secundum ea, quæ dicta sunt capite præcedenti.

6. 7. Quicquid autem hic transfertur, me minerimus hactenus transire, ut semper sit aliena jurisdictione, neque pro suo imperio quicquam agat is, qui mandatam jurisdictionem sulcepit, etiamsi & ipse prætor sit: sed mandatoris vice in ea exercenda fungatur, proprium nihil in ea habens, d. l. 1. §. 1. l. 3. de offic. ejus. d. l. solet. 16. ff. hoc tit. Unde est, quod ab eo, cui mandata est jurisdictione, non provocatur is, qui mandavit, sed ille, à quo ipse provocaretur, l. 1. §. 1. ff. quis à quo appell. ne videlicet idem videatur appellari ab eodem. Nec excipimus hic legatum proconsulis: nam & legati jurisdictione vicaria & aliena est, possumusque in arbitrio proconsulis utrum jurisdictionem mandet, vel non mandet, quam-

vis mandatam temere aut inconsulto principe revocare nequeat, l. 6. §. 1. l. legati. 13. de offic. procons. Neque ei, quod dicimus, adversatur responsum Ulpiani l. 4. §. ult. d. tit. hoc enim jurisconsulti pronuntiatio, proconsul ingressus provinciam mandare jurisdictionem legato suo debet, non simpliciter injungitur proconsuli jurisdictionis mandanda necessitas; sed verbum debet in hoc responso ad tempus, quo mandanda jurisdictione est, referatur, praesupposita mandandi voluntate: ut hic sit sensus, si vult mandare, debet hoc facere provinciam ingressus. Etenim non queritur ibi, an mandare proconsul jurisdictionem possit vel debeat, sed quando debeat, nimirum postquam provinciam ingressus est. Atque hanc esse sententiam Jurisconsulti evincit ratio ab illo subiecta: ait enim absurdum esse, ut proconsul mandet jurisdictionem, prius quam ipse jurisdictionem nactus sit. Sed eti hoc largiremur, proconsulem præcisè debere jurisdictionem legato suo mandare, ex eo tamen non protinus sequitur, eam legati propriam fieri; nam alioqui & ipse eam mandare alii posset, nec morte proconsulis solvetur, quod utrumque fecus se habere ostendimus capite proxime præcedenti.

8. Multo minus ex eo, quod Pompeius lib. 13. de offic. procons. scribit, legatos proconsulis nihil proprium habere, nisi à proconsule mandata eis fuerit jurisdictione, inferri potest, ergo ubi mandata est jurisdictione, eam habent propriam: sed hoc tantum, ergo mandata jurisdictione, quædam propria habent, atque hoc suo sensu recte dici non negamus, hujus autem generis sunt, quæ specialiter legato tributa, occasione quidem, sed non vi mandatae jurisdictionis, veluti tutoris datio, l. 1. §. 1. ff. de tut. dat. judicis dandi licentia, l. 12. §. 1. ff. de judic. jus multæ dicendæ, l. 2. in fin. ff. eod. tit. quæ ideo legati propria esse dici possunt, quia ea à proconsule non recognoscit: quod fusius exposui cap. præced.

9. Sed querat aliquis, si legatus propriam jurisdictionem non habet, quæ sit ratio, quod à legato appelletur proconsul, l. 2. ff. quis à quo appell. cum à ceteris, quibus delegata est jurisdictione, provocetur, non qui mandavit, sed ille, qui provocatur ab ipso delegante, l. 1. §. 1. eodem. Respondeo, non existimo perpetuum esse, ut à legato provocetur proconsul, sed in iis duntaxat causis obtinuisse, quas diximus ex speciali concessione, non vi mandatae jurisdictionis ad legatum pertinere; puta si tutoris aut judicis à se dati excusationem

non admiserit, aut multam alicui dixerit. Neque huic responsioni nostræ refragatur Venulejus in d. l. 1. quis à quo appell. quoniam & ille multæ dictiōnis tantum meminit, nec dicit simpliciter proconsulem à legato appellari, sed appellari posse: nempe aliquando, & positis, ut loquuntur, terminis habilibus.

10. Porro cum is, cui jurisdictione mandata est, in ea exercenda vice mandantis fungatur, & ut supra demonstravimus, etiam imperium mixtum, quod jurisdictionis defendendæ & exequendæ gratia comparatum est, transeat, poterit utique mandatarius & sententiam, quam dixit, ipse exequi, l. 1. §. ult. l. ult. §. 1. de offic. ejus. l. 2. ff. hoc tit. Atque insignis veterum interpretum hic error est, qui negant, posse delegatum jurisdictionis sententiam suam executioni mandare, Bart. & DD. in l. à D. pio. 15. ff. de re jud. & l. 5. ff. hoc tit. quos sequitur Gail. lib. 1. obs. 97. n. 7. Decepit eos d. l. 15. pr. de re jud. quoniam non animadverterunt Jurisconsultum illic loqui de judicibus datis seu pedaneis, non de eo, cui mandata est jurisdictione. Nimirum illi confundunt mandatarium jurisdictionis cum judge pedaneo: item mandare jurisdictionem & judicem dare aut delegare: unde existimaret nec judicem dari posse ab eo, cui delegata est jurisdictione, per l. 5. ff. hoc tit. l. ult. de offic. ejus. Sed longe aliud est jurisdictionem mandare aut delegare, aliud simpliciter dare judicem. Qui jurisdictionem mandat, is quidem etiam judicem constituit, sed cum imperio & potestate exequendi: quod is, cui jurisdictione mandata est, hoc est, commissa alienæ jurisdictionis exercitio, facere non potest. Judicem vero dare non prohibetur, l. 1. l. 3. ff. hoc tit. quia judge dato non transfertur jurisdictione, sed nuda solummodo notio conceditur, id est, facultas cognoscendi & judicandi sine judicati exequendi potestate, l. 5. & d. l. 15. de re judic.

11. Obstat creditur responsum Ulpiani in l. eum qui. 13. pr. ff. hoc tit. ubi Jurisconsultus ait eum, qui judicare jubet, Magistratum esse oportere. Is autem, cui jurisdictione mandata est, non est Magistratus. Verum ~~παχυμετέρον~~ hunc locum accipi oportet, non ut excludatur is, cui mandata est jurisdictione: qui vice magistratus fungitur, sed ut intelligamus non posse jubere judicare eum, qui magistratus nunc non sit, quamvis tunc cum haberet, judicem dederit, secundum id, quod statim subjicitur §. 1. d. l. 13. Pet. Fab. in l. nemo. potest, 70. de reg. jur.

12. Mos dandi judices apud nos in totum exolevit: nam delegati à Collegiis, quos Commissarios appellamus, huc non pertinent: neque ab iis, qui summae rei praesunt, in causis revisionum aliisve extra ordinem delegati. Et jam olim à Diocletiano ipsis magistratibus cognoscendi & judicandi imposita necessitas extra quam si vel occupationibus publicis, vel multitudine caesarum ipsi cognoscere impedirentur, l. 2. C. de pedan. judic. Ac neque illud apud nos moris est, ut magistratus delegent jurisdictionem suam. Quomodo & quando mandata & translata jurisdictione finiatur, quæ questio ex quatuor supra cap. 8. propositis, postrema est, dicetur in commune cap. ult.

## C A P U T X.

## De jurisdictione prorogata.

## S U M M A R I U M.

1. *Jurisdictione prorogata quid sit, & quo colore sustineatur.*
2. *Non esse locum prorogationi nisi inter eos, qui communis imperio subjecti.*
3. *Nec nisi in diversis magistratibus, qui non sint simul domini territorii.*
4. *In prorogatione solum partium consensum requiri.*
5. *Eum, in quem consensum est, aliquam jurisdictionem habere debere.*
6. *An mandata jurisdictione possit prorogari, & n. 7.*
7. *Ex quatuor prorogandi formis, quas vulgo statuunt, illam de loco ad locum juri nostro parum convenire, item num. 9. & 10.*
8. *An jurisdictione judicis ita prorogari queat, ut quolibet loco in suo territorio jus dicat.*
9. *An veteribus cognita prorogatio de tempore ad tempus, ubi exponitur l. 2. §. 2. ff. de judic.*

1. **S**PECIES altera jurisdictionis non propriæ est, quæ dicitur prorogata. Prorogatio jurisdictionis nihil aliud est, quam jurisdictionis extra fines suos consenuit privatorum facta productio. Hanc ergo jurisdictionem privati quodammodo tribuunt: quippe cum cujusque jurisdictione suis terminis circumscripta sit, extra quos eam sine prorogatione exercere non liceat, l. ult. ff. h. t. l. 1. l. 2. ff. de judic. Crie-

rum quod de mandata jurisdictione traditum est *l. 6. ff. hoc tit.* eam quidem principaliter non dari aut deferri à lege; sed mandatam lege confirmari, hoc vel magis dicendum est de prorogata, scilicet eam quoque lege confirmatam esse; & haud dubie ideo, quia ad lites facilius expedientias pertinet: nisi enim prorogatio confirmatione legis niteretur, nunquam ea efficeret, ut decretis aut sententiis magistratum aut judicium excedentium modum jurisdictionis aut notionis suæ standum esset, per *l. 3. C. hoc tit.*

2. Hoc autem evidens argumentum est, non esse prorogationi locum, nisi inter eos, qui communi imperio, & verbi causa uni eidem Principi subjecti sunt. Nam exempli gratia si subjectus regis Gallie prorogat jurisdictionem magistratus Belgici, prorogatio ista non est efficax. Et quod dicitur magistratum unum debere exequi sententiam alterius, id quoque obtinet duntaxat in magistratibus, qui subjecti sunt uni atque eidem capiti; aut est merx gratia. Atque ex hoc fundamento defenditur constitutio juris Canonici, quo clericus prohibetur prorogare jurisdictionem judicis laici, c. significasti. 58. c. si diligenti. 12. de for. compet. Jure autem civili id secus est, *l. pen. Cod. de pac*t*. l. placet. 17. § 1. Cod. de episc. & cleric. Nov. 123. cap. 21. & seqq.*

3. Sed & prorogationi duntaxat locus esse videtur in diversis magistratibus, qui meri sunt & simplices magistratus: quippe, quorum nihil interest prorogari alterius jurisdictionem: secus autem esse in iis, qui simul sunt toparcha & domini territorii habentes jurisdictionem patrimonialem; ne scilicet his invitatis auferatur jus, quod habent, id est, ne cogantur carere fructibus jurisdictionis sua, ut loquuntur, puta multis aliisque poenis pecuniarisiis, quæ lucro talem jurisdictionem habentium cedunt, fac. c. ex transmissa. x. de for. compet.

4. Illud ante omnia pro certo habendum est, prorogationem esse actum partium, ac proinde non aliorum consensum hic exigi, quam ipsorum litigatorum, ac ne ejus quidem, cuius jurisdictione prorogatur; denique nec judicis ordinarii sive competentis, utpote cui nihil admittit, *l. 2. §. 1. ff. de judic.* Vult. in *l. 1. Cod. hoc tit. num. 66.* Sane quidem ut invitatus jus dicat is cuius jurisdictione prorogata est, cogi non potest: ceterum si dixerit, etiamsi crediderit suam esse jurisdictionem, valebit quod inter consente[n]tes statuerit, *d. l. 2. §. 1. ff. de judic.* Vult. ad *d. l. 1. num. 168. Cod. hoc tit.* Duar.

*ad. tit. de judic. cap. de foro compet. Gail. 1. obs. 40. n. 3.*

5. Nec minus illud semper constituit eum in quem consensum est, aut tribunali praesse aut aliam jurisdictionem habere debe[re], *l. 1. ff. de judic.* neque enim potest privatorum consensus jurisdictionem tribuere ei, qui nullam jure publico concessam habeat, nec quod is statuit, judicati contine[re] autoritatem, *l. 3. C. hoc tit.* Denique quod non est, prorogari non potest, *l. 5. ff. de precar.*

6. Dubitatum est de jurisdictione mandata, an & illa prorogari queat, negant Bart. in *l. 1. ff. de jud. num. 5. Cyn. Salic. Vult. in l. 1. Cod. hoc tit. Scip. Gentil. lib. 2. c. 13. Ajunt Zaf. in *l. si per errorem. 15. ff. hoc tit. num. 15. Bald. in d. l. 1. ff. de judic.* Duar. c. 2. de jurisd. Bocer. c. 7. n. 20. Prior sententia obtainere videtur jure Canonico c. cum olim. 32. &c. P. & G. 4. de off. & potest. jud. deleg. posterior jure civili, d. l. 1. ff. de judic. Ubi jurisconsultus ait, in conscientes cuiusvis judicis, qui tribunali praest, aut aliam jurisdictionem habet, esse jurisdictionem: neque enim hoc alium sensum habet, quam si dixisset, prorogari posse consensu partium non modo jurisdictionem propriam, verum etiam mandatam. Assentior autem Baldo in d. l. 1. in addit. sua fin. Bocero d. c. 7. distinguendis, utrum universa jurisdictione mandata sit, an pars tantum & in specie ad unam aliquam causam: ut illo casu etiam mandatae jurisdictionis prorogationi locus sit, hoc non item. Ac de posteriori hoc casu: loca illa juris pontificii intelligenda esse apparat ex ipso contextu: neque hoc casu aliud juris erit in delegato Principis, per dd. text. Ad priorem autem casum referendus est locus Ulpiani d. l. 1. ff. de judic. nimurum ad casum, quo mandata est alicui jurisdictione universa. Neque hujus distinctionis ratio obscura est: nam cum magistratus totam suam jurisdictionem alicui mandat, mandatarius in partibus omnibus mandatoris vice fungitur, ut absurdum sit hoc casu prorogationi non patere locum. At cum ad unam aliquam causam mandatur jurisdictione, extra id, quod mandatum est, nihil exerceri potest, ne fines mandati excedantur.*

7. Objiciunt Salicetus & Sichardus in *l. 1. C. hoc tit.* quod mandata seu delegata jurisdictione sit limitata ad certam personam. Quid tum postea? nam & propria sive ordinaria eodem modo limitata est. Quod si per personas intelligunt personas litigantium, jam delegatio erit specialis, cuius proroga-

tionem nec nos admittimus. Non obstat quoque, quod ajunt delegatum non posse sub-delegare: quoniam ex eo non recte collegaris nec jurisdictionem ejus prorogari posse. Sunt enim hæc plane diversa, eum, cui mandata est jurisdiction, alteri eandem mandare, & ei ipsi jurisdictionem consensu partium prorogari. Hæc puto rei intelligenda sufficere: qui tamen volent, adire poterunt Enucleat. Don. lib. 17. comm. c. 10, & ibid. alleg. lit. P.

9. Interpretes fere quatuor esse statuunt jurisdictionis prorogandæ modos, de loco ad locum; de tempore ad tempus, de re ad rem ( sub qua specie comprehendo de causa ad causam, de quantitate ad quantitatem, de cauſu ad caſum ) de persona ad personam. Sed vereor ne hæc juri nostro consentanea non sint. Nam non sine causa de primo modo dubitant nonnulli, an ita de loco ad locum jurisdictione prorogari possit, ut vi prorogationis etiam extra territorium juris dicundi potestas acquiratur, verbi gratia, an judex Mutinensis ex prorogatione Bononiae cognoscere & judicare queat. Affirmant quidem hoc D.D. comm. Alex. in l. ult. ff. de jurisd. Abbas in Cod. novit. 7. de off. & pot. jud. del. Zal. in l. pen. ff. de iust. & jur. num. 25, & porro etiam querunt, an hic precise expressus partium consensus requiratur, & an etiam necessarius consensus judicis illius loci, seu expressus, sive saltem tacitus. Sed si obtainemus ex ratione juris nostri nullam esse hujusmodi de loco ad locum jurisdictionis prorogationem, disputatio illa tota inutilis est. Viderunt hoc Bart. in l. 2. ff. de judic. in pr. num. 7. Bald. ibid. num. 7. Salic. in l. 1. C. hoc tit. num. 5. nos etiam evidentissimis argumentis id tibi probatum ivimus.

9. Primum constat magistratus omnes extra fines territorii sui privatos esse l. 3. de offic. præsid. l. ult. de offic. præf. urb. l. ult. ff. hoc tit. Ac privato tribui jurisdictione consensu litigantium non potest, l. 1. ff. de judic. l. 3. Cod. hoc tit. & ineptum est, quod Alexand. in d. l. ult. ff. hoc tit. profert, judicem habere jurisdictionem in habitu, ubicumque sit: nam valde insubtiliter jurisdictione comparatur cum habitu. id est, vi anni longo usu & crebris actionibus parta. Imo jurisdictione plane non est habitus, sed jus quoddam & potestas in subjectos cives publice tributa, certos terminos ac limites suos habens. Ex eo vero, quod actus voluntariae jurisdictionis, puta manumissio, adoptio, etiam extra territorium apud magistratum exerceri pos-

sunt, non recte intuleris, ex prorogatione in volentes & consentientes extra fines suos etiam extendi posse jurisdictionem contentiosam. Nam ex natura jurisdictionis voluntariae est, quod ubique exerceri possit, non ex voluntate aut prorogatione privatorum. Exercetur in volentes & consentientes, nec aliter potest; si extra provinciam jus dicentis, id ex accidenti contingit. Itaque si quis, verbi gratia, servum suum apud proconsule nondum provinciam in pressum manumiserit, is non potest dici prorogasse jurisdictionem proconsulis, non magis, quam si apud provinciam jam ingressum manumisisset. Manet autem eadem jurisdictionis contentiosæ natura, neque ex prorogatione induit naturam voluntariae. Sed nec omnes actus voluntariae jurisdictionis extra provinciam explicari possunt: imo nulli ex iis, quæ causæ cognitionem pro tribunali desiderant, quod jam aliquoties à nobis & dictum & demonstratum est.

10. Ad hæc ubi semel ex consensu partium prorogata est jurisdictione, etiam in invitox exercetur: at hoc in alieno territorio fieri non posse apud omnes in confessu est. Quod si vim istam haberet jurisdictione prorogata, ad eam exercendam non opus esset consensu judicis territorii, quippe qui hoc modo nec alteri jurisdictionem tribuere, nec sibi adimere potest. Non adversatur c. 11. §. in nullo. de rescript. in 6. illic enim sermo est de delegato pontificis, quem tanquam delegatum Principis constat ubique jus dicere posse.

11. Sed nec illud simpliciter admittendum est, posse ita jurisdictionem judicis prorogari, ut quolibet loco in suo territorio jus dicat. Nam quæ decretum desiderant, & causæ cognitionem, ea omnia pro tribunali expedire oportet, atque eo in loco, ubi salva publica maiestate servatoque more majorum jus reddi solet, l. pen. ff. de iust. & jur. l. 4. C. de dilat. quæ res privatorum pactis mutari non potest, l. neque ex prætorio. 27. de reg. jur. neque efficere, ut quod alibi judicatum decretumve est, auctoritatemi judicati habeat, arg. l. 4. C. quomod. & quand. jud atque hoc ipsum etiam Mario Solomonio pridem observatum est in l. pen. ff. de iust. & jur. Quæ vero causæ cognitionem non desiderant, præparatoria judicij, interrogations &c. illa quidem alio quoque loco à magistratu aut judge tractari possunt, & vel domi sella posita vel in itinere, l. 4. §. 1. ff. de interrog. in jur. fac sed possunt etiam citra partium consensum, nimicum ubi magistratu visum fue-

rit. Itaque ex ratione juris nostri nulla est de loco ad locum jurisdictionis prorogatio. Moribus Transilvaniz receptum esse ut judices unius territorii in alterius territorio ex consensu partium etiam contentiosam jurisdictionem exerceant, adeoque ad instantiam unius partis, quæ suis in sumptibus postulet, auctor est Bus. ad l. 1. de offic. proconf. n. 3.

12. Qui jurisdictionem de loco ad locum recte prorogari statuunt, argumentum sumunt à prorogatione de tempore ad tempus, quasi extra controversiam positum esset, quod illi supponunt, de tempore ad tempus jurisdictionem prorogari posse. Nos vero nec hujusmodi speciem veteribus cognitam aut usurpatam credimus. Proferunt illi ad sententia lux confirmationem textum in l. 2. §. 2. ff. de judic. At nego textum illum ad ullam prorogandæ jurisdictionis formam pertinere: loquitur enim ibi Jurisconsultus tantum de prorogando tempore, intra quod judex datus, qui duntaxat nudam notionem habet, non jurisdictionem, l. 5. ff. de re judic. jussus est item sibi commissam dirimere. Cum autem tempus hoc favore litigantium intelligatur adjectum, rationis est, ut eorumdem expresso consensu etiam prorogari possit, utique si & ipse judex ad tempus datus consentiat; utrumque enim in hac specie prorogationis defideratur, d. l. 2. §. 2. ne videlicet & ipse judex sine consensu suo à privatis oneretur munere judicandi: in ea autem, quæ de persona ad personam dicitur, id necesse non est. Atque ita quoque hunc locum acceperunt Marant. p. 4. dift. 12. Bald. in l. 7. C. de episc. audient. n. 8. Castrens. in d. l. 2. §. 2. n. 6. add. Ant. Fab. ad d. l. 1. §. 2. in rational. Illud probandum erat, ejus, qui officium annum à populo aut principe accepit, consensu partium jurisdictionem prorogari posse, ita ut etiam finito magistratu & adhuc post annum inter contentientes jus dicere posset, quod nunquam ostendent. Imo vero eti ostenderent, nondum tamen hoc evincerent, posse ob id etiam de loco ad locum jurisdictionem prorogari. Quamvis enim interdum tempus & locus comparantur, ut in l. vinum. 22. ff. de reb. cred. l. si soluturus. 39. ff. de solut. nemo tamen tam infans est in arte differendi, ut ex eo effici potet, quodcunque in uno statutum est, id continuo ad aliud quoque transferendum esse, cum sint plane diversa, &c in specie proposita temporis prorogatio privatam litigantium utilitatem respiciat, loci publicum decus. Ex his opinor perspicuum est, neque prorogationis de

tempore ad tempus ullum usum esse extra speciem, quæ proponitur in d. l. 2. §. 2. ff. de judic.

## C A P U T XI.

*De prorogatione de re ad rem, & de persona ad personam.*

## S U M M A R I U M.

1. In prorogatione de re ad rem necesse esse, ut causa sint eiusdem naturæ.
2. Quando procedat prorogatio, si de aliis causis pecuniariis judex aditus sit, quam quibus praefectus est, & n. 3.
3. Forma prorogationis de persona ad personam.
4. Quomodo & quo effectu se quis subjiciat jurisdictioni alicujus, & n. 10.
5. Quando per prorogationem expressam jurisdictione fundata intelligatur, ubi declarantur l. 22. §. 5. ff. sol. matr. & l. 4. C. hoc tit.
6. Quando tacite jurisdictione prorogata censetur.
7. Et an opposita exceptione dilatoria.
8. Non consentire, qui per errorem alium adeunt, aut viribus præstare compulsi.
9. Quid in personis ecclesiasticis & studiosis: ubi & jus harum regionum.
10. Effectus jurisdictionis prorogationis.

**I**G I T U R duabus prioribus jurisdictionis prorogandæ formis, de loco ad locum, de tempore ad tempus, hinc remotis, supervenient duæ posteriores, quarum altera de re ad rem sive de causa ad causam, altera de persona ad personam interpretibus nostris dicitur: atque utriusque hujus speciei etiam apud veteres usus fuit. Posse jurisdictionem de re ad rem prorogari constat ex l. de qua re. 74. §. 1. ff. de judic. l. inter convenientes. 18 ff. ad mun.

1. Ceterum & hæc prorogatio intra terminos suos cohibenda. Et primo necesse est, ut causa sint eiusdem naturæ, nec genere summo tantum convenient, ut causæ civiles & criminales. Nam qui civilibus duntaxat praest, is ex prorogatione de criminalibus cognoscere non potest, l. 1. C. ubi caus. Fisca. Sichard. in l. 1. C. hoc tit. n. 8. neque qui criminalibus tantum, vi prorogationis de re pecuniaria jus dicere, l. solvent. 61. §. 1. ff. de judic. Sed nec ejus, cui certarum causarum criminalium cognitione concessa est, audientia ad alias causas, licet ejusdem generis, prorogari potest: quo-

niam in causis, quæ alii exercenda mandari non possunt, nec locus esse potest prorogationi. Doctorum quidem communis sententia est, posse jurisdictionem criminalem prorogari, modo is, de cuius jurisdictione proroganda agitur, habeat jus cognoscendi de crimine, cuius quis reus postulatur, Gail. c. 10. de pac. publ. n. 10. at hæc non causa ad causam, sed de persona ad personam prorogatio est.

2. Illud hic scio quæstum esse, si de aliis causis pecuniaris, quam quibus praefectus est, judex aditus sit, an semper hoc casu consensu partium prorogetur illius jurisdictionio. Ego interesse arbitror, utrum genere causarum definita sit jurisdictionio, an summa aut quantitate: si genere causarum, extra illas causas jurisdictionem prorogatione non extendi. Ut ecce; si prætor tutelaris aut fideicommissarius de aliis causis, quam quæ ad jurisdictionem eorum pertinent, aditi fuerint, nego eos de hujusmodi causis ex consensu partium cognoscere posse: ne sit in potestate privatorum novam alicui jurisdictionem dare. Quod autem legimus posse alium prætorem pro alio, cuius jurisdictionio est, adiri, ut in l. si per errorem. 15. l. si convenerit. 18. ff. hoc tit. l. 1. l. 2. pr. ff. de judic. l. 1. l. 3. C. hoc tit. atque ad hanc fere solum pertinet distinctio prorogationis in expressam & tacitam, quæ in hac disputacione maxime principalis est. Si id quod brevi definitione complexus est Ulpianus l. 1. ff. de judic. paulo latius explicuerimus, poterit res tota facile percipi. Ait, *Si se subjiciant aliqui jurisdictioni & consentiant, in consentientibus cuiusvis judicis, qui tribunali præst, aut aliam jurisdictionem habet, est jurisdictionio.*

3. Quod si summa aut quantitate definita sit alicius jurisdictionio, hic prorogationem admittimus, propter connexionem & affinitatem, quia sit in eodem genere: quamquam ex hac prorogatione jus de majori summa cognoscendi consequatur, qui jure ordinario de minore duntaxat cognoscit, l. de qua

re. 74. §. 1. ff. de judic. l. 28. ad munic. Quamvis igitur, ut ex Quintil. lib. 3. c. 6. dicimus, fideicommissorum Jurisdictionio ita partita fuit, ut prætor fideicommissarius usque ad certam summam de his cognosceret, de majore summa consules jus dicebent, quod & firmat locus Ulpiani in fragm. tit. 25. §. 10. tamen hic ex consensu partium prætori jurisdictionio prorogari, & de summa etiam prætoria cognitione majore adiri prætor potuit. Putavere nonnulli in d. l. de qua re. 74. §. 1. ff. de judic. agi de simplice & pedaneo judice, sicut in d. l. 2. §. 2. ff. eod. tit. sed falso. Nam judici pedaneo unus aliquis actus tantummodo committi solet, præscripta certa formula & reservata danti potestate exequendi. At in d. l. quare. §. 1. agitur de judice, qui simul jurisdictionem aliquam habet; quippe qui constitutus sit non ad unam aliquam causam, ut in d. l. 2. §. 2. de judic. sed generaliter ad causas omnes, ceterum usque ad certam summam, fac. l. 28. ad munic.

4. Superest species prorogationis notissima atque usitatisimma de persona ad personam, de qua tractatur in l. si per errorem. 15. l. si convenerit. 18. ff. hoc tit. l. 1. l. 2. pr. ff. de judic. l. 1. l. 3. C. hoc tit. atque ad hanc fere solum pertinet distinctio prorogationis in expressam & tacitam, quæ in hac disputacione maxime principalis est. Si id quod brevi definitione complexus est Ulpianus l. 1. ff. de judic. paulo latius explicuerimus, poterit res tota facile percipi. Ait, *Si se subjiciant aliqui jurisdictioni & consentiant, in consentientibus cuiusvis judicis, qui tribunali præst, aut aliam jurisdictionem habet, est jurisdictionio.*

5. Subjicit qui se jurisdictioni alicuius vel expresse, vel tacite, id est, vel aperta conventione, vel re ipsa & facto. Convenitio hæc aut nuda est & simplex, aut justa & legitima. Qui simpliciter extra judicium in alium judicem consenserit, sententiam mutare, prius quam is adeatur, impune potest: nempe ubi de proroganda jurisdictione judicis incompetens & de paciente obligando agitur, breviter, si convenerit, ut alterius jurisdictionem subeat, d. l. si convenerit. 18. ff. hoc tit. junct. l. 7. §. 4. ff. de pac. Quando autem paciendo non id egit, ut se alterius jurisdictioni subjiceret, sed ne fori præscriptione uteretur revocando ad judicem, quem ex privilegio habet, hæc pactio exceptione aut replicatione servari potest, l. pen. C. de pac. & ibi Donell. n. 4. Justa autem & legitima conventionis, qualis jure civili est stipulatio, vitari propter actionem, quæ ex ea nascitur, non po-

test. Non utique, quod is, qui id justa conventione caverit, districte cogatur, judicis, cuius se jurisdictioni subjicit, audientiam sequi: sed quod voluntatem mutans teneatur in id, quod interest adversarii, aut poena subiecta adversus eum committatur, ut tenent omnes DD. *in d. l. si convenerit.* 18. *hoc tit.* telle Zaf. *ibid. n. 13.* Hodie autem haec conventionum distinctio supervacua est, cum etiam nudo ex pacto actio nunc nascatur, juxta scita juris Canonici c. 1. & c. 3. *x. de patt.*

6. Enimvero si ex conventione litigatores etiam praetorem adierint, isque partes suas interponere coeperit, tunc ex ratione juris nostri jurisdictione prorogata intelligitur, etiam si lis nondum contestata sit, *d. l. si convenerit.* ff. *hoc tit.* Vult. *ad l. 1. C. hoc tit.* n. 152. Bachov. *de jurisd. prorog.* n. 12. Doctores quidem communiter ad hoc etiam litis contestationem requirunt, arg. *l. si cum dotem.* 22. §. 5. ff. *solut. matrim.* & *l. 4. C. hoc tit.* sed ex neutrō horum locorum efficitur, quod volunt. In *d. l. 22. §. 5. sol. matrim.* queritur quo tempore filia patri dotem repetenti consentire debeat, & respondeat jurisconsultus, quo lis contestatur: si vero ante dixerit se patri consentire, & prius quam lis contestetur, mutaverit voluntatem, frustra patrem agere. Ex hoc autem loco minime probatur, lite demum contestata jurisdictionem fundari per prorogationem expressam: hoc enim nihil communione habet cum isto. Et si procedere velimus argumentationem, ponendus esset casus, quo filia in jure patri consensisset. Adde quod per consensum filia inducatur quædam actionis cessio, & junge *l. 3. C. de novat.* Alter autem locus, nempe *l. 4. C. hoc tit.* intelligendus est de prorogatione tacita; expressæ vero ut plus tribuatur, ratio suadet durumque omnino est *d. l. si convenerit.* ff. *hoc tit.* accipi de litis contestatione, qui actus fere ultimus erat eorum, quæ in jure apud praetorem expediebantur.

7. Re ipsa & facto se quis subjicit jurisdictioni alicujus, si ad non suum judicem vocatus, audientiam ejus elegit, id est, actionem suscepit, sive litem contestatus est, omessa fori præscriptione, *l. sed & si. 52. ff. de judic.* *l. 4. C. hoc tit.* Ceterum ante litis contestationem si reus quid dixerit aut fecerit, verbi causa, si desideraverit sibi edi genus actionis, non videtur in judicem consensisse, *l. non videtur.* 33. ff. *de judic.* Nemo enim editionem actionis postulat, ut neget, quod intenditur; sed ut cognoscatur qua actione conveniatur, eoque cognito

secum deliberet, utrum cedere, an judicio contendere sibi magis expedit, *l. 1. ff. de edend.* Joan. & Azo *in l. 1. ff. de judic.* Zafius *ad l. si convenerit.* 18. n. 3. & 4. *hoc tit.* Itaque duæ res hic reum jurisdictioni subjiciunt suscepitio judicij quasi ex contractu, arg. *l. 3. §. idem scribit 11. ff. de pecul.* deinde torri præscriptionis initio litis opponenda omisso, *l. ult. C. de except.* aut verius sola litis contestatio.

8. Interpretes nostri etiam exceptione dilatoria opposita jurisdictionem tacite prorogari centent, quasi & hoc modo lis contestetur & ideo iuident, ut reus comparsens si hujusmodi exceptionem proponere velit, utatur protestatione de non proroganda jurisdictione, nisi quatenus jure teneatur. Zaf. *in d. l. 18. num. 19.* Salic. *in l. 1. C. hoc tit.* n. 4. Sich. *ibid. n. 7.* Mynt. 4. obf. 27. Gail. 1. obf. 33. n. 11. & c. verum hoc non esse juris nostri civilis rationi consentaneum bene ostendit Bachov. *de jurisd. prorog.* num. 13. utut forte in praxi observatur.

9. Ait Ulpianus in *d. l. 1. ff. de judic.* & consentiant, in consentientes &c. nam si quis alium judicem pro alio adierit, putans ejus jurisdictionem esse, cuius non erat, aut viribus prætura compulsus admiserit, non valebit, quod actum est, *l. si per errorem.* ff. *hoc tit.* *l. 2. pr. ff. de judic.* Plane non aliorum hic consensum requirimus, quam ipsorum litigatorum, ac ne judicis quidem aditi, *d. l. 2. §. 6.* quod latius expositum supra est, ut & reliqua definitionis propositæ.

10. In summa sive exterus quis, sive miles, sive paganus, sive studiosi, sive personæ ecclesiastice alterius judicis, quam ad cuius jurisdictionem pertinebant, audientiam ultra secuti fuerint, in consentientes cuiusvis judicis est jurisdictione, *d. l. 1. ff. judic.* *l. 1. C. hoc tit.* *l. pen. Cod. de pac.* dummodo jus dicat in suo territorio, & causæ, de quibus aditus est, ad jurisdictionem ejus pertineant.

11. Ecclesiasticis quidem personis proprii judices attributi posteriorum imperatorum constitutionibus, *l. placet.* 17. *C. de episc.* & cleric. auth. statuimus. *C. de episc. au-*  
*dient.* uti & studiosis, auth. habita. *C. ne-*  
*fil. pro patr.* sed ita ne inviti ad alios vocen-  
tur: nam quo minus alterius jurisdictioni  
ultra se subjiciant, & privilegio suo renun-  
tient, nihil est impedimento, *d. l. pen. C. de*  
*pac.* Jus autem Canonicum ecclesiasticos  
jurisdictioni magistratus politici penitus exe-  
mit. *c. significati. c. si diligent.* x de for-  
competent. sed hoc in ditionibus confoederati  
Belgii

Belgii non observatur. Imo nec jure civili Justinianeo episcopi jurisdictionem habent, quia nec forum, nec apparitionem, nec executionem, sed audientiam duntaxat, id est, cognitionem & judicium: idque habent tantum in clericos & monachos in causa religionis negotiove ecclesiastico, non in alios, vel aliis in causis, nisi inter consen- tientes, ut patet ex Novell. Valentini. de episcop. judic. & lib. 1. Cod. Justin. tit. 4. qui ob id non de episcopali jurisdictione, sed de episcop. audience inscriptus est. Cujac. parat. C. eod. & plenius clariss. D. Theod. Gravvink. lib. de jur. majest. c. 5. Dixerim autem studiosum aliaque membra Academie nostrae Leidensis non posse prorogare jurisdictionem magistratus urbani, propterea quod jurisdictioni Rectoris & assessorum pri- vative subjiciuntur. Art. 39. statut. Academ. Leiden.

11. Effectus jurisdictionis prorogatae hic est, ut tantum judex electus juris in con- sentientes habeat, quantum haberet, si jure ordinario ad jurisdictionem ejus pertine- rent. Nam prorogata jurisdictione ejusdem efficitur natura & conditionis, cuius est ordi- naria. Quamobrem si à judice illo appelle non licet, nec licebit prorogata jurisdictione: si mandatum habuit, ea finita etiam finietur prorogata. Vasq. 2. controv. us. freq. 14. n. 25.

## C A P U T XII.

*Quibus modis jurisdictione finiatur.*

## S U M M A R I U M .

1. Quando prorogata jurisdictione finiatur.
2. Quibus modis finiatur mandata.
3. Quando res à delegato geri coepit dicatur.
4. Quid juris se universa jurisdictione manda- ta, & negotium unum geri coepit.
5. Revocatione quoque finiri jurisdictionem delegatam, etiam ubi jam res geri coepit, adeoque lis contestata.
6. Mandata ad certum tempus aut causam quando solvatur.
7. Quibus modis extinguatur jurisdictione pro- pria.
8. An praescriptione amittatur aut acquiratur jurisdictione.
9. An pro tuenda jurisdictione magistratu competat utilis actio confessoria aut ne- gatoria.
10. P ROROGATA jurisdictione, ut obiter de ea primum dicam, finitur soluta Vinn. Tratt. Varii.

jurisdictione ejus, cuius prorogata erat, sive ea propria fuerit, sive mandata per l. 6. ff. hoc tit. l. 3. C. eod. l. 1. ff. de judic.

2. Mandata iisdem fere finitur modis, quibus & reliquarum rerum mandatum eva- nescit. Et morte quidem ejus, cui mandata est, finiri eam constat, cum & propria seu ordinaria jurisdictione una cum persona magistratus extinguitur: Ceterum etiam morte ejus, qui mandavit, finiri traditum est in l. 6. ff. hoc tit. nec est contrarium, quod ex sententia Scævolæ apud Paulum re- latum est in l. venditor. 49. §. 1. ff. de ju- dic. judices à praeside datos etiam in tempus successorum ejus durare: nam alia judicu- datorum ratio est; quoniam cum illi velut ab ipso officio constituantur, exigente id usitato more judiciorum, notio eorum quasi propria erat: & inde quoque est, quod à sententiis eorum ipsi magistratus qui eos dedissent, appellabantur. ult. quis à quo app. cum à sententia ejus, cui mandata erat jurisdictione, alias provocaretur, quam qui mandasset. d. l. 1. §. 1.

3. Una hic exceptio, si ante mortem mandantis jam res geri coepit sit. d. l. 6. hoc tit. quod plerique sic acceperunt, si is, cui mandata erat jurisdictione, à partibus adiutus fuerit, aut si jam præcesserit in jus vo- catio juxta mores hodiernos facta per appa- ritorem & parti insinuata. Zaf. in l. 6 h. r. n. 57. & seqq. post Bart. ibid. n. 13. Bald. n. 5. & 6. Jas. col. 11. per c. gratum. 20. de offic. deleg. Gail. 1. obs. 74. n. 19. Atque hoc etiam puto satis defendi posse ex ratione juris nostri, arg. l. si convenerit. 18. ff. h. r. l. 7 ff. de judic. licet alii tunc demum rem geri coepit interpretentur, cum lis est con- testata. Cyn. in d. l. 5. n. 8.

4. Sed quid si universa jurisdictione manda- ta fuerit, & forte in una aliqua causa negoti- um geri coepit? Ratio non permittit, ut dicamus etiam in ceteris nondum exer- ceri coepitis post mortem delegantis durare jurisdictionem delegati, ut novas causas audire adhuc possit, sed in illa duntaxat una, quam gerere coepit. add. Zaf. in d. l. 5. hoc tit. n. 63.

5. Porro non ambigetur, quin revoca- tione quoque finiatur mandata jurisdictione, per §. item l. 10. inst. de mand. & fac. arg. in l. 6. §. 1. ff. de offic. procons. ubi tanquam speciale notatur, quod proconsul non nisi consulto Principe jurisdictionem legato man- datam revocare queat. Quinimo hoc amplius etiam postquam res geri coepit est, adeoque post litem quoque contestatam posse mandatam jurisdictionem revocari ex- istimo, idque vel ab eo ipso, qui man-

davit, vel à successore ejus, quippe cum nullum hic aut delegati aut partium veretur præjudicium: in quo delegatio jurisdictionis dissimilis est mandato procuratorio, ut bene observavit Zal. in l. 5. n. 55. hoc sit, nec simpliciter ergo procedit argumentatio ex l. 6. eod. à procuratore ad delegatum jurisdictionis.

6. Denique si ad certum tempus alicui mandata sit jurisdictionis, solo temporis lapsu extinguitur, sicut ea, quæ ad certam causam delegata est, expirat sine negotio impedito. Bocer. c. 6. n. 62.

7. Propria jurisdictionis seu ordinaria magistratus potestas tunc solvit, cum magistratus officium depositum vel successorem accepit, aut ipse mortuus est: morte autem Principis non finitur. arg. l. 6. ff. h. t. Bodin. 3. de repub. 2. Et quia ordinaria similitudine est ea, quam Princeps alicui extra ordinem delegavit, nec hanc morte Principis solvi recte statuunt interpretes, sicut nec merum imperium, quod specialiter à Principe concedi solebat, per ea, quæ supra cap. 4. Patrimonialis autem jurisdictionis etiam ad hæredes transit; sed talem nudi magistratus non habent.

8. Quæstum est, an & præscriptione amittatur jurisdictionis: sed hujus questionis decisio pendet ab alia, nempe an jurisdictionis præscriptione possit acquiri: prius enim est, ut ita acquiri queat, quam ut eo modo amitti eam dicamus. Interpretes vulgo statuunt jurisdictionem non tantum dari posse ab iis, penes quos est summa in repub. potestas: verum etiam acquiri eam posse præscriptione longissimi temporis, nimisrum triginta aut quadraginta annorum. Ceterum hæc sententia cautione indiget, & non una distinctione. Nam primum removendæ hinc sunt personæ privatæ, quippe quæ jurisdictionem usurpantes in gravissimum incident crimen. Deinde & inter personas eo-

rum distinguendum est, qui magistratum gerunt: Etenim qui simplex est & nudus magistratus, nihil hic sibi præscriptione querere potest; sed tantum ratione officii, scilicet ut id latius extendatur, & huic quasi acquiratur. Ut ecce, si præfectus aliquis extra fines territorii sui aliquamdiu jus dixerit sine cuiusquam impedimento, acquiritur ipsi præfectura latior jurisdictionis. At enim hæc acquisitionis non magni momenti est, cum Princeps pro arbitrio suo veteres jurisdictionis terminos possit restituere. Itaque quæstio hæc ad toparchas fere solum pertinet, id est, ad magistratus, qui simul sunt quasi domini territorii, qui jus perpetuum & transmissibile, seu jurisdictionem patrimonialem, ut nunc vulgo loquuntur, habent. Hi sane jurisdictionem suam vi præscriptionis amittere, utri & proferre atque extendere possunt; nec civilem tantum, verum etiam criminalē, ut Comites, Barones, Nobiles in Belgio, Germania & alibi. Jaf. in l. 3. ff. h. t. col. 9. & 10. Muscorn. de jurisd. n. 127. Bald. part. 2. de præscr. quæst. 12. Atque his terminis possitis poterit & conventionibus acquiri atque amitti jurisdictionis, ut sèpè videmus castra, pagos integros permutari ac vendi.

9. Atque secundum hos eosdem terminos, ubi scilicet jurisdictionis patrimonialis est, etiam recte defenditur, quod vulgo DD. tradunt, pro tuenda jurisdictione competere magistratu actionem confessoriā & negatoriā, utilem nempe seu quasi, Jo. Fab. Plat. Jaf. Schneid. in §. æque. 2. Inst. de ait. VVesemb. par. hic n. 13. Ceterum ratione juris nostri si magistratus aliquis turbetur in exercenda jurisdictione sua, pro defendenda ea actionem non habet: sed si ipse se tueri non potest, Principem adire, remque ad eum referre debet, ut recte Bachov. ad hunc tit. c. de effect. jurisd.





# TRACTATUS DE COLLATIONIBUS, ACADEMICO-FORENSIS.

*Viro Amplissimo & Consulari,*

D. SIMONI A BAERSDORP J.C.

S. P. D.

ARNOLDUS VINNIUS.

NN I jam quatuor sunt, & quod excurrit, Vir Amplissime, ex quo libros Digestorum, seu Pandectarum juris civilis interpretari ex auctoritate publica cœpi. Horum autem librorum interpretationem cum per Dei gratiam commodum ante majores hujus anni ferias absolvissim , otium natus summam colligere institui eorum, quæ interea temporis commentando in varios juris Justinianici loco observaveram: idque eo animo, ut etiam in apertum proferrem ac publicarem, si quid in his à me repertum esset, cuius promulgatione nostra foret opinio haud vulgariter adjutum iri commoda studioſæ legum juventutis: quippe quæ modis omnibus adaugere summa ope, & nitor & semper nifus sum. Excerpti autem in praesentia ex bono cuncto id argumentum, quod est de collatione bonorum, genere quodam contributionis faciendæ inter liberos, qui ad communis parentis demortui successionem simul admitti desiderant. Etenim id argumenti genus præterquam quod est cognitu longe utilissimum, & accuratius, quam pleraque alia, tractasse mihi vifus sum, & ab aliis ex professò tractatum non memini, nisi à Vitale Nemaufensi & Johanne Saporta; ab illo prolixius & ruidius, ab hoc brevius & eruditius; à neutrō tamen ita, quin in scriptis eorum multa adhuc desideres, quæ ad perfectam rei utilissimæ cognitionem sunt necessaria: ut proinde non tam aliis præripuisse scribendi occasionem, quam præbuīsse videantur. Accedebat etiam hoc, quod cum hodie difficultis admodum iſtorum auctorum paratio sit, nonnulli adolescentes honesti & philomathici, quibus ob id nostra utenda concederam, enīx atque instanter à me petierunt, ut consilium propositumque meum de iſdem evulgandis maturarem. Itaque ut testam facerem singularem meam voluntatem adjuvandæ promovendæque studioſæ juris civilis Romanorum juventutis, cum in hoc nostro quasi armistitio ea, quæ in argumentum, quod memoravi, superioribus annis meditatus eram, diligenter & relegissim & interpolassim, vulgari quoque eadem atque in publicum prodire jussi, additis, quo paulo speciosiora apparerent, summiſis, indice, & sylvula allegationum interpretum, qua veterum, qua recentiorum. Fecit autem veteris nostræ necessitudinis & tua in me benevolentia recordatio, ut hæc qualiacunque sunt, tibi Vir Amplissime, dicanda & offerenda duxerim; & vel eo magis, quia, ut ipse ex te intellexi, animus tibi est communia nostra studia, quibus serio vacare aliquamdiu integrum tibi non fuit, nunc posita ad tempus administratione reipublicæ bona fide recolere, & eorum quoque, quæ antea à nobis edita sunt, lectione te oblectari. Confido, quæ tua est humanitas, fore, ut ne hanc qualem qualē voluntatis erga te nostræ significationem aſperneris, atque ut gratum tibi sit, quod proficiscitur.

Sene vale: Leida, Nonis  
Septemb. 1644.

à tui obſervantissimo

ARNOLDO VINNIO.  
N ij

# TRACTATUS DE COLLATIONIBUS.

## CAPUT PRIMUM.

*De significatione hujus dictio[n]is collatio.*

### SUMMARIUM.

1. *Varia vocis collatio significata.*
2. *Operis adumbratio.*

**C**OLLATIO vox est varia significatio[n]is. Interdum idem significat, quod *comparatio* ιαραβιών: interdum idem quod *συμβολή*, *collecta*, *īgās*, sive *contributio eranistica* aut *symposiaca*. Frequenter etiam eadem voce utimur pro contributione alicuius pecunia ad opus publicum, vel ad communem reipublicae aut Principis usum, qua Græcis ἀπόστολος: item pro affi[n]iatione beneficiorum ecclesiastici vacantis, ut in jure Canonico: nonnunquam etiam aliis modis accipitur, sicut & verbum *conferre*; cuius etiam latior usus est, quam verbalis, ut videre est apud lexicographos. Ceterum varietas ista ex adjuncto facile discerni poterit. In proposito autem collatio est privatae quoddam contributionis genus facienda inter liberos, qui simul admitti ad communis parentis successionem desiderant. Græce redditur *πατερός*, quod à verbo *πατερίζειν* deductum est, quo etiam pa[ri]sim Græci in hac materia utuntur.

2. Hoc jus de bonorum collatione à prætore primum introductum est ex summa equitate: postea vero misifice auctum constitutionibus Imperatorum, & subinde parte aliqua iterum imminutum, ut quoad ejus fieri posset, aequalitas inter liberos conservaretur. Igitur ut distinetè atque ordine in explicando hoc iure procedamus, primum initia ejus ac progressus obiter indicabimus, deinde singula, quæ ad perfectam hujus argumenti cognitionem pertinent, diligentius exequemur.

## CAPUT II.

*Collatio qua contemplatione introducta, aucta, aut restricta.*

### SUMMARIUM.

1. *Quam ob causam necessitas collationis primum introducta, & num. 2. & 3.*
4. *Filiosam. ex edicto nihil contulisse.*
5. *Filiafam. dotem conferebat ex rescripto D. Pii, & quare.*
6. *Productio hujus juris ad donationem propter nuptias & successionem matris.*
7. *Ad nepotes & neptes cum patruis & avunculis avo & avia succedentes.*
8. *Ad successionem ex testamento.*
9. *Eiusdem juris restrictio.*

**Q**UA parte edicti prætor proposuit liberis emancipatis præteritis bonorum possessionem contra tabulas patris, ut bonorum possessione impetrata patri succederent etiam cum fratribus suis hæredibus, seu qui in potestate & familia patris, cum is moretur, adhuc erant; eadem parte edicti prætor emancipatos cum suis hæredibus succedentes vocat ad collationem bonorum, id est, jubet bona sua fratribus in potestate retentis conferre. Idem fecit prætor & in ea parte edicti, qua liberos emancipatos ab intestato vocat una cum fratribus suis hæredibus ad successionem patris data bonorum possessione *unde liberi. lib. 1. ff. hoc tit. l. filium. 20. §. 1. de bon. poss. tab. l. si emancipati. 9. Cod. hoc tit.*

1. Est autem hoc jus de collatione à prætore introductum minuendæ ejus injuriæ gratia quæ admissis emancipatis ad bonorum possessionem contra tabulas aut *unde liberi*, fratribus eorum, suis hæredibus fieri videbatur. Nam cum sui hæredes soli jure civili hæredes patri existant, exclusis liberis emancipatis. §. *emancipati. 9. Inst. de hæred. que ab int. def. adeoque magis quædam coepit prius dominii continuatio, quam novæ cūjusdam & alienæ hæreditatis acquisitione in*

suis hæredibus intelligatur. §. 3. *Inst. d. t. l. in suis. 11. de lib. & posth.* si una cum illis admittantur emancipati, quos constat è familia exire, & extraneos nobis fieri, necesse est, ut hi illis hæreditatem pro parte avocent; atque ita avocent, non modo bona paterna, sed etiam bona propria suorum hæredum, cum patris quæ sunt, suorum hæredum sint, & contra.

2. Ad hæc cum liberi emancipati omnia sibi, sui autem, solo peculio castrensi & quasi castrensi excepto, omnia patri olim acquirerent, neccesse erat & aliam hic enasci, suisque hæredibus inferri injuriam. si emancipati bona quæsita sibi præcipua haberent, & tamen simul cum fratribus in potestate retentis ad successionem patris admittentur.

3. Utique huic injuriæ occursum est remedio collationis bonorum, videlicet si emancipati ad successionem patris una cum fratribus suis hæredibus venire cupientes, bona sua, quæ si in potestate manfissent, patri fuissent quæsita, fratribus ictis conferrent. Äquissimum est, ait Ulpianus, ut sua quoque bona in medium conferant, qui appetunt paterna. *l. 1. ff. hoc tit.* Recte, qui appetunt paterna, quoniam ea paterna jam fratum esse apparet, qui jure civili soli sui hæredes existunt: tum etiam, quia illorum bonorum jam pars sunt, quæ per filios fam. patri sunt quæsita.

4. Secundum formam edicti filiis fam. nihil conferebant de suo, non peculium castrense aut quasi castrense: sed in eo nullo commodo affaciebantur emancipati; quippe qui nec ipsi ea, quæ per occasionem militiae, sive armatae sive togatae, sibi acquisiverant, conferre tenebantur. *l. 1. §. nec castrense. 15. ff. h. t. ubi J. C. voce peculii abutitur:* nam peculii nomen non cadit in eos, qui sui juris sunt. *l. paterfam. 182. de verb. sign. l. ult. in fin. Cod. de inoff. testam.* Peculium igitur illic ~~admodum~~, dictum est, quod peculium esset, si filius in potestate manfisset.

5. Sed nec filias fam. dotem, quam à patre accepérat, ex edicto conferebat; quamvis dos è bonis patris exire & proprium filiæ fam. patrimonium esse intelligatur. *l. 4. ff. hoc tit. l. 1. §. ult. de dot. collat. l. 3. §. ergo etiam. 5. ff. de minor. l. 14. pr. ff. ad leg. falcid.* ubi Papinianus ait, dotem in hæreditate patris non inveniri, & tamen emancipata cum ceteris bonis omnibus etiam dotem conferebat. Quod cum nonnihil iniqutatis haberet, placuit postea sola contemplatione æqualitatis, ut etiam filiæ fam. dotis collatione fungeretur; ne quod una

in medium conferre cogitur, altera sibi proprium retineret. Hoc autem à Divo Pio primum constitutum videtur, per *l. 1. ff. de dot. collat.* generali enim edito prætoris soli emancipati ad collationem vocantur. *l. 1. pr. ff. hoc tit.* Antonius Faber in *Codice suo h. t. defin. 4.* Leoni hoc tribuit, sed male.

6. Exemplo vero dotis à Leone producta postea est collatio etiam ad donationem propter nuptias, quæ veteribus fuit incognita. *l. quoniam. 29. Cod. de inoff. testam. l. ut liberis. 17. Cod. de collat.* Item Imperator longius progressus etiam in successione matris, cui liberi nihil acquirunt, locum habere collationem voluit; nimisrum ex sola consideratione æqualitatis. *d. l. ut liberis. C. h. t.*

7. Sed & generaliter constitutum est, ut quoties descendentes alicui ex adscendentibus succedunt, huic juri esset locus: utque non tantum filius aut filia defuncti sibi invicem, sed etiam nepotibus & neptibus secum avo succedentibus conferrent, & hi vicissim illis, scilicet patruis & avunculis suis, haud secus ac juris fuisset, si parentes eorum, quos representant, adhuc essent superstites. *l. illam 19. C. hoc tit.*

8. Tandem Justinianus ad æqualitatem modis omnibus inter liberos servandam, & quo major esset occasio amoris & concordiae, etiam ad successionem ex testamento jura collationum produxit, omnique casu, quo collationem ab intestato fieri jam antea necesse erat, eam etiam inter succedentes ex testamento fieri voluit, nisi expresse remissa sit aut vetita. *Nov. 18. c. 6. unde auth. ex testamerto. C. hoc tit.*

9. Rursus ex contrario jus collationis subinde coarctatum fuit. Nam ex quo tempore Constantinus & insequentes Imperatores bona materna & materni generis patri acquiri noluerunt, procul dubio liberi emancipati ad collationem ejusdem generis bonorum desierunt teneri, cessante scilicet ratione collationis induciva: nam et si in potestate manfissent, tamen bonorum istorum proprietatem non patri, sed sibi quæsivissent; ut proinde concurrentes cum liberis in potestate constitutis, quo ad ista bona nullo eos incommodo afficiant.

Ob eamdem. quam dixi, rationem, & quidem solam, Justinianus in universum adventitia exemis collationi, eamque restrinxit ad sola profectitia. *l. ult. C. hoc tit.* quo nomine id omne ad effectum conferendi appellatur, quod provenit ex bonis ejus, de cuius hæreditate agitur.

Hoc aditu patefacto, tutius jam & sine

offensa progrediemur. Et age igitur, singula porro, quæ in hoc argumeto cognitu necessaria occurunt, peniculare confidemus.

## C A P U T I I I .

*Quid sit collatio.*

## S U M M A R I U M .

1. *Quæstiones principales in hac materia tractandæ.*
2. *Vulgatam collationis definitionem minus accuratam esse ostendit.*
3. *Nova ab auctore allata & exposta.*

1. **A**D cognitionem juris de collatione constituti, quam hic querimus, sex ferme sunt accommodatae quæstiones, quas etiam ordine, sed paulo pluribus capitibus explicabimus. Prima est, in qua queritur, quid sit collatio. Secunda, inter quos locum habeat. Tertia, quando seu qua in successione. Quarta, quæ bona in collationem veniant, sive quid quicunque conferat. Quinta, quomodo collatio fiat, & omissæ quæ bona. Sexta & postrema, collationis quis sit finis, quis effectus. Quod si in his explicandi eadem subinde inculcabitur, cogitet lector in crebra juris mutatione id esse necessarium.

2. Collatio vulgo definitur rei propria in communem hæreditatem illatio, ut æqualitas servetur, & ea servata bona hæreditaria inter descendentes seu liberos, qui parenti succedunt, dividantur. vid. Nemaus. *tract. de collat. pr. n. 2.* Sapiam. *in l. si emancipati 9. Cod. hoc tit. Fernand. Vasq. de success. resol. lib. 2. §. 19. n. 1. & 7. seqq.* Saport. *tract. de collat. n. 11.* Sed hæc definitio examen legum de materia artium ferre non potest, & omnino vitiosa est, sive ad veteris sive ad novi juris normam exigatur. Nam eti. verum est, jure veteri non nisi propria bona in collationem venisse; quippe quo jure soli liberi emancipati conferebant; tamen non est verum de toto, de omni & semper, quod lex veritatis, quæ *ex auct. 2. p. 2.* dicitur, requirit. Nam utique non conferebant emancipati ea, quæ reipublicæ militantes in castris aut toga sibi acquisierant, quæ maxime cujusque propria sunt. *lib. 1. §. nec castrense. 15. ff. hoc tit.* In eamdem legem vel magis peccat ista definitio, si ad rationem novi juris examinetur. Cum enim hodie non modo emancipati suis, sed etiam sui emancipatis, & sibi quoque invicem conferant, & con-

ferantur nunc non alia bona, quam profectitia, sive ea à matre, de cuius successione agitur, profecta sint, sive à patre, & à patre profecta ne novo quidem jure filiis fam. acquirantur, sed parentum, quorum in potestate sunt, propria maneant. §. 1. *Inst. per quas pers. cuique acq.* Hic jam vides, quam longe vulgata illa definitio recedit ab ista lege, quam dixi universalem & perpetuam veritatem in documentis artium require. Plane si proprietatem verbi spectamus, ea sola proprie conferri dicuntur, quæ nostra sunt, aut utique quodammodo nostra, ut dos & donatio propter nuptias à patre profecta. Cæterum & ea quoque dicuntur conferri, licet minus proprie, quæ, verbi causa, in peculium à patre accepimus, nimur ratione possessionis, aut potius detentio duntaxat: quippe cum ea in bonis patris permaneant, atque in hæreditate ejus reperta dividantur. *l. filia. 12. Cod. hoc tit.*

Collatio inquam *κομιστικός* rerum est propriorum, non hæreditiarum: sed tamen in his etiam posterior ætas verbo collationis usus est, ut significaret earum, omissa quali quali possessione, in commune restitucionem, collationem sc. opponens ei, quod alias præcipuum retinetur *l. pen. & ult. C. hoc tit.* Sic in *l. certum. 13. Cod. fam. eric.* dicitur liberorum peculia post mortem patris ad communionem esse revocanda, id est, conferenda: Græci *κομιστικός*, conferuntur; respectu videlicet ulus & juris administrandi, quod habuerunt vivente patre, ut bene Joan. Saporta *tract. de collat. n. 77. & 2. seqq.*

3. Sic igitur potius collatio definiatur. Collatio est contributio earum rerum, quas de bonis suis parentis, de cuius hæreditate agitur, liberis suis, ut liberis, in vita sua concessit, obve causam donavit, aut alias ea lege, ut conferrentur. Ajo *de bonis suis*, ut excludam adventitia, id est, quæ non ex bonis parentis, de cuius hæreditate queritur, sed aliunde liberis obveniunt; hæc enim novo jure collationi non sunt obnoxia. *l. ult. C. hoc tit.* maxime castrensis & quasi castrensis, quæ semper à lege collationis immunita fuerunt. *l. 1. §. nec castrense. 15. ff. eod. l. 12. C. eod.* Cum dico *in vita sua*, excludo legata & fideicomissa, item mortis causa donationes, quæ demum post mortem patris acquiruntur, & ideo in collationem non veniunt. *l. 10. l. 15. & l. seq. C. eod.* His verbis, *liberis ut liberis*, removemus hinc ea, quæ liberi, non ut liberi, sed ut extranei quilibet, capiunt: veluti si pater filium propter bene merita remunera-

tus sit : hoc enim casu videtur filius meruisse donationem , non ut filius , sed ut extraneus quilibet , quem nemo dixerit collatione fungi oportere , facit *l. à patre.* 10. *C. hoc tit.* ibi *extero jure capiens.* Sed de hoc pluscula inferius.

Per verba *ob causam donavit* , intelligo dotem & donationem propter nuptias , aliaque , qua liberi à parentibus accipiunt , ut se exhibere , negotiationem aut artem aliquam &c. exercere possint. Itaque excludimus hic donationem simplicem , extra quam si facta sit in compensationem dotis aut donationis propter nuptias ; tunc enim natum induit donationis *ob causam l. pen. §. 1. C. hoc tit.* Illis verbis , aut alias ea lege. &c. innuo etiam simplicem donationem conferri , sed ita demum , si ea lex donationi expresse dicta fuerit. *d. l. pen. §. 1.*

## CAPUT IV.

*Inter quos locum habeat collatio.*

## SUMMARIUM.

1. *Ex edicto solos liberos emancipatos ad collationem vocari.*
2. *Ei soli emancipatum conferre , cui & aliquid aufert.*
3. *Ex sententia editi quo casu emancipatus ad collationem vocetur.*
4. *Sententia l. 6. ff. de dot. collat.*
5. *Emancipatos ex edito sibi invicem non conferre.*
6. *Explicatio l. 1. §. si sit filius. ff. hoc tit.*
7. *Hotmannus & Bachovius notati.*
8. *Sui nec inter se , nec emancipatis ex edito conferuntur.*
9. *Nec emancipati ex testamento hæreditatem obtinentes suis hæredibus.*
10. *Collationi locum fuisse etiam si liberi ex capite unde liberi exclusi , ex sequentibus admitterentur.*
11. *Confutatio sententiae contrarie.*
12. *An liberi , qui sunt in adoptiva familia conferant fratribus naturalibus.*
13. *Explicatur l. 1. §. is quoque. ff. hoc tit.*

1. **S**UCCESTIT nunc secunda quæstio , inter quos collatio locum habeat. Editio perpetuo , atque ita jure veteri ad collationem bonorum vocantur soli liberi emancipati , idque tunc demum , cum aut bonorum possessione contra tabulas petita , aut nullo testamento facto simpliciter ex capite unde liberi ab intellectu succedunt una

cum fratribus suis , qui in potestate patriam transferunt. *l. 1. pr. & §. 5. ff. hoc tit. l. si emancipati 9. C. eod. l. filium quem. 10 §. 1. ff. de bon. poss. cont. tab.*

2. Ei autem suo emancipatus confert , cui & aufert aliquid ex causa hæreditaria : ut ecce , filius emancipatus nepoti ex se suscepto & retento in potestate confert , non fratri : si non sit nepos , confert fratri. *l. 1. §. 13. ff. de conjunc. cum emanc. lib. vel si sit filius , & ex alio filio jam mortuo nepos unus , & ex alio nepote ex eodem filio nato & mortuo duo pronepotes , unus in potestate , alter emancipatus , pronepos emancipatus fratri soli confert , non patruo : si non sit frater , soli patruo , non patruo magno : si non sit patruus , patruo majori , id est , filio ; quæ species est d. l. 1. §. ult.*

3. Et quidem secundum verba editi non aliter emancipati præteriti ad collationem urgeri videntur , quam si filii in potestate re tenti hæredes instituti , & ipsi contra tabulas bonorum possessionem petant , non si ea omissa ex testamento hæreditatem amplectantur : sed ex sententia editi etiam hoc casu conferendum iis esse Scævola respondit : quoniam pro parte sua bonorum possessionem petere potuerint ; & utique injuriam per bonorum possessionem emancipatis datam patiuntur. *l. si filius. 10. ff. hoc tit.*

4. Non obstat huic responso Scævolæ *l. 6. ff. de dot. coll.* nam longe diversa species in d. *l. 6. à Pomponio proponitur* , nimis ubi filius emancipatus hæres institutus est , & filia in potestate existens , ex hæredata , quæ in officiis lite perlata partem dimidiā hæreditatis abstulit ; quo casu ideo collationi locus non est , quia soror injury à prætore non afficitur , eo quod frater emancipatus ex judicio patris venit. At apud Scævolam in *d. l. 10. hoc tit.* refertur casus , quo filius ~~institutus~~ hæres est institutus præterito emancipato ; atque hoc casu ex æquitate inducitur collatio. An circa hos casus mutatio aliqua facta sit jure ~~non~~ , dicemus postea.

5. Hinc jam elicimus hæc consecaria. Primum est , quod emancipati sibi invicem ex edito nihil conferant , deficiente vide licet causa , propter quam collatio à prætore introducta est : nam cum pari jure omnes ad bonorum possessionem admittantur , nullo incommodo alter alterum afficit. *l. 1. §. totiens. 5. l. 2. §. si tres. 5. ff. hoc tit. l. 9. C. eod. aliis autem non confertur , quam quibus pars hæreditatis detrahitur ; nec alii conferunt , quam qui detrahunt.*

*I. 1. §. emancipatus. 13. de conjung. cum emanc. lib.*

6. Sed objicitur huic sententiae *I. 1. §. si sit filius. 16. d. tit.* Tractatur illic hac ab Ulpiano quæstio: Tres erant fratres, unus emancipatus, duo in potestate retenti, quorum alter duobus relicitis filii, uno in potestate avi, altero emancipato vita excedit. Avi mortuo filius emancipatus beneficio prætoris utitur, ut sibi ex hereditate patris partem ferre liceat. queritur quemadmodum bona sua, quæ ex eodem edicto fratribus conferre debet, partiri eum oporteat. Respondet Ulpianus ex sententia Scævole, tres eum partes facere oportere & superstiti filio trientem dare, sibi alterum retinere, nepotibus tertium conferre quoniam nepotes in filiorum gradum succedentes, etiam in hac collationis causa eodem jure uti debent. *I. 1. §. si pater. 4. d. tit. I. 2. §. si duo. 7. ff. hoc tit.* Dicit hic alius, si emancipatus emancipato non confert, soli nepoti in potestate retento conferri totum illum trientem oportere. Hæc obiectio eti Cujacio *lib. 3. obs. 29.* gravissima visa est, mihi tanen non videtur adeo magni momenti; quia collatio illa non fiet simul & conjunctim ambobus nepotibus, sed ei uni duntaxat, qui in potestate avi manserat: emancipatus autem frater edicti beneficio dimidiari ei partem auferet; atque ita non directo, sed per interpositam fratribus personam sextantem ex patru emancipati bonis consequetur: quoniam frater in potestate retentus fratem emancipatum admittere cogitur *I. 1. §. emancipatus. 13. ff. de conjung. cum emanc. lib.* & simile quid accedit in specie *I. 5. pr. ff. hoc tit.* Saport. *d. tract. n. 5. & seqq.* Suerin. *i. rep. lect. c. 46.* Hotom. *9. obs. 8.* Bachov. *ad Treutl. disp. de collat. th. 3.*

7. Ceterum Hotomannus & Bachovius addunt aliiquid, quod aut falsum est, aut non intelligo, quid sibi velint, nimirum per personam alterius nepotis, cui ajunt, liberos non habenti, cum frater idemque nepos emancipatus concurrens inferat injuriam, & ideo bona sua conferre teneatur, fieri, ut emancipatus patruus per consequiam, propter nepotem in potestate, cui ipse patruus injuriam facit, nepoti quoque emancipato conferat. An igitur cum nepote in potestate retento, sive ille liberos habeat, nepos idemque frater emancipatus non concurret, aut si concurrit, non infert injuriam aut necessitate conferendi non tenetur? ne ipsos, quidem hoc dicturos arbitror. Et credibile est. arg. *d. I. 1. §. emancipatus. 13. de conjung. cum emanc.*

*lib.* quem locum allegant, hoc eos sensisse, ipsum nepotem emancipatum, si liberos non habeat in potestate proavi retentos, fratri suo in potestatem conferre debere, cui alias non conferret, de quo in *pr. hujus capit. dictum est.*

8. Secundum consecutarium est; suos neque invicem sibi, neque emancipatis ex edicto conferre; quippe cessat & hic ratio collationis, quoniam si patri suo ab intestato succedentes aut inter se aut cum emancipatis, nec sibi invicem aliquid auferendo injuriam faciunt, cum æquali jure omnes heredes sint ex antiqua lege *12. tabularum*, nec emancipatis, à quibus potius ipsi injuriam patiuntur. *I. 1. pr. & §. totiens. 5. ff. hoc tit.* Sed nec extra bona castræ & quasi castræ, quæ libera sunt ab onere collationis. *d. I. 1. §. neo castrense. 15. filiifam.* quicquam de suo conferre poterant, cum cætera omnia parentibus suis, quorum in potestate erant, acquirerent. Saport. *n. 58.* Quod autem filiæ fam. dotem tam suis, quam emancipatis confert, id non ex edicto est, sed ex rescripto D. Pii *I. 1. de dot. collat. de quo iterum inferior.*

9. Tertium est; si emancipati scripti sint heredes una cum fratribus suis, & ex testamento hereditatem obtineant, eos bona sua fratribus non conferre. *I. 6. de dot. collat. I. Pomponi Philadelphus. 35. ff. fam. erc. I. 1. I. 7. Cad. hoc tit.* cessante videlicet etiam hic ratione edicti, quia nulla hoc casu fit injuria, neque quicquam fratribus avocatur, cum emancipatus à patre heres una scriptus est, & directo ex judicio patris succedit. Exciendum est, nisi testator expressim aliud caverit. *d. I. 1. & d. I. 7.* Ad hunc autem locum non pertinet *I. si non mortis. 25. ff. de inoff. testam.* quia nos loquimur de emancipato herede scripto: illic vero agitur de nihilo immerito ex herede scripto: cui competit querela inofficiosi testamenti.

10. Illud quæstum est, an collationi locus sit, etiamsi liberi tempore vel repudiatione exclusi ex primo capite *unde liberi*, ex secundo aut tertio capite, *unde legitimi* aut *unde cognati* admittuntur: & magis est, ut etiam hic collationi sit locus, ut ecce, duo sunt filii, alter in potestate, alter emancipatus: uterque patre intestato mortuo negligit petere bonorum possessionem ex prima parte, *unde liberis* desertur, & tempore exclusus est. Hic quidem ita jus est, ut nihilominus ex alia parte petere bonorum possessionem possint, filius in potestate vel ex capite *unde legitimi*, vel ex illo *unde cognati*; emancipatus ex ea parte *unde cognati* tantum: quippe absurdum prætori visum non est,

est, eos qui diversas habent qualitates: ex diversis quoque capitibus successive admitti, & ipsos libi ex hac parte successoria succedere, ita ut in specie proposita primo capite exclusi simul succedant ex alia atque alia parte editi, & suus unde legitimi, emancipatus unde cognati petere possint. *I. 1. §. sed videndum. 11. de success. edit. I. 6. §. 2. de carbon. edit. I. 4. §. 1. ff. quis ord. in bon. poss. serv.* Sed queritur an hoc quoque casu emancipatus fratri suo conferre debeat. Et puto, ut dixi, conferre debere: ex sententia nimurum editi, cui toties locus est, quoties aliquo incommodo is, qui in potestate est, afficitur interventu emancipati. *I. 1. §. toties. & arg. I. si filius. 10. ff. hoc tit.* & alias eludi posset conferendi necessitas. Confirmat hanc sententiam quod prætor liberos etiam ex inferioribus ordinibus venientes, non tantum ut agnatos aut cognatos, sed etiam ut liberos considerat. *I. 6. §. 2. ff. de carbon. edit.* estque hujus rei argumentum, quod annum nihilominus spatum habent, non ut cæteri, centum dies. *I. 4. §. 1. ff. quis ord. in bon. poss. serv.* Et cum igitur liberi etiam ex secundo & tertio capite veniant tanquam liberi & jure liberorum succedant, ratio nulla dari potest, cur alter alteri, cui injuria fit, conferre non debeat.

11. Hoc fundamento posito, non difficile erit respondere rationibus Baldi, Cagnoli, Alexandri, Riminaldi in *I. si emanc. 9. Cod. hoc tit.* & aliorum, ut Nemausensis tract. de collat. c. 2. num. 19. Petri Tholofani lib. 46. syntagm. c. 8. num. 24. quibus illi moventur in contrarium: veluti cum ita argumentantur; collationi locus non est inter agnatos & cognatos: at liberi ex inferiore ordine venientes vicem agnatorum & cognatorum subeunt, &c. hanc assumptionem fallam esse satis appareat ex iis, quæ modo dicta sunt. Nulla lege cautum eit, inquiunt, ut inter eos, qui ex secundo aut tertio capite veniunt, conferendi necessitas esset. Inepitatio, quoniam satis cautum est, ut sit collatio inter liberos: quos jam ostendimus, etiam tunc cum ex interiori parte veniunt, tanquam liberos & jure liberorum succedere. Perficie autem lapsus est Alexander in eo quod putavit collationem esse rem odiosam; tantum enim abest, ut odiosa haberi debeat collatio, ut contra eam favorem mereri videatur, tanquam conciliatrix concordiae & aequalitatis. Jure recentiori res est plane liquida, *I. ut liberis. 17. illic, quocumque jure intestatae successionis. Cod. hoc tit.* quod etiam Saporta tract. de collat. num. 72. bene observavit: & nostram hanc sententiam, quæ etiam communis est, contra

Vinn. Tract. Varii.

Bald. & alios jam olim recte tutati sunt Fulgos. & Roman. in *d. l. si emancipati. 9. Cod. hoc tit.* add. Gilken. in *d. l. 9. num. 45. & seqq.* Jure novissimo hæc disputatio pene supervacua videtur, postquam Nov. 118. c. 1. tres ordines facti succendentium jure civili.

12. Quæritur, an liberi, qui sunt in adoptiva familia, conferant fratribus suis naturalibus. Questio hæc videri potest incepta: nam liberi adoptati, quamdiu sunt in familia adoptiva, patri naturali sunt extranei, non tantum jure civili, sed etiam honorario: & ideo præteriti, si adhuc in adoptiva familia sunt, quo tempore naturalis parens moritur, nec ad bonorum possessionem contra tabulas, nec ad illam unde liberi à prætore vocantur. *§. hi. 10. cum seqq. Inst. de hæred. que ab intell. defer. §. adoptivi. 4. Inst. de exhær. lib.* Et quomodo ergo his questio moveri poterit de collatione, qui nihil auferunt? Et tamen apud Ulpianum *I. 1. §. is quoque. ff. h. t. legimus*, eum qui in adoptiva familia est, conferre debere, non quidem ipsum, sed qui eum habet in potestate, si maluerit bonorum possessionem accipere. *add. I. 12. de dot. collat.* quod à ratione juris plane alienum esse videtur. Et profecto ita est: sed locum istum Ulpiani restringi oportet ad casum, quo filius adoptivus à patre naturali hæres institutus est, præterito alio filio sive suo sive emancipato. Nam ita edictum prætoris conceptum fuit, ut beneficio præteriti etiam institutus recte pateretur bonorum possessionem contra tabulas. *I. 3. §. si quis. 11. I. si post. 10. §. ult. ff. de bon. poss. cont. tab.* quo casu res ad causam intentati redibat, & in terminis de datis in adoptionem idem Ulpianus in *I. 8. §. in adoptionem 11. de tit.* scribit eos à prætore non submoverti, modo hæredes instituti sint, eosque accipere bonorum possessionem contra tabulas; sed solos non commitere edictum.

13. Atque hæc explicatio & restrictio confirmatur etiam ex ipsa *I. 1. §. is quoque. 14. ff. hoc tit.* ait enim jurisconsultus, si pater adoptivus ante petitam bonorum possessionem filium sine fraude emancipaverit, eum ad collationem non cogi: atqui constat filium adoptivum post patris naturalis mortem emancipatum bonorum possessionem unde liberi aut contra tabulas petere non posse, hec cum non intelligeret Saporta, insigniter erravit, *d. tract. numer. 60. & seqq.* ibi ita disputat, ac si in *d. l. 1. §. 14.* ageretur de collatione à filio adoptivo facienda naturalibus liberis defuncti à quo & ipse adoptatus fuerat. Plane hodie postquam etiam inter institutos collationi locus esse cœpit, in casu proposito non amplius

O

desideratur, ut institutus beneficio præteriti bonorum possessionem contra tabulas petat. Apud nos, qui liberos adoptivos non habemus, hæc quæstio inutilis, ut & in relio Belgio, Grot. 1. manuduct. 6. Christin. vol. 4. decif. 185.

## C A P U T V.

*An alii prater descendentes collatione fungantur.*

## S U M M A R I U M.

1. *De veteri jure frustra queri, an inter adscendentēs collatio locum habeat.*
2. *Novo jure quæstionem illam colorem habere posse: sed nec hoc jure collationem isto casu admittendam.*
3. *Multo minus collationi locum esse inter laterales.*
4. *Collationem interdum officio judicis induci, deficiente remedio juris.*

1. **A**N adscendentēs liberis suis succedentes collatione fungantur, de veteri jure frustra queritur: quippe quo jure nunquam duo adscendentēs simul succedebant. Nam filius quidem in potestate hæredem ab intellecto habere non poterat, sed eo mortuo pater bona ejus jure peculii occupabat, etiam ipsa cal trensia. *I. 2. ff. de castr. pecul. §. 1. Inſt. per quas pers. cuiq. acq.* Emancipato autem liberos non habenti et si ab intellecto pater & mater succedebant, non tamen succedebant simul: sed pater excludebat matrem, sive ut manumissor hæres exiliteret, sive non manumissori competeter bonorum possessio. *I. 2. §. objicitur. 15. ff. ad senat. Tertul. I. 10. ff. de suis & legit.* qua in re iterum graviter errat Saporta putans patrem & matrem æqualiter ex Tertulliano admitti. *num. 64.* Mater vero excludebat avum & proavum, quos placebat in Tertulliano matri non nocere. *d. I. 2. §. objicitur.* Postquam autem liberis in potestate constituti concessa fuit proprietas bonorum maternorum & materni generis, datus quidem etiam his fuit hæres ab intellecto, sed fratres & sorores parentibus prælati. *I. 4. Cod. de bon. quæ lib. in pot. I. ult. Cod. comm. de success.* quod haud dubie etiam in successione liberorum emancipatorum simul obtinere coepit, ut tamen hic pater manumissor præferretur matri, jure veteri patri servato. *I. 2. Cod. ad sen. Tertull.* Jam vero cum fratres, qui parentibus in successione petiores erant, nihil invicem

conferrent, credibile non est ad parentes onus collationis pertinuisse; & ideo minus credibile, quia ante constitutionem Leonis nec liberi matri aut aviæ succēdentes, quicquam inter se conferebant: & omnino hic celsibat ratio, ob quam primum collatio introducta fuit, videlicet injuria, qua alter affiebatur detracta parte hæreditatis.

2. Sed postquam hæc ratio mutata est, & functionem collationis ex sola æqualitate estimari placuit, maxime jure novissimo, quo statim post liberos defuncti parentes ad successionem vocantur, & ita ut plures adscendentēs simul succedere queant, *Nov. 118. c. 2.* absurdum quibusdam visum non est, si dicamus nunc etiam parentes liberis suis succedentes, bona quæ ab his acceptarunt, in medium conferre oportere; quod & defendit Aretinus in *I. ut liberis. 17. Cod. hoc tit.* & defendi posse existimat Jason. in *I. 9. Cod. eod.* Sed cum nulla lege aut constitutione de collatione à parentibus facienda cautum sit, & tantum de æqualitate inter liberos servanda etiam novissima Justiniani sanctione *Nov. 18. c. 6.* mentio fiat, satius est, ut nos intra septa contineamus; præsertim cum multa alia de liberis constituta sint, quæ ad parentes produci non debent, quorum magnam partem collegit Jason in *I. ult. Cod. unde lib. add. Nemauf. c. 2. 19. & quæst. 20. Saport. num. 64. Sichard. ad rubr. Cod. hoc tit. num. 10. post Cynum. Bald. Caltr. Rimin. in *I. 9. Cod. eod.* late Gilken in *d. I. 9. num. 39.**

3. Multo minus collationi locus erit inter cognatos lineæ transversæ; quia quod quis a fratre, aut patruo vel avunculo, aut alias cognatus quis à cognato inter vivos habuit, non potest videri datum animo minuenda portionis hæreditariz potlea obtingentis. Inepte autem pro hac sententia argumentum adducitur ex *I. 3. §. 1. ff de leg. præf. contr. tab.* ubi negat jurisconsultus ex edicto illo legata conservari fratri & sorori. Nam si ex eo recte collegaris fratres & sorores collationi non esse obnoxios, necessario sequeretur onus collationis incumbere parentibus, quoniam his legata conserventur. *d. I. 3. §. 1. I. 1. eod.* Sed nimis æqualitas & communio, quam collatio introducit, iis tantum apta & conveniens est, qui succedant in bona demortui jure liberorum, quique simul veniunt jure quodam fraternitatis, quod ipsum per se nomen nihil aliud est quam æqualitas & communio, & ita *DD. comm. ad I. 9. Cod. hoc tit. Nemauf. c. 2. num. 1. Boer. decif. 302. Vasq. lib. 2 de succes. refol. §. 19. num. 27. Christin. vol. 4. decif. 2. num. 8.*

Ex consuetudine Burgundiae inter laterales quoque dandum esse locum collationi censet Challan. tit. de success. rubr. 7. §. 5. num. 59. & seqq.

4. Plane si æquitas rei potestatem collationis inducere debeat, deficiente juris remedio succedit officium arbitri familiæ ericunda, ne quis cohæredum id præcipuum habeat, quod circa cæterorum injuriam retinere non possit. Nam officium arbitri adminiculum est & auxilium subsidiarium, cui plerumque locus est ex æquitate, cum ratio juris deficit, ut in specie l. 2. Cod. de inoff. donat. item in l. filii. 16. l. filia. 18. & passim. Cod. fam. eric. Ant. Fab. Cod. suo hoc tit. defin. 1. & de patr. def. 2. ubi illud exemplum.

## C A P U T VI.

## De diverso jure succedentibus.

## S U M M A R I U M.

1. An locus collationi, ubi unus à patre institutus, alter exhæredatus est, sive uterque in potestate sit, sive neuter, & exhæredatus per querelam testamentum evertat.
2. Quid si emancipatus hæres institutus, frater exhæredatus.
3. Quid si emancipatus hæres institutus, frater præteritus.
4. Quid si filius in potestate hæres institutus, emancipatus præteritus.
5. Species l. 1. pr. ff. de dot. coll. & an ea præcedat, cum filia hæres scripta se miscuit, præterito forte filio emancipato.
6. Jure novo de his frustra disputari.

**D**UO sunt filii, quoram unus à patre institutus est hæres, alter exhæredatus, qui inofficio lite perlata partem dimidiā hæreditatis abstulit: potest enim testamentum ex post facto pro parte per querelam rescindi, & ita ex accidenti fieri, ut qui vi ipsa pro parte tantum testatus deceperit videatur. l. 15. in fin. l. circa. 24. & l. seqq. in fin. ff. de inoff. test. Itaque in casu proposito alter ex testamento, alter ab intestato succedit.

1. Quæritur, an locus sit collationi? Et jure quidem veteri nulla in hac specie erat collatio, sive uterque filius in potestate fuisset, sive neuter: nam nec sui inter se, nec inter se emancipiati eo jure quicquam confeabant, excepta filiasam. quæ ex rescripto D. Pii dotem conferre fratribus cogebatur, de quo dictum supra est.

2. Sed et si ponamus alterum fuisse emancipatum, alterum in potestate, & emancipatum à patre hæredem scriptum, fratrem exhæredatum, quamvis hic frater exhæredatus actione de inofficio mota testamentum patris pro parte postea everterit, & ita in partem dimidiā bonorum patris tanquam ab intestato succedit, cessabit nihilominus collatio: quoniam suus non conferebat emancipato, nec hic item emancipatus suo, propria quod ex judicio patris venit. l. pater filium. 6. de dot. collat.

3. Sed finge filium in potestate hæredem institutum, emancipatum præteritum, hic si emancipatus petita bonorum possessione contra tabulas testamentum patris pro parte evertat, etiam si frater omissa bonorum possessione, quam beneficio præteriti accipere poterat, ex testamento hæreditatem amplexus sit, jure quoque veteri emancipatus fratri suo hæredi conferebat, non quidem ex verbis edicti, aut summo jure: sed ex æquitate & edicti sententia: cum utique etiam hic bonorum possessionem ab emancipato agitam suus injuriam patiatur. l. si filius. 10. ff. hoc tit. multa in contrarium disputat Ant. Fab. dec. 40. & seqq. contendens d. l. 10. corruptam esse à Triboniano, additumque totum illum versum, Sed magis sentio &c. verum frustra & incassum; longeque alius casus proponitur. l. 6. de dot. collat. quam in d. l. 10. ff. hoc tit. illic proponitur filius emancipatus hæres institutus, filia in potestate exhæredata; hic filius in potestate hæres institutus, emancipatus præteritus.

4. Similiter rescripto Imperatoris D. Pii collatio producta est in specie l. 1. pr. de dot. collat. ubi filiasam. quæ neglecta bonorum possessione hæreditati paternæ se miscet, dotem conferre tenetur, cum ex edicto collatio tantum sit inter succedentes jure prætorio, bonorum possessione contra tabulas aut undiliberi petita. Quidam putaverunt hoc etiam procedere eo casu, quo filia testamento patris hæres scripta se miscuit, puta præterito filio emancipato, qui bonorum possessionem contra tabulas accepit, & sua bona conferre tenetur: neque hic ullam esse absurditatem, arg. d. l. 10. hoc tit. Ego tamen dubito, quoniam hic filia ex judicio patris directo venit, quo casu cessat collatio. l. 6. l. 7. ff. de collat. dot. l. 1. Cod. hoc tit. & si filia cum fratribus hæres instituta non confert. l. 7. C. eod. multo minus ad collationem urgeri posse videtur, si sola hæres scripta sit.

5. Finge iterum filium, qui in potestate est, hæredem scriptum, emancipatum exhæredatum, hic et si emancipatus ad bond-

rum possessionem contra tabulas non admittatur. *I. 8. pr. ff. de bon. poss. cont. tab.* ac proinde nec frater hæres scriptus beneficio ex hæredati, tamen si emancipatus de inofficio questus patris testamentum resciderit, adhuc dicendum videtur ex humanitate & sententia editi conferre eum debere fratri hæredi scripto, qui non minus per querelam inofficii, quam petita bonorum possessione contra tabulas injurya afficitur, adempta parte hæreditatis, & hoc fortius, quam in specie d. *I. 10. hoc tit.* An vero dicemus idcirco emancipatum hic non conferre, quia contra tabulas petere non potuit, & ideo hic cessare partes prætoris? arg. *I. 7. ff. de dot. collat.*

6. Sed de his frustra disputamus post constitutionem Leonis in *I. ut liberis. 17. Cod. hoc tit.* & jure novissimo cum etiam inter eos collatio locum habeat, qui ex testamento & judicio patris veniunt, neceſſe est, ut nunc etiam ii conferant, qui diverso jure veniunt: cui illud quoque consequens est, quod in casu d. *I. 10. hoc tit.* nunc mero jure collatio facienda sit, & facienda etiam in casu. *I. 6. & I. 7. ff. de dot. collat.* utpote sublatrum per Nov. *18. cap. 6.* quæ & communis est opinio, test. Jas. in d. *I. 17. Cod. hoc tit. col. 5. vers. in ultima parte.* Graff. lib. *2. rec. tent. quæst. 4* Nemausen. *d. tract. quæst. 32.* Valsq. lib. *1. de success. resol.* §. *19. num. 54.* & seqq.

## C A P U T VII.

*De mutatione progressu temporis facta circa personas conferentium.*

## S U M M A R I U M.

1. Collatio dotis à quo quam ob causam imposta filiæfam.
2. A quo quam ob causam collatio dotis & donationis propter nuptias liberis omnibus injuncta.
3. A quo qua de causa producta collatio ad succedentes in linea materna.
4. Item ad nepotes & neptes succedentes cum patruis & avunculis.
5. A quo tandem quam ob causam tracta collatio ad succedentes ex testamento.
6. Inter liberos collationem fieri debere, etiam si cum his extraneis heres scriptus sit.
7. Ad excludendam collationem sufficere voluntatem defuncti ex evidentiibus conjecturis elicitar.
8. Non conferri, quod datum est ultra portionem hæreditar. am.

PROCEDENTE tempore etiam liberis in potestate positis onus res quasdam conferendi impositum est, & tam invicem sibi, quam fratribus emancipatis simul ex edicto succendentibus, bonorum scilicet possessione unde liberi aut contra tabulas petit.

1. Et quidem primus D. Pius constituit, ut filiæfam. dotem, quam à patre accepit, ut promissam habebat, fratribus conferret. *I. 1. pr. ff. de dot. collat.* junct. *I. 3. I. 4. I. 8. I. filia. 12. C. hoc tit.* quod ratio æqualitatis suasit, eo quod pater dotem ex officio dare tenetur, & dos etiam profectitia propter jus filiæ, quod constante matrimonio habet, è bonis patris quodammodo exire, de quo dictum superius c. 2. Putaverunt nonnulli obstat. *I. Pomponius Philadelphus. 35. ff. fam. ercisc.* sed male: quoniam Papinius illic tractat de filia testamento patris hærede instituta, quo casu filia non conferebat dotem. *I. 7. C. hoc tit.*

2. Quod cum à D. Pio constitutum esset in dote, Leo Imperator, propter similitudinem dotis, idem juris esse voluit & in donatione propter nuptias, quæ veluti alia quædam dos sive *ανθρώπη* & dotis quædam compensatio est; veteribus autem incognita. *I. 29. C. de inoff. testam.*

3. Idem Imperator collationem produxit etiam ad successionem intestatam in linea materna. *I. ut liberis. 17. C. hoc tit.* Itaque ex eō tempore liberi omnes, sive sui sint, sive emancipi, sive soli sui, sive soli emancipi, sive inter se mixti, sive nec sui, nec emancipi, quocunque jure intestatae successions parentibus hæredes existant, ad collationem vocantur. Hoc autem ex sola consideratione æqualitatis à Leone constitutum est: nam liberi matri non acquirunt, aut matri ex senatusconsulto succedentes, quemquam injurya afficiunt, præter agnatos, quibus alias ex lege duodecim tabularum deberetur hæritas: sed horum in causa collationis nonquam ratio habita fuit.

Plenius itaque Leo non solum in dote, sed etiam in donatione propter nuptias de collatione cavit; videlicet ut sine distinctione à patre, an à matre, avo, avia, proavo, proavia, paternis, maternis dos aut donatio propter nuptias profecta esset, conferretur; idque locum habere voluit tam in suis, quam in emancipatis. d. *I. 17.*

Justinianus autem insuper sustulit scrupulum, qui ortus erat ex constitutione Arcadii & Honorii in *I. nepotes. Cod. Theod. de legit. hæred.* an quod statutum erat in collatione per nepotes avunculis facienda, etiam in patruis, amitis, materteris, &

contra probandum esset. Fecit hoc Justinianus in l. illam. 19 C. eod. ubi scrupulum illum tollens generaliter caveret, ut nepotes avo aut avix succedentes ab intestato non tantum inter se, sed etiam patruis, avunculis, amitis, & materteris defuncti liberis ac cohaeribus suis, atque hi vicissim illis conferant. Bart. Jas. Alex. & alii ad d. l. 9.

4. Nondum erat collatio inter eos, qui succedebant ex testamento. l. 6. l. 3. ff. de dot. coll. I. Pomponius Philadelphus 35. ff. fam. ercise. l. 1. l. 7. C. hoc tit. nisi nominatum testator collationem injunxit. d. l. 1. Cod. hoc tit.

5. Tandem autem etiam hoc jus mutavit Justinianus; atque ut omnimodo æqualitas inter liberos servaretur, constituit, ut liberi, quamvis heredes scripti bona inter se conferant, uti conferent, si ab intestato parenti successissent, nisi testator expresse collationem remiserit aut inhibuerit. Nov. 18. c. 6. unde auth. ex testamento Cod. hoc tit. Alter nimurum testamento factò Justinianus voluntatem patris de collatione admittenda interpretatus est, aliter veteres & priores legum conditores. Veteres verba defuncti sequuti sunt, & ex verbis de collatione judicabant, ut si testator collationem injunxit, bona conferri deberent; si de collatione nihil dixisset, tunc nihil quoque conferri ex voluntate ejus deberet. Justinianus autem sententiam parentum spectavit, non verba, & credidit, nec sine ratione, semper in dubio hanc videri esse mentem & votum patris, ut æqualitas & concordia inter liberos servetur, nec alter plus altero consequatur. Quod autem de collatione nihil caverit pater, id videri factum, quia aut cogitatione mortis præpeditus ~~est~~ <sup>est</sup> ~~in~~ <sup>ad</sup> ~~memor~~ <sup>memor</sup> ~~re-~~ <sup>re-</sup> ~~co-~~ <sup>co-</sup> ~~memor~~ <sup>memor</sup> aut alia cogitatione impeditus, non meminerit eorum, que prius a se data fuerunt. Ad hanc enim æquitatem ut res revocetur, expresse testatur Imperator, sed etiam collationem exigere à scriptis hæreditibus. d. Nov. 18. c. 6.

6. Nec dubito, quin inter liberos collatio fieri debeat, etiamsi cum his extraneus aliquis hæres scriptus sit, quoniam cum per adjectionem extranei hæredis non tollatur ratio juris novi, quæ æqualitatem inter liberos desiderat, nec hac adjectione videri potest remissa collationis necessitas. Extraneo autem hæredi conferendum esse, aut hunc conferre oportere nemo credo dixerit. Nemaus. cap. 2. num. 18. Rimin. in l. 9. hoc tit. num. 181. Ant. de Amat. num. 156. Ø seq. 7

7. Illam autem restrictionem nostram nisi testator expresse collationem remiserit aut

prohibuerit, juxta d. Nov. 18. cap. 6. non sic accipi volumus, quasi ad excludendam collationem omnino necessariam putemus verbis directo inhibentibus aut remittentibus expreas parentis voluntatem: sed voluntatem quoquo modo significatam, iis tamen verbis, unde ea probabiliter colligatur: veluti si pater majorem partem bonorum filio assignaverit, quam filiæ, addita hac ratione, quod filiam dotasset: ex eo enim fatis intelligimus eum nonnullæ dotem à filia conferri per l. ex parte. 39. §. 1. ff. fam. ercise. & ibi Costal: unde Wameſ. cent. 2. Civil. conf. 44. recte respondit, testatorum, qui quasdam res à filia conferendas specialiter designaverat, intelligi reliquas à collatione exemisse. Sed & in casu praecedente idem probandum esse, licet causam inæqualis divisionis non expresserit pater; & ad collationem impediendam, si alias inæqualitas oriretur, sufficere voluntatem defuncti conjecturis collectam, contra Fulgos. & Roman. contendit Aretin. in l. 9. Cod. hoc tit. col. 2. arg. d. l. 39. §. 1. fam. ercise. cuius sententiam ab æquitate commendat Nemaus. quæst. 33. sequitur Cravett. conf. 85. Ø 125. Surd. conf. 143. num. 18. Ø 19. & alii laudati & probati à Fachin. lib. 5. cap. 78. quibus suum quoque calculum adjicit Cl. D. Tulden. ad C. hoc tit. num. 2.

8. Qua eadem ratione, ersi regulariter dos conferri debet, tamen si pater majorem filio, quam filiæ portionem reliquerit, censendus est tacite onus conferendi remisisse. Mantic. lib. 6. de conj. ult. vol. tit. 2. n. 11. post. Odofr. Alber. Floria. & alios ibid. citatos. Denique ob hanc eandem causam non confert, quod præter & ultra portionem hæreditariam datum est; veluti si pater filiæ suæ nomine dotem dederit centum aureorum, addita hac clausula, idque ultra eam portionem, quam in bonis meis me defuncto habituera est, quippe qua adjectione collatio non obscure remittitur. Ant. Fab. C. suo tit. defin. 2.

## C A P U T VIII.

*De filio & ex eo nepote institutis; deque filia inlitura, que alias, statuto, extantibus masculis, excluderetur.*

## S U M M A R I U M.

1. Certo jure olim cessasse collationem, si filius & simul nepos ex eo instituti fuissent.

2. Sed nec novo aut novissimo jure collationem isto casu procedere.
3. Casus superiori non absimilis.
4. Filiam, quae statuto à successione patris extantibus masculis excluditur, hæredem cum fratribus scriptam, collationi obnoxiam non esse.

1. **JURE** veteri, si pater filium & ex eo nepotem hæredes instituisset, cessasse collationem certum est: quoniam omnium institutorum idem jus erat, cum omnes venirent ex judicio parentis, ut & succederent jure proprio, & nemo per alterum in commodo afficeretur: sic enim si emancipatus una cum suo hæres institutus fuerat, cessabat ob eandem causam collatio, & omnino non erat locus collationis inter succedentes ex testamento, de quo *cap. preceed.*

2. Sed nec novissimo jure, quo etiam inter succedentes ex testamento jus collationis est, in casu proposito collatio admittenda; quia cessat ratio, ob quam etiam in testamentaria successione locum habere collationem placuit, nimurum conservatio æqualitatis inter liberos: sed inter eos liberos nimurum, qui jus æquale habent in successione paterna, & qui, si testamentum factum non esset, jure liberorum ab intestato hæreditatem obtinuerint; quod in proposito non est, utpote cum pater in successione intestati nepotem ex se natum in totum exclusisset. Absurdum quippe est dicere eos, qui in successione intestati jus nullum habent, si fuerint cum aliis instituti, inducere collationem; nam æqualitas illa respici æquale jus liberorum in successione intestati, & alias magis induceretur inæqualitas; ita post DD. vulgo in l. 9. Cod. hoc tit. Nemaus. quæst. 25. Pet. Tholos. 46. syntagma. 8. numer. 24. Gomes. ad legem Tauri. 29. Gilken. in l. 9. Cod. hoc tit. numer. 48.

3. Similiter si verbi causa testator Titium filium suum ex sola portione legitima hæredem scriperit, in reliquis autem bonis nepotes tum ex eodem Titio, tum ex Mævio filio altero prædefuncto, dicendum est Mævii liberos donationem propter nuptias, quam pater eorum à testatore eodemque patre suo acceperat, conferre non teneri; quoniam testamento non conditio liberi Titii in successione avi nihil juris vivente Titio habituri fuissent, sed extraneorum loco futuri. Et mirum est eos, qui secus sentiunt, ad confirmationem contraria sententiae proferre l. si nepotes. 7. ff. hoc tit. & l. ut liberis. 17. Cod. eod. quippe quibus lo-

cis agi constat de successione intestata, ac proinde de iis nepotibus, qui in ea successione jus habent, eo quod successerunt in locum patris d. l. 7. aut etiam matris juxta jus novum introductum à Leone in d. l. 17. Quamvis autem Justinianus collationis jus produxerit etiam ad successionem testamentariam, semper tamen ponendi sunt termini habiles καὶ ἡ διάλεκτος, ut ipse loquitur; nempe si illi liberorum hæredes instituti fuerint, qui & ab intestato venire poterant, aut qui immetato ex hæredati præterite, queri de inofficio, vel bonorum possessione contra tabulas petita testamentum patris evertere possent. Ita recte Curia Frixi apud Joan. à Sande lib. 4. tit. 10. defin. unio.

4. Ex his fere judicari etiam potest, quid ad illam alteram quæstionem respondendum sit, an filia statuto existentibus masculis à successione ab intestato exclusa, & à patre simul cum fratribus hærede instituta, ad collationem vocanda sit: nimurum idem, quod in casu superiori, non cogendam conferre: quoniam cum ita exclusa nihil juris habeat in successione patris intestato mortui, si instituta sit, tanquam extranea venire videatur: extraneos autem collatione non fungi in confessu est. l. ult. Cod. comm. utr. jud. Utique jure liberorum censendi non sunt, quibus nec legitima debetur, sed qui aleni tantum, & qui nec bonorum possessionem unde liberi, nec præteriti contra tabulas petere possunt, nec ex hæredati queri de inofficio. Quod si soror in proposito fratribus conferre deberet, fratres quoque vicissim huic conferre tenerentur; quod est absurdum & contra sententiam ac favorem statuti. Nec obstat, quod statuto duntaxat locus sit in causa intellectu, hic autem filia hæres cum fratribus instituta proponatur, atque, ut vult Jason. in l. 9. Cod. hoc tit. col. 8. non ut extranea, sed ut filia ex paterno affectu; nam æquale jus liberorum, quod habuissent in causa successoris ab intestato, etiam fundamentum est collationis facienda in successione testamentaria. Nov. 18. cap. 6. & magis est, ut quod ex testamento patris hic filia consequitur, id exterio jure, ut quilibet alius extraneus, capiat. arg. l. à patre. 10. Cod. hoc tit. ita Nemaus. d. quæst. 25. Pet. Tholos. d. num. 24. Cravett. l. conf. 11. num. 13. post Bald. in l. ult. Cod. de lib. præt. col. fin. Birt. in l. ult. ff. ad Sen. Tertull. Rimini. ad l. 9. Cod. hoc tit. num. 237. & seqq.

## CAPUT IX.

*Quando seu qua in successione locum  
habeat collatio.*

## SUMMARIUM. \*

1. Olim collationi locum non fuisset, nisi in successione ab intestato.
2. Quid si non testamentum, sed codicilli facti essent.
3. Confutatio vulgata distinctionis inter codicillos de toto & de parte disponentes.
4. Qui bonorum possessionem omittit contentus codicillo sibi reliquo, ad collationem non urgetur.
5. Cur codicillis factis collatio nihilominus processerit, testamento factio non item.
6. Questiones hujusmodi hodie supervacuas esse, post Nov. 18. c. 6.

1. OFFERT se nunc tertia questio, quan-  
do seu qua in successione collationi  
sit locus. Olim qui ex judicio patris ve-  
niebant, non sustinebant onus collationis,  
nisi id expresse injunctum fuisset: sed col-  
latio tantum locum habebat in successio-  
ne intestata. *I. 3. I. 6. ff. de dot. coll. I. 1.  
I. 7. I. ut liberis. 17. C. h. t.* quanquam nihil  
intererat, testamentum factum non esset,  
an quod factum erat, eversum esset per  
bonorum possessionem contra tabulas, aut  
per querelam inofficiosi. *I. 4. d. I. 17. C.  
hoc tit.* atque ejus rei jam sape mentio fa-  
cta est.

2. Quæstum autem ab interpretibus est,  
quid juris fuerit, si non testamentum, sed  
codicilli facti essent. Curtius, Cagnol, Ri-  
minald. in *I. 9. C. h. t.* distinguunt inter co-  
dicillos disponentes de toto, & disponentes  
de parte aliqua, atque illi assertunt colla-  
tionem impeditam fuisse, his non item:  
nimur illi codicillos, quibus disponitur  
de toto (quanquam hoc minus accurate di-  
citur, cum codicillis non detur hæreditas)  
putaverunt comparandos testamento, ut  
sicuti testamento institutus filius emancipa-  
tus non conferebat, ita nec collationi ob-  
noxius fuerit in casu codicillorum disponen-  
tium de toto, id est, ut ego puto, de bo-  
nis universis aut parte hæreditatis emان-  
cipato restituenda, quoniam hic succedit tan-  
quam ex judicio patris: at ubi de re aliqua  
singulari disponunt, idem dici non posse.

3. Ego vero non possum animadvertere,  
quid ad causam collationis intersit, de  
toto codicilli, an de parte disponant: sicuti

dem ex codicillis non succeditur: de colla-  
tione autem queri non potest, nisi inter eos,  
qui simul succedunt. Ponamus patrem filium  
emancipatum codicillis rogasse, ut portio-  
nem hæreditatis fratri suo in potestate re-  
tentio restituat. Hic filius emancipatus non  
succedit ex codicillis, aut directo venit ex  
judicio patris; sed ut succedat, beneficio  
prætoris opus est, bonorum possessione unde  
liberi: quam si petat, bona sua fratri,  
cum quo simul succedit, ne incommodet  
suo hæredi, conferre debet. Partem autem,  
quam rogatus est restituere, restituet, re-  
tentia quarta ex Senatusconsulto, eamque  
præcipuum habebit. *arg. I. à patre. 10. I.  
filiam. 16. C. h. t.* Idemque omnino juris est,  
si liberi emancipati codicillis rogati sint de re  
singulari fratribus in potestate retentis resti-  
tuenda *dd. II.*

Ponamus ex contrario patrem codicillis à  
filio in potestate constituto fideicommissum  
hæreditatis aut rei singularis reliquisse filio  
emancipato: nihilo magis emancipatus ex  
judicio patris succedit, & codicillis non  
obstantibus bonorum possessionem unde liberi  
petere debet: quam si petierit, cum filio in  
potestate concurrens bona quoque sua  
conferre cogitur, ut tamen quæ codicillis  
reliqua sunt, quoniam extero jure capiuntur,  
præcipua habeat. *I. à patre. 10. I. filiam. 16.  
C. hoc tit. & ibi Gloss. & DD.*

4. Plane si bonorum possessionem omis-  
tit, contentus eo, quod sibi reliquum est  
codicillis, hoc casu ad collationem eum  
urgeri non posse certum est: quoniam ne-  
mo ad collationem vocatur, qui non appe-  
tit successionem. *I. ult. ff. hoc tit. I. ex cau-  
sa. 25. C. fam. ercise.*

5. Sic ergo omnino habendum, jure veteri  
locum esse collationi etiam tunc, cum  
codicilli facti sunt, quoniam nihilominus  
succeditur ab intestato; sed codicillis uni  
ex liberis reliqua in contributionem non ve-  
nire; quia hoc non ut liberi, sed ut extra-  
nei quilibet, capiunt. *dd. II. junct. I. 1. §. 6.  
ff. h. t.* Testamenti longe alia ratio est: nam  
si in eo institutus esset filius emancipatus,  
tum & partem suam, ex qua hæres scriptus  
erat, consequebatur, & de suo nihil con-  
ferebat: quoniam directo ex judicio patris  
succedebat: si vero præteritus esset, hic  
contra tabulas bonorum possessionem pe-  
tens, quod ipsi reliquum erat, præcipuum  
habere non poterat, cum testamento &  
judicium patris everteret. *I. 5. §. 2. ff. de le-  
gat. præstand. add. Ant. Fab. dec. 40. err. 4.*

6. Hæc quæstio adhuc locum habere po-  
test, sicuti locorum observetur, ut colla-  
tio tantum fiat in causa successionis ab

intestato; alias supervacua est, cum jure communi ex constitutione Novella Justiniani etiam ex testamento conferri oporteat, & omni casu, quo collationem ab intestato fieri necesse erat; nisi collatio expressim prohibita aut remissa sit. *Nov. 18. c. 6.* unde *aut. ex testamento. C. h. t. & ibi DD. vulg.*

## C A P U T X.

*De bonis collationi obnoxiiis, & contra.*

## S U M M A R I U M.

1. 2. 3. 4. 5. His numeris continetur brevis quedam repetitio eo-um, quæ supra disputata, præsentim cap. 2.
6. Distinctio peculii filiorum fam.
7. Hanc distinctionem in argumento de collatione etiam in emancipatis usum habere, & id quoque profectitum censeri, quod à matre obvenit.
8. Appellatio superioris distinctionis ad collationem.
9. Bona castrrensis collationis immunia.
10. Item quasi castrrensis.
11. Quid juris de libris filio literis operam danti à patre suppeditatis.
12. Quid de datis filio jam gradum adepto.

**H**ÆC quarta principalis quæstio est, ceteris prolixior & subtilior. Ex his, quæ supra disputavimus, intelligi potest, liberos emancipatos cum suis concorrentes omnia bona, que si in potestate mansissent, patri acquisituri fuerant, juxta edictum generale conferre debuisse. Itaque sola castrrensis & quasi castrrensis fratribus conferre, *i. i. §. nec castrrense. 15. ff. hoc tit.*

2. Post rescriptum Divi Pii sui heredes inter se aut cum emancipatis concurrentes dotem conferebant: sed dotem duntaxat; nam donatio propter nuptias adhuc erat incognita, & cetera bona vel profectitia vel adventitia in hereditate patris manebant, inter heredes dividenda.

3. Postea donatione ante seu propter nuptias introducta, placuit ut hanc etiam liberi conferrent, si modo profecta esset ab eo parente, de cuius hereditate dividenda ageretur: quod sua sit ratio æqualitatis, *i. ut liberis. 17. C. hoc tit.*

4. Adhuc præter profectitia etiam pleraque adventitia parenti, cuius in potestate erant, liberi pleno jure acquirebant; sola materna & materni generis excipiebantur. Itaque verisimile est emancipatos in hujus

generis bonis tantum ab onere collationis exemptos fuisse: quoniam eti in potestate mansissent, horum proprietatem non patri, sed sibi acquisivissent: ob hanc enim rationem duntaxat castrrensis & quasi castrrensis non conferebantur.

5. Postquam autem adventitiorum omnium proprietas liberis in potestate constitutis concessa fuit à Justiniano, recte eidem Imperatori visum est ne quicquam conferretur præter profectitia, id est, ea, quæ ex bonis parentis, de cuius successione quæritur, profecta sunt, *i. ult. C. hoc tit.*

Sed antequam speciatim definiamus, quæ res conferendæ sint, aut non conferendæ, utile erit genera bonorum, quæ liberi habent, sive in potestate sint, sive non sint, accurate distingui.

6. Quicquid filiis fam. habent, sive concessionis patris, sive partum suo labore, aut aliunde quæsum, id uno nomine peculium appellatur. Hujus autem peculii quatuor sunt genera 1. castrrense, quod per occasionem armatae militiae filiorum fam. quæsum est. 2. quasi castrrense, quod in toga reipub. operam navans paravit 3. profectitum, quod à patre sive contemplatione patris ab aliis ad filium proficiuntur. 4. adventitium, quod aliunde obvenit, *i. ult. C. de inoff. test. §. 1. Inst. per quas pers. cuiq. ac. Primum & secundum genus bonorum pleno jure est ipsorum filiorum fam. tertium pleno jure patris; quarti ususfructus ad patrem pertinet, ad filium proprietas, *d. §. 1.**

7. In eos autem, qui sunt sui juris, eti hæc distinctio & nomen peculii non cadit, *d. i. ult. Cod. de inoff. test. i. paterfam. 182. de verb. sign. attamen in argumento de collatione bonorum, cum quærimus, cuius conditionis bona conferri oporteat, etiam distinctione illa uti licebit, & abuti nomine peculii in emancipatis aut alias sui juris factis, i. i. §. nec castrrense. 15. ff. hoc tit.* Sed & quicquid provenit ex bonis ejus parentis, de cuius successione agitur, etiam si mater aut avia sit, pro profectitio, quoad effectum conferendi habendum est, *i. ut liberis. 17. C. eod.*

8. Jam vero juxta hanc distinctionem bonorum sic statuendum est, cuius generis bona filius si sit in potestate patris, patri non acquirit, sed sibi præcipua habet, ejusdem generis bona emancipatus fratribus conferre non debet: sed uti fratres sua illa præcipua haberet, ita & emancipati ejusdem generis bona præcipua habere debent. Contra vero cuius generis bona filius, qui in potestate mansit, patri suo acquirit, ejusdem generis bona emancipatus fratribus confert: quoniam

quoniam cum hujus generis bona in filios-  
fam. collata, veniant sua sponte in divisionem paternæ hæreditatis, & ita communici-  
centur cum emancipatis fratribus, iniquum  
est ejusdem g. neris bona emancipatos in di-  
visionem hæreditatis non conferre, l. filia.  
12. C. hoc tit.

9. Igitur ut dicere coepерamus, non con-  
feruntur bona castræ, l. ult. C. hoc tit.  
& jam olim hæc fratribus suis non confere-  
bant emancipati, l. i. §. nec castræ. 15. ff.  
eod. l. 12. C. eod. nempe quia & si fratres,  
qui in potestate manerunt, ejusdem generis  
bona acquisivissent, ea in divisionem hæ-  
reditatis paternæ non veniebant, sed præci-  
pua sibi habebant, utpote patri nunquam  
quaesita, sed illis pleno jure tributa tanquam  
patribus fam. §. 1. Inst. per quas perf. cuiq.  
acq. Proinde nec si quæ res mobiles à pa-  
tre, aut à matre, aliisve propinquis aut  
amicis filio in militiam eunti donatae sint,  
puta equi, arma &c. conferentur, quia ca-  
strensi peculio cedunt, l. 4. C. fam. ercif. l. i.  
C. de castr. pecul. lib. 12. Sed & ex alio quo-  
que capite, quæ ita donata sunt à propin-  
quis, aut amicis, non conferuntur, quia  
non conferuntur adventitia.

10. Eadem ratio est & bonorum quasi ca-  
strenium, d. l. i. §. nec castræ. 15. ff. hoc  
tit. Itaque si quid filii in aliquius dignitatis  
aut administrationis gradu positi, si causas  
in foro orantes, si liberales artes publice pro-  
fientes &c. acquisierint, id in collationem  
non venit.

11. Quæsum est, an idem dicendum sit  
de libris à patre filio literis operam navan-  
ti emptis & traditis, ut & ipsi tanquam  
quasi castræ peculium non conferantur.  
Hanc quæstionem prolixe tractat Gilken. ad  
auth. ex testamento. n. 29. & multis seqq. C.  
hoc tit. Sed nihil opus est tam operosa dis-  
putatione. Nam si illa librorum datio aut  
suppedatio à patre revocari potest, ante-  
quam gradum accepit filius, quod plerique  
concedunt cum Bart. in l. i. §. nec ca-  
stræ. 15. ff. h. t. Ias. in l. filia. 12. C. eod.  
Bald. in l. 5. C. ad Sen. Maced. & recte, arg.  
l. sive emancipatis. 17. C. de donat. l. 10. l. à  
marito. 18. C. de don. int. vir. & ux. libri ita  
à patre comparati & studiorum causa filio  
traditi, pro quasi castræ peculio haberri non  
possunt. Imo nec studiosi, quamdiu in cursu  
sunt, quasi castræ peculium habent: uti-  
que non recensentur in eorum numero, qui  
habent, l. ult. C. de inoff. test. nulliusque mo-  
menti est argumentum pro contraria senten-  
tia ductum à privilegiis, quæ studiofis con-  
cessa in auth. habita. C. ne fil. pro patr. Quæ  
enim hæc collectio est, Imperator quædam

privilegia doctoribus & studiofis promiscue  
concessit; ergo conditionem eorum exequa-  
vit? Ac proinde si pater prius mortuus fue-  
rit, quam filius cursu studiorum suorum ab-  
soluto titulum Doctoris, Licentiati, aut  
Magistri meruerit, dici non potest, libros  
illi subministratos quasi castræ peculio ac-  
censendos & collationes imtunes esse: quod  
& ipsum confirmant Bald. Castr. Fulgof. in  
l. i. si donatione. 13. C. hoc tit. Ant. de  
Amatis l. 9. Cod. eod. n. 139. & plures alii,  
quos memorat Gilken. ubi sup. n. 42.

Sed neque ex illo capite, quo donatio  
simplex non confertur, libros filio bonis ar-  
tibus operam danti à patre datos à colla-  
tione eximere possumus: quoniam ut recte  
Bald. in d. l. 5. C. ad Sen. Mac. pater filio  
scholari emens libros, eos donare minime  
censendus est: & l. i. C. de castr. pec. acci-  
pienda de iis, quæ filio donata sunt, non  
quæ simpliciter data aut concessa. add. Si-  
chard. in l. filia. 18. C. fam. ercif. n. 3. & 4.  
& in auth. ex testamento. C. h. t. n. 20. Plane  
si pater libros, quos filio comparaverat, eum  
patiatur retinere etiam postquam titulum  
Doctoris &c. adeptus est, ex eo tempore  
peculio quasi castræ adscribendi videntur,  
rataque esset atque irrevocabilis donatio,  
arg. l. Sticho. 53. ff. de pecul. l. donationes. 25.  
C. de don. int. vir. & ux.

12. Sane enim si filio jam titulum Docto-  
ris adepto, atque in foro versanti libros ali-  
quos pater dedisset, eos peculii quasi ca-  
strensis jure censi oportere crediderim. Alber.  
de Rosat. in l. 13. C. h. t. n. 7. Bart. in l. i.  
§. nec castræ. n. 2. ff. eod. late Salic. in l.  
filia. 18. C. fam. erc. n. 14. & 15. Sichard. in  
d. auth. ex testamento. n. 20. Valfq. lib. 2. de  
success. resol. §. 19. n. 30. & seq. Schneid. in §.  
quadam. Inst. de act. ibi de actione fam. erc.  
n. 48. Perez. C. hoc tit. n. 12. Gilken. ubi sup.  
n. 35. & ibi citati.

## CAPUT XI.

De collatione adventitiorum.

## SUMMARIUM.

1. Adventitia jure novissimo non conferun-  
tur.
  2. Nec emancipatis horum conferendorum  
onus incumbit.
  3. An fructus adventitiorum ab emancipatis  
conferendi.
  4. An si percepti à filio fam.
1. SECUNDUM distinctionem bonorum ca-  
pite præcedenti positam, nec adventi-

tia hodie in collationem veniunt. Nam postquam constitutionibus Imperatorum recentiorum & maxime Justiniani effectum est, ut nec peculium adventitium acquiratur patri, quod ad proprietatem attinet, recte vi sum eit Justiniano & superioribus convenienter, ut bona quoque adventitia collationi eximerentur: propter eandem videlicet rationem, ob quam placuit, ne castrensis aut quasi castrensis conferrentur, l. ult. C. hoc tit.

2. Et igitur nec emancipati jam necesse habent conferre, quæ ipsis aliunde quam à patre obvenerunt, ut recte statuunt DD. comm. in & per d. l. ult. C. hoc tit. Etenim correcta ratione legis, & ipsa lex cor recta intelligitur. Cum ergo Justinianus in d. l. ult. ad exemplum castrensis peculii hoc se sancire testetur, ne ea quæ parentibus non acquiruntur, collationi post mortem parentum subjaceant, etiam hoc sancire simul intelligitur, ne emancipati ea, quæ si in potestate mansissent, patri non acquisiverint, conferre necesse habeant, quippe cum ob hanc unam causam emancipati olim castrensis conferre non tenerentur; quoniam etsi in potestate mansissent, nihil tamen juris in his patri acquisitum fuisset. Dissentit tamen Nemaus. c. 2 n. 10. post Odoft. in d. l. ult. & Jac. de Ravenn. relatum ab Alex. & Jaf. Sed horum argumenta nullo negotio convelli poterunt, dummodo nostra bene expendantur. Nam quod ajunt certo jure constitutum esse, ut emancipati una cum suis hereditibus ad hereditatem paternam aspirantes omnia bona sua in medium conferant, l. 1. pr. ff. hoc tit. l. 6. C. eod. nullamque legem aut constitutionem proferri posse, qua hæc illis necessitas remittatur, hoc ex eo refellitur, quod Justinianus in d. l. ultim. quæ edita est Lampadio & Oreste Coss. necessitatem collationis attemperavit rerum acquisitioni; & bona adventitia in causa collationis ejusdem juris esse voluit, cuius jam antea erant castrensis; quæ constat nunquam in collationem venisse.

3. De fructibus tamen adventitorum adhuc quæsum est, an non hos saltem emancipati conferre teneantur, quoniam si in potestate mansissent, eorum commodum patri quæsum fuisset. Quod omnino affirmandum videtur, sive novi juris rationem spectes, æqualitatem videlicet; sive veteris, quia quantum ad fructus, hodieque liberis in potestate retentis assertur incommodum, cum illi fructus acquirant patri. Idque pro certo post Cyn. Bart. Castr. Ful gol. tradit Jaf. in d. l. ult. col. 2. Nec

obstat, quod objicit Nemaus. quæst. 8. quod filius emancipatus, statim pleno jure hosce fructus sibi acquirat: sufficit enim ad onus collationis, quod patri acquisiti fuissent, si mansisset in potestate. Cogitandum tamen an non officio arbitrii familiae excusanda collatio ita moderanda sit propter alimenta, quæ filio in potestate pater præstitit, cum emancipatus se ipse exhibere debeat, per ea, quæ supra c. 5. in fin.

4. Ex contrario quoque fructus bonorum adventitorum à filio fam. percepti conferendi sunt; quoniam adventitia, quatenus eorum possessio & usus conceditur filio, naturam quodammodo induunt profectitiorum, quorum proinde fructus præcipuos sibi retinere filius non potest. Imo vero adventitorum fructus omnes jure profectitiorum censendi, quia ad patrem pertinent. Accedit & ratio æqualitatis, quoniam ut jam dictum est, emancipati eorundem bonorum fructus conferre tenentur. Plane si sine dolo malo consumpti fuerint, cessabit collatio per l. 1. §. confertur. 23. l. 2. §. 2. ff. hoc tit. Nemaus. quæst. 8. Rimini. ad l. 9. C. hoc tit. n. 358. Jaf. in l. ult. C. eod. col. 2. Quod si pater ipse usumfructum retinere noluerit, aut filio simpliciter donaverit, ut in specie l. 6. §. 1. vers. fin autem. C. de bon. quæ lib. cessabit collatio Gomes ad l. 29. Tauri. n. 18. & DD. ibid. recensit; hæc quæstio autem supervacua est, ubi plena adventitorum proprietas ipsis filiis fam. acquiritur, ut passim in Belgio & Gallia. Gudelin. lib. 1. de jur. nov. 24. Grot. 1. manud. 6. Chassan. in consuet Burg. §. 2. tit. des enfans de plusieurs lits.

## C A P U T XII.

*De collatione dotis & donationis propter nuptias.*

## S U M M A R I U M.

1. *Dos & donatio propter nuptias quando quibus conferatur.*
2. *Quibus nepotes & neptes, cum patruis aut avunculis concurrentes, dotem aut donationem propter nuptias sibi datam conferant.*
3. *An & quam dotem & quibus filiæ fam. aut filiæ emancipatae conferant.*
4. *Quid jure veteri isto casu obtinuerit, & n. 5. & 6.*

7. *Quid si dos non data, sed tantum promissa fuerit.*
8. *Filius non tenetur conferre dotem uxoris suæ.*
9. *Nec dotem, quam filia suæ dedit; nisi ad eum reversa sit.*
10. *Quid si hæreditas divisa non interveniente collatione.*
11. *Quid juris si constante matrimonio de dote conferenda agatur.*
12. *Sententia auth. quod locum C. hoc tit.*
13. *An dispositio d. auth. hodie observetur.*

**I**GITUR cum neque bona castrensis aut quasi castrensis, neque adventitia subjecta sint collationi, ut jam demonstratum est, si qua sunt legi collationis obnoxia, ea erunt sola bona profectitia, quod & verum est. Profectitia autem in hoc argumento appellamus omnia, quæ profecta sunt ab eo parente, de cuius successione agitur; etiam à matre, avo materno, aut avia vel paterna vel materna. Neque tamen omnia hæc in collationem veniunt, quamvis testamento aut codicillis non sit remissa collatio: ceterum pleraque.

1. Primum conferenda est dos, quam filia, & donatio propter nuptias, quam filius à parente, de cuius hæreditate agitur, accepit, *l. ut liberis. 17. Cod. hoc tit. Nov. 18. c. 6.* Ajo, *de cuius hæreditate agitur*: nam si verbi causa agatur de successione avi aut avia, nepitis non cogetur patruis aut avunculis suis conferre dotem quam accepit à matre: quia non est profecta ex bonis ejus parentis, cui nunc succeditur, quod *d. l. 17.* requirit. Bart. *in l. illam 19. C. hoc tit. n. 7.* Cyn. *ibid. n. 2.* & post hos Castr. *n. 4.* Fulgos. *n. 3.* Roman. *n. 10.* Corn. *n. 24.* eademque est ratio donationis ante nuptias.

Quod autem dotis aut donationis propter nuptias titulo mater ipsa aut pater accepit, à marre aut patre suo, id nepotes & neptes, avo aut avia succedere cupientes, patruis suis & avunculis conferre, ut patrem & matrem suam representantes, debent, *l. illam. 19. C. hoc tit.* & ibi comm. DD. Gomes. *ad l. Tauri. 20. n. 7.* Et quidem collatio hæc à nepotibus fieri debet, quamvis à successione parentis, qui dotem aut donationem propter nuptias accepit, abstinerint, dummodo adspirent ad successionem avi vel avia, unde dos aut donatio propter nuptias profecta. Ita consulit Molin. *consil. 25.* respondit Charond. *3. respons. 8.* & non semel judicavit Curia Parisiensis, testibus Chopin. *lib. 3. de privil. rustic. cap. 9.* Papon. *lib. 21. tit.*

7. *arrest. ultim. Charond. lib. 3. respons. 55.*

2. Quid si avus vel avia, de quorum successione quæstio est, dotem dederint vel donationem propter nuptias, non matri aut patri, sed ipsis neptibus aut nepotibus? Ponamus Titiam decepsisse filio & filia, & ex alia filia præmortua nepote, & nepre à se dotata, relictis. In hac specie neprem non avunculo & materteræ, sed nepoti eidemque fratri suo dotem conferre oportere, responderunt Fulgos. Roman. Salic. Angel. *in d. l. illam. Cod. hoc tit. arg. l. 1. §. si sit nepos. 2. ff. de dot. collat.* Atqui isto in loco agitur de collatione dotis facienda à nepte filiafam. & de collatione bonorum omnium facienda à nepte emancipara, ex ratione juris veteris & rescripto Divi Pii, quod ad neptes ratione linea materna non pertinet: nisi dicamus nunc etiam pertinere ex constitutione Leonis in *l. ut liberis. 17. Cod. hoc tit.* & Justiniani in *d. l. illam. C. eod.* Sed magis est, ut totum illud jus hisce constitutionibus mutatum videri debeat. Nam cum in facto proponatur dotem ab avia, cuius de hæreditate agitur, profectam esse, atque in causa dotis & donationis propter nuptias, si illa profecta sit ab his personis, de quarum familia eradicanda agitur, sola humanitatis & æqualitatis contemplatione collatio injungitur *dd. ll.* mallem respondere, etiam patruis & avunculis in specie proposita conferendum esse, cum Castr. Corn. Alex. *Dec. in d. l. illam. Purpur. ibid. num. 39.* ubi hanc opinionem communem esse ait. Sane si neptis, quæ dotem accepit, sit sola, non etiam nepos ex eodem, tunc etiam patruo conferendum esse, *d. l. 1. §. 3. de dot. coll.* & novo jure etiam avunculis & materteris, *d. l. illam. C. hoc tit.* extra controversiam est. Idemque est in causa donationis propter nuptias facta nepoti. Nimurum cum dos & donatio propter nuptias non ex liberalitate simplici, sed magis ex officio parentum, quo facilius matrimonio liberi junguntur, proficiuntur; atque hæc affectio fit omnium parentum erga omnes liberos, ratio novi juris, seu æqualitatis contemplatio etiam hic suadet collationem: fusa & subtiliter de superiori quæstione in utramque partem dilutat Ant. de Amatis *ad l. 9. C. hoc tit. n. 153. & seqq.*

3. Quoniam autem hodie liberi sine distinctione dotem tantum profectiam, id est, ut nunc interpretamur, eam, quæ profecta est ab eo parente, de cuius hæreditate agitur, conferre conitat, supervacua nunc est disputatio interpretum *lib. 4. Cod. hoc*

tit. quærentium, an & quam dotem filiæ-sam. conferant suis, an & quam emancipatis, an & quam emancipatae suis, & denique an & quam emancipatae emancipatis. Dicam tamen obiter, quid meo utique judicio hic olim obtinuerit, quo antiqui juris ratio utcunque intelligatur.

4. Certum est filiam cum fratribus suis patri ab intellectu succedentem, dotem, quam acceperat, vel promissam habebat conferre debuisse, l. 1. & passim. ff. de dot. coll. l. 2. 4. Cod. hoc tit. Non solum autem filia dotem conferre debebat, si emancipata erat, sed etiam si esset in sacris patris; id est, in potestate patris morientis, l. filia. 12. Cod. hoc tit. d. l. 1. pr. ff. de dot. collat.

5. Emancipatam constat etiam dotem fratribus, qui in potestate manserant, contulisse, quoniam hæc omnia bona iis conferre tenebatur, l. 1. ff. hoc tit. l. si emancipati. 9. Cod. eod. Emancipatis autem fratribus sicut cætera bona conferre non cogebatur, ita nec dotem, & generaliter inter emancipatos cessabat collatio, d. l. 9. Cod. hoc tit.

6. Filiafam. & ipsa dotem conferre tenebatur iis fratribus, qui in potestate patris & eadem familia manserant, l. 3. in fin l. 4. l. filia. 12. Cod. eod. Quin & fratribus emancipatis, d. l. 4. Nec obstat, quod in d. l. 3. & d. l. 11. nominatum adjicitur eam conferre debere fratribus: *qui in potestate manserunt in eadem familia constitutis.* Nam non ideo hoc adjicitur, quod emancipatis dos nullo modo conferatur, sed quia filiafam. fratribus in potestate manentibus omnem dotem etiam adventitiam conferre debuit; emancipatis autem non omnem, sed solam profectitiam, d. l. 4. quo loco non de filia emancipata, sed de filiafam. agitur, quæ dotem vel à patre vel aliunde accepit, & illa verba, d. l. 4. profectitiam seu adventitiam dotem à patre datam vel constitutam, quæ alias nullum idoneum sensum habent. sic accipienda sunt, ac si scriptum esset, à patre datam, vel alias aut ab aliis constitutam, ut utraque dos, cuius & mentio fit, his verbis comprehensa intelligatur. Ita ferme & Don. ad l. 1. C. hoc tit. in opusc. postum. nisi quod verba, d. l. 4. modo relata, alio sensu donat Cujac. 3. obf. 30.

7. Etiam illam dotem filia conferre debet, quæ illi data non est, sed tantum promissa, l. 1. s. 1. de dot. collat. Sed quoniam promissam dotem filia non habet, neque per se; quia ei data non est, neque per matrimonium, quia marito numerata non fuit: idcirco non plus nomine dotis confere debet, quam accepit. Nacta autem est action-

nem ejus dotis perendæ: atque hanc actionem fratribus suis ita conferet, ut eos pro parte ea obligatione liberet: ut si verbi gratia pater filia dotem promiserit, & decesserit relictis tribus liberis, duobus masculis & filia, hi succedentes ex æquis partibus, succident quoque in hanc obligationem pro portionibus hereditariis, l. 2. Cod. de hæred. att. proinde filia fratres suos pro tertia parte singulos ea obligatione liberabit. Idemque probandum est in donatione propter nuptias promissa tantum, non data.

8. Filius autem non tenetur conferre dotem uxoris suæ: nam etsi dos in bonis sit mariti, quandiu constat matrimonium, mulieris tamen manere nihilominus intelligitur, ejusque in proprium adhuc patrimonium esse, propterea quod soluto matrimonio ad eam reversura est, l. quamvis. 75. ff. de jur. dot. l. 3. §. ergo. 5. ff. de minor. Imo etsi maritus morte mulieris dotem luxuratus sit, nihilominus eam præcipuum habere debet propter onera matrimonii, quæ sustinuit, l. 1. emancipatus. 20. l. 3. §. quare 4. ff. hoc tit.

9. Sed nec filius emancipatus conferre debet dotem, quam filia suæ dedit, quoniam ex bonis ejus abiit, l. 4. eod. l. 1. §. uit. ff. de dot. collat. Atque hoc quidem ita obtinet manente matrimonio, l. pater. 71. ff. de evit. Quid vero si solutum fuerit matrimonium & dos ad patrem reversa? Assentior Accursio in l. dotem. 6. ff. hoc tit. pronuntianti patrem decere dotem ad se revertam fratribus suis conferre: quod & Cujacius probat in l. 4. ff. eod. tract. 4. ad African.

10. Hoc autem jure nunc posito, dotem & donationem propter nuptias à quibuscumque parentibus, de quorum successione disceptatur, profectam, conferendam esse, consequens omnino est, si filia, quæ dotem, aut filius, qui donationem propter nuptias accepit, cum fratribus suis hereditatem diviserint, & dolo consecuti sint, ne dotem aut donationem propter nuptias fratribus conferrent, cogendos esse postea, fratribus suis restituere id, quod amplius habent, quam habituri fuissent, si dotem aut donationem propter nuptias contulissent. leg. si foror. 8. Cod. hoc tit. & quidem officio judicis, ut post Glossam Cyn. Bart. Fulgos. Castr. & DD. comm. in d. l. 8. aut ut ego arbitrör. condicione indebiti, arg. l. cum putarem. 36. in fin. ff. fam. ericisc. Quod si is, qui collationem desiderat, sit in possessione rerum hereditiarum, poterit idem consequi opposita doli mali

exceptione arg. l. pater. 8. ff. de dot. collat.

11. Quid autem dicendum, si adhuc maritus filiæ vivat, & constet matrimonium, an etiam hoc casu dotem conferre debet? Movet questionem, quod dos constante matrimonio est penes maritum, non penes filiam: videtur autem admodum iniquum cogi filiam, ut eam dotem conferat, quam ipsa non habet: aut si cogenda est conferre, videtur saltem hoc illi concedi debere, ut quam conferre debet, dotem à marito exigat: Et quidem filia constante matrimonio non potest dotem à marito petere, quæ jure communi demum soluto matrimonio exigi potest, l. 2. ff. solut. matrim. lib. 5. Cod. hoc tit. Sed nec propter rem, quæ inter alios agitur, marito injuria fieri debet. Nihilominus tamen dotem non exactam à marito conferre debet, ut scilicet eo minus in partem delata sibi successio- nis paternæ auferat, d. l. 5. Neque hoc iniquum est à filia exigi, quasi ea dotem non habeat. Etsi enim constante matrimonio dos penes maritum est, & ita penes maritum, ut non possessor tantum, verum etiam dominus dotis jure civili habeatur: natura tamen & revera in bonis mulieris manet; quia ad emolumen- tum mulieris pertinet, quicquid inde maritus percipit: percipit enim propter onera matrimonii, quæ propter emolumen- tum & causam uxoris sustinentur, l. quamvis. 75. ff. de jur. dot.

12. Sed convenientissimum temperamen- tum additum est in auth. quod locum. Cod. hoc tit. cuius hæc sententia est, ut filia con- stante matrimonio dotem etiam non exactam à marito conferre debeat, si aut maritus solvendo sit, aut siquidem non sit sol- vendo, sed culpa mulieris factum sit, quo- minus dotem ab eo in tempore exigeret, cum sciret eum labi facultatibus. Culpa autem in ea est, si potuit dotem exigeret, & non exigit: potuit vero his rationibus, primum si fuit sui juris, deinde si fuit quidem in po- testate patris, sed aut dos fuit adventitia, aut profectitia quidem, sed pater non obsti- tit, quominus exigeret; aut denique si dos magna fuit, cuius exigendæ etiam repugnan- te parte illi potestas sit d. auth. quod locum, ubi hoc etiam notant DD. comm Perez ad Cod. hoc tit. n. 15. optime Harmenop. lib. 5. cœl. ex. Dop.

13. Alciatus lib. 4. parerg. c. 9. tradit d. auth. quod locum. usū non observari, sed dotem conferendam esse, etiamsi culpa mariti perdita sit: quod etiam testatur Molin. in addit. ad Dec. l. 6. Cod. hoc tit. Sed id forte moribus Galliæ: nam alibi paßim

servari juris communis dispositionem ar- guunt scripta interpretum in d. auth. & te- statur Christlin. vol. 1. decif. 178. num. 14. & vol. 5. decif. 198. n. 11. & 12. atque secun- dum eam judicavit Curia Neapolitana re- ste Afflict. decif. 247. ubi etiam Cæs. Ursill. in annot. Moribus tamen nostræ quoque Batavie dispositio d. auth. non observatur: & Curia etiam Mechliniensis censuit eam de consuetudine non servari. Christlin. ubi sa- pra.

Porro autem collatio dotis & donationis propter nuptias fit simpliciter sine usuris aut fructibus. Detrahuntur etiam impensæ necel- lariae l. 1. §. cum dor. 5. ff. de dot. collat. sed de eo fusius infra c. 16.

## CAPUT XIII.

*De collatione sumptuum præter dotem & donationem propter nuptias.*

## SUMMARIUM.

1. Impensæ præter dotem &c. in elocanda fa- lia factæ, si statim pereant, non confe- runtur; secus, si ducent & liberis salvæ maneant, & num. 4.
2. Eadem distinctio adhibenda in sumptui- bus à patre factis studiorum filio grata- tia.
3. Quando patre mortuo sumptus continuandis studiis necessarii ad commune onus pertineant.
4. Toties collationi, quæ alias cessaret, lo- cum esse, quoties citra eam nimia ori- entur inæqualitas.
5. Fori nostri circa hæc praxis.
6. Quid si filius pecuniam sibi studiorum causa missam dissipaverit.
7. Considerationes auctoris circa eandem quæ- stionem.
8. In collationem non venit, quod pater pro redimento ab hostibus filio, solvit.
9. An & quod solvit pro filii delicto.
10. Quæ liberis data ad familiam susten- dam, negotiationem &c. exercendam, certo jure conferuntur.
11. An conferenda donatio uni ex liberis ob singulare meritum facta.
12. Datum matrimonii nobilioris personæ con- ciliandi gratia non recte eximitur collatione.
13. Sumptus pro filio facti dignitatis alicujus adipiscendæ causa non conferuntur.
14. Nec facti in promotione filii ad gradum aliquem.

16. Militiae verbo quid passim apud nos tristis significetur, *Op. n. 19.*
17. Sententia *I. pen. pr. C. hoc tit. ubi de collatione emolumenti ex militia empta ab uno percepti.*
18. Nullae sunt militiae ex casu contra Taurum.
20. Sufficit ad collationis necessitatem, quod acceptum est, aut vendi posse, aut ad hæredes transmitti.

**Q**UÆSITUM est de reliquis sumptibus, quos præter dotem & donationem propter nuptias liberorum causa parentes facere solent, & primum quidem de impensis alii præter dotem in elocanda filia fieri conuentis.

1. Distinguendum videtur, an hæ impensis statim consumantur & liberis perirent, veluti quæ fiunt in festivitatē convivii nuptialis, &c. an vero utilitas earum perduret, & liberis salvæ maneant, cuius generis sunt, annuli, gemmæ, monilia, &c. ad ornatum filiabus data; ut quæ illius generis sunt, collationem effugiant; quæ hujus non item: quoniam dici non potest eas cadere in simplicem donationem, cum sint appendices dotis, *I. 8. Cod. de jur. dot.* & alias magna induceret inæqualitas contra sententiam & humanitatem recentiorum constitutionum. Sumptus autem facti in convivium nuptiale licet & ipsi nuptiarum causa facti videantur, ad honorem tamen parentum, qui eos fecerunt, spectant; qui proinde eo animo tales sumptus, qui & statim pereunt, fecisse intelligi non debent, ut eorum collatione liberos onerarent, facit *arg. in I. id vestimentum. 25. ff. de pecul. Mart. in I. 1. §. nec cafrene. I. 5. ff. hoc tit. num. 9. Gomes. ad legem Tauri. 19. num. 15. Gail. 2. obs. 91. num. 5. communem* afferens Tuldén. in *Cod. hoc tit. num. 10. Perez. num. 15. Op. eadem quoque in effectu* est sententia Gudelini *lib. 2. c. ult. Sichardi ad I. filie. 18. num. 12. Cod. famil. exercit. Ant. de Amatis ad I. 9. Cod. hoc tit. num. 366. Schneid. in §. quædam actiones. Instit. de act. num. 47. ubi de act. fam. exc.*

2. Similiter quæsumus est de sumptibus, quos pater suppeditavit filio studiorum gratia peregre agenti, an & illi conferri debeant. Et eadem hic videtur in re dubia adhibenda distinctio, quæ supra, ut scilicet, si quid pater erogarit in viatica, in victum & cultum filii, in mercedes & honoraria preceptorum, quorum opera filius plus est, id in collationem non veniat: quoniam hi sumptus pereunt, & jure quo-

dam alimentorum censeri debent, *I. quæ pater. 50. fam. exercit.* Atque idcirco etiam ex alienum hoc nomine à patre contrahendum, patre mortuo commune omnium heredum onus erit, *arg. I. 5. Cod. ad senat. Maced.*

3. Quinimo & si patre mortuo fratres in communione bonorum paternorum manserint, sumptus cœptis studiis continuandis necessarios societati imputandos, quasi universorum bonorum contracta tacite societate, quidam responderunt, *arg. I. si societatem. 73. §. 1. ff. profac.* quod quidem admirerim, si fratres consortes post mortem patris bonis indivisis, non paternis tantum, sed etiam ceteris in quorum communionem inciderunt, lucris omnibus communicatis aliquamdiu vixerint, nec à se invicem rationes unquam exegerint. At si tantum paternæ hereditatis fructus communicaverint, aut unus proprio nomine quid gesserit, sibive habuerit, universalis societas minime contracta videbitur; nec tunc hujusmodi impensis ad commune omnium onus pertinebunt, cum nec lucrum omne commune sit, *per I. cum duobus. 52. §. Papinianus 6. profac. I. ex parte. 39. §. 3. fam. exercit. lib. 4. Cod. comm. utr. jud. Schneid. ubi supra. num. 56. Antonius Faber. Cod. suo, profac. societ. definit. 3. Tulden. communi. ad Instit. eod. cap. 1.*

4. Contrarii autem generis sumptus veluti libri, instrumenta mathematica, tabulae & sphære geographicæ aut similia, quæ pater filio ad promovenda ejus studia comparavit, quoniam horum sumptuum utilitas perpetua est, legem collationis non effugient, ne alias nimis magna oriatur inæqualitas, quam leges adversantur: ac proinde in dubio pater videri non debet voluisse hæc filium habere præcipua *per Nov. 18. cap. 6.*

5. Quinetiam ad evitandam istiusmodi inæqualitatem, ubi alii quoque studiorum sumptus æquo ampliores sunt pro modo facultatum patris, collationi locum esse ex præsumpta patris voluntate censet Tuldén. *ad C. hoc tit. n. 11.*

6. Adeoque pro generali axiomate à DD. traditur, toutes collationi, quæ alias cessaret, locum esse, quoties citra collationem nem nimia oriretur inter liberos inæqualitas *arg. I. pen. in fin. C. hoc tit. Alexand. in I. si donatione. 13. num. 22. Cod. eod. Dec. num. 42. post Bald. & alios. Horat. Luc. de privil. scholar. priv. 27. num. 10. ubi & plures laudat: quando autem talis inæqualitas emeritura sit, id judicis arbitrio committendum' esse existimat cum Curt. Jup. 18.*

1. *filia.* 12. *circa fin.* *Cod. eod. per l. quæstum.*  
 12. §. *idem respondit.* 43. *vers. sed & ipse Papinianus. ff. de instruct. vel instrum. leg. l. filia.* 43. *de legat. 3. l. 2. §. 2. ff. hoc titul.*  
 Semper tamen necessaria alimenta, quibus filius indigueret domi retentus, eximenda collationi, quia haec tenus nihil amplius impensum in eum, quam in alios, arg. *l. alimenta.* 1. *Cod. de neg. gest.* Perez. *Cod. hoc tit. num. 12.* Hæc autem omnia ita, nisi de contraria voluntate patris appareat: & multum in hac etiam re apud Præticos valet arbitrium judicis. *Welemb. conf. 80. num. 14. p. 2.*

7. Ex usu autem fori nostri, ut accepi, certa etiam horum sumptuum collatio est, nisi pater testamento aut alia testatione voluntatis sua aliter se vere declaraverit, propter art. 19. *Ord. Polit.* ibi, *ofie diergetlike.* quamquam ex illis verbis hoc minime sequitur, & forte melius est, ut adhibeatur distinctione superior.

8. Quid si filius pecuniæ studiorum causa sibi missam à patre in luxu aut alea dissipavit? Puto conferendam esse: quia non sunt impensaæ studiorum, quæ ea non juverunt, sed impediverunt, & utique etiam patris voluntas, qui aliam ob causam misit, refragari videtur: cui etsi forte objici potuit, quod in mores filii minus diligenter, quam oportebat, inquisierit, hoc tamen neque filio prodeste debet, nec aliis nocere, arg. *l. auxilium.* 37. *in fin. de minor.* Accedit, quod ex pecunia ita profigata nec decus, nec præsidium ullum vel respub. vel cohæredes expectant, atque ita deficiat causa favoris & privilegii, ita recte meo judicio Gregor. Tholos. 46. *synt.* 8. *num. 7.* Tulden. ubi *supra num. 12.* post Nemaus. *quæst.* 18. & DD. ibid. citatos.

9. Porro collationi non subjicitur *lytron*, quod pro redimento ab hostibus filio pater solvit: nam iulta tristissimi casus miseratio præsumptionem inducit, pietatis ratione & animo non repetendi id esse præstitum, arg. *l. liber captus.* 17. *Cod. de postlim. rev.* facit arg. in *l. 1. C. de neg. gest.* Gomes. *ad legem Tauri.* 29. *num. 19.* Tulden. *ubi sup. n. 12.* Perez. *ad Cod. hoc tit. num. 52.*

10. Ne id quidem collationi subjici, quod pro filii delicto pater exsolvit, vult Gomes. *ad l. Tauri.* 29. *num. 20.* quasi & illud pietatis causa patrem fecisse interpretari debeamus, quod vix est, ut probare possim. Nam odium delicti nec præsumptionem pietatis admittit, ut magis ex necessitate, in qua nemo liberalis est, id à patre factum intelligi debeat, nec interpretationem honoris, quasi donare filio voluerit, idque

cum præcipuum habere. Perez. & Tulden. *ubi supra.* Gilken. *in auth. quod locum. n. 16.* & seqq. *Cod. hoc tit.* Valq. *de success. resol.* lib. 2. §. 19. *num. 41.* & *uo. 3. fucc. de creat.* §. 30. *num. 220.* & seqq.

11. Non est autem dubitandum, quia collationi obnoxia sunt & ea, quæ liberis data sunt ad sustentandam familiam, ad negotiationem, aut artificium opificiumve aliquod commodius exercendum: nam talis donatio simplex non est, sed quodammodo necessitate cogente fit, quam ob causam nec revocari potest, dotique & donationi propter nuptias simillima est. De tali autem donatione accipienda sunt verba Leonis in fine *l. ut liberis.* 17. *Cod. hoc tit. congruit art.* 29. *Ordin. Polit.* & quidem nulla est hac de re controversia.

12. De illo vero quæstum est, an quod pater uni ex liberis ob bene merita remunerationis gratia dedit, non propter operas obsequiales, quæ remunerationem non merentur, sed puta propter singularis cuiusdam pietatis officia, aut quia filius patrem eripuerit à manibus hostium, &c. collationi subjici oporteat? Et magis est, ut subjici non debeat: quoniam hoc casu filius, non ut filius meruisse donationem videtur, sed ut quilibet extraneus. Nemo autem dixerit extraneos collationis munere fungi oportere, fac *l. 10. Cod. hoc tit.* ibi *extero jure,* id est, jure extraneorum. Præterea quod ita pater ob insignia in se merita filium remunerando donavit, non tam peculio profectio adscribendum videtur, quam adventatio, tanquam partum præcipua quadam industria atque opera filii, arg. *l. cum oportet.* & *pr. Cod. de bon. quæ lib. in verb. quæ ex liberalitate fortune vel laboribus suis ad eum pervenerunt.* Et quid vero? si simplex donatione conferenda non est, quanto minus conferenda erit, cui etiam causam dedit eximum aliquod filii in patrem meritum? consuluntur Nemaus. *quæst. 1. n. 3.* Gomes. *ubi sup. n. 23.* & *ad l. Tauri.* 29. *num. 23.* Chaffan. *ad confuet. Burgund. tit. de success. rubr.* 7. §. 5. n. 47. & seqq. Sichard. *in auth. ex testamento.* n. 15. *C. hoc tit.* Greg. Tholos. 46. *syntagm.* 8. n. 13. Ant. Fab. C. *suo hoc tit. def. 4.* Decher. 2. *diff.* 6. n. 4. Gilken. *in l. si donatione.* 13. *C. hoc tit.* ubi etiam occurrit argumentis quibus Menoch. lib. 3. *præsumpt.* 29. n. 11. in contrarium moverur: nec sunt ea tanti momenti, quin vel ab eo, qui mediocriter duntaxat in hac materia versatus sit, refelli queant.

13. Non recte autem collationi eximunt nonnulli, quod uni liberorum donatum est ad conciliandum alicuius personæ nobilioris

matrimonium, sine quo alias id obtinere non potuisset. Nam cum id à conditione dotis aut donationis propter nuptias separari non debeat, utique etiam collationi subjiciendum est, arg. *I. ut liberis.* 17. *Cod. hoc tit.* D. Tulden. *ibid. num. 9.* *Vall. conf. 44.* & 70. *lib. 4.* Recedit ab hac sententia *Fachinus lib. 5. contr. 81.* cum Cravett. *conf. 85.* Jo. Pet. Surd. *conf. 143.* sed parum considerare meo quidem judicio. Nemo enim mortalium negare ausit, quin hujusmodi donatio quam simillima sit doti & donationi propter nuptias, & tautum non idem, quod illæ. Contendit *Fachinus* ideo conferendam non esse, quia non descendit ex necessitate obligationis, sicut dos & donatio propter nuptias. Atqui multa liberis ob aliam causam donari solent circa donandi necessitatem, quæ nihilominus sunt conferenda: qualia sunt, quæ iis dantur, ut negotiationem, aut opificium aliquod commodius exercere queant: sufficit enim ad onus collationis, non simpliciter, sed ob causam donata esse. Quid quod nec dotis datio, nec donatio propter nuptias semper adjunctam habent dandi necessitatem: nam nec pater filiam locupletem aut emancipatam, per *I. 5. §. sed si fil.* 7. ff. *de agnosc.* *lib. I. 5. §. Papin.* 12. *I. si res 51. ff. de jur. dot.* nec mater aut avus maternus liberos dotare coguntur, *I. neque mater.* 14. *Cod. eod.* & tamen si pro his dorem dederint, nemo dubitat, quin dos hoc casu conferenda sit. Denique & hæc quoque donatio ex necessitate aliqua proficietur, non quidem absoluta & præcisâ, sed ea tamen, quam *Dialectici* appellant necessitatem consequentia, *Ciceri I. 2. de invent.* necessitatem cum adjectione.

14. Si quid à patre datum vel promissum sit filio honoris vel dignitatis alicujus adipiscenda gratia, id æquum est filium habere præcipuum, nec in collationem venire, scilicet propter onera dignitati cohærentia, quæ ipse filius sustinere cogitur, *I. 1. §. sed ad id.* 16. ff. *hoc t. & ibi Gloss. & Bart. Cujac.* 3. obs. 30. fac. *I. filia.* 20. §. *idem scribit 6. ff. fam. ercifc. I. ex parte.* 39. §. 3. *eod. I. Lucius.* 21. §. 3. *ad municip.* Græci & *europæum roris ad hoc hæc cœsantur.*

15. Quo argumento etiam recte defenditur nec sumptus, quos pater fecit in promotione filii ad gradum Doctoratus aut Licentiaz, conferendos esse: quia & hæc dignitas adjunctum onus habet, nec quicquam inde commodi ad successores filio mortuo transmittitur: & præterea annulus, toga, & si quid simile filio datum, id instar est castrensis peculii: de quo uberioris supra c. 10. Non est contrarium, sed longe diver-

sum, quod Justinianus, *I. pen. pr. Cod. hoc tit.* etiam ea conferri jubet & in quartam imputari, quæ occasione militiaz, ex pecunia defuncti patris comparata, lucratus est is, qui militiam meruit. Nam separanda hic est militia à dignitate.

16. Militia apud Justinianum & passim apud nostros significat functionem quamdam ordinarios & certos reditus è publico habentem, ex qua lucrum quantum nec castrensis, nec quasi castrensis peculii loco est: cuiusmodi functio eorum fuit, qui à memoria, à libellis, ab epistolis erant, & reliquorum officialium sacrorum scriborum, *I. si quis.* 11. *de proxim. sacr. scrib. I.* 12. Qui uno verbo appellantur statuti, quia eorum numerus certus statutus erat in unoquoque genere militiaz, ut patet ex *I. unicuique.* 7. & *d. I. 11. C. de prox. sacr. scrib.* Atque hujusmodi officia etiam vendi pleraque poterant, mortuoque militante, ex communis schola placito, certam summam heredibus ejus aut uxori, pro solatio militiaz amissa praestabat is, qui subrogabatur, *I. ult. C. de pign. I. omnimodo.* 30. §. 2. *C. de inoff. test. d. I. 7. & d. I. 11. C. de prox. sacr. scrib.* quod commodum casus militiae & simpliciter ex casu appellatur, *d. I. ult. Cod. de pign. Nov. 53. c. 5.*

17. Hoc igitur vult Justinianus *d. I. pen. C. hoc tit.* conferendum esse lucrum, quod ex hujusmodi militia vendibili & propter casum quodammodo transmissibili, uni heredum ex pecuniis defuncti acquisita, tempore mortis defuncti percipi potuit, deductis videlicet impensis, ut bene Alex. & Jas. fac. *d. I. omnimodo.* 30. §. 2. *Cod. de inoff. test.*

18. Scriptis de militiis ex casu Lætius Taurillus, sed sententia ejus, quod creditur esse aliquas militias ex casu, arg. *d. I. ult. Cod. de pign.* merito displicet Cujacio ad *d. Nov. 53.* Nulla enim est militia ex casu: neque de militia in *d. I. ult.* agitur, sed de iis, quæ dantur ex casu sive propter casum militiaz, id est, ex eo, quod militia caduca facta est morte militantis, seu, ut loquitur Anafatius in *d. I. 11. Cod. de prox. sacr. scrib.* ex eo, quod militantis morte militia vacavit: qui casus recte dicitur, quemadmodum deficiente hæredate aut legatario, hæreditates & legata caduca appellantur. Res ipsa loquitur non possideri militiam ex casu, nisi ideo, quia ex casu obtineatur, nempe vel morte alterius, vel emptione. Hoc autem sensu omnes militiaz ex casu dici possunt atque adeo omnia jura rerum nostrarum.

19. Quidam inter quos & Gilken in auth. ex testamento. *Cod. hoc tit. n. 61.* putaverunt militiaz nomine significari commoda & salaria, quæ percipiuntur ex publico: sed falso:

nam

nam ipsa functio, propter quam commoda illa capiuntur, appellatur militia, ut patet ex *I. Lucius. 22. de legat. 2. i. his verbis. ult. alias pen. §. 3. I. creditor. §. 2. ff. de att. empt. I. omnimodo. 30. §. ult. C. de inoff. test. cum similib.* Sed haec obiter & tanquam *et nupt. 77.*

*20. Sufficit autem ad collationis necessitatem, rem, quae data est, aut vendi posse, aut ad hæredes transmitti. Itaque conferendum erit lucrum militie, à patre uni ex liberis emptæ, dummodo vendi possit, licet ad hæredes non transiret. Et ex contrario conferenda est res à patre empta, modo ad hæredem transeat, licet vendi nequeat, quale est feudum; cujus proinde ultimatio conferri debebit, per text. in *I. omnimodo. 30. §. 2. C. de inoff. test. Nemaus. quest. 28. Costall. ad I. que pater. 50. ff. fam. erc. post Bart. ad I. 1. §. nec castrense. n. 6. ff. hoc tit. Menoch. conf. 919. Tulden. in C. hoc tit. n. 12.**

## CAPUT XIV.

*De collatione lucri, quod filii industria partum, licet ex re patris; item eorum, quæ relicta per speciem ultime voluntatis.*

## SUMMARIUM.

1. *Lucri industria filii patri, quamvis ex re patris, dimidium communicandum, reliquum assignandum filio.*
2. *Confirmatio hujus sententiae adversus eos, qui totum conferri volunt.*
3. *Adversus eos, qui totum tribuunt filio.*
4. *Ea sola in collationem veniunt, quæ tempore mortis parentum jam questæ sunt conferenti.*
5. *Legata, fideicomissa, & mortis causa donationes non subjici collationi.*
6. *Sententia I. pen. pr. C. hoc tit.*
7. *An legatum filio relictum cum pater morietur, contributioni obnoxium.*

**D**E iis, quæ filius labore suo atque industria lucratus est, non convenit inter juris interpretes, conferri haec oporteat, nec ne. Negat simpliciter Nemaus. *quest. 27.* & ab eo laudati Imol. & Alexand. contra Ant. Faber. *dec. 41. err. cum Gloss. in I. cum oportet. 6. pr. C. de bon. que lib.* simpliciter affirmit.

*1. Bartolus autem in d. I. 6. medium sententiam sequitur, dimidium lucri filio assignans, tanquam adventitium quid, al. Vinn. Tract. Varii.*

terum dimidium communicandum relinquentis hæredibus: cui sententia etiam subscribit Gilken. *ad I. pen. n. 10. & seqq.* C. hoc tit. post Angel. Roman. Castr. & alios, quos *ibid.* refert & probat; placetque ea- dem sententia Bachovio *ad Treutl. disp. de collat. thes. 6. Fachin. 5. contr. 83. Vafq. lib. 2. de success. resol. §. 19. n. 46. Graßl. lib. 2. rec. sent. quest. 8. Chassan. ad con- fuet. Burgund. tit. des success. rubr. 7. §. 5. num. 52. & rationem habet. Etenim consideratio proportionis, quæ esse debet in- ter pecuniam & operam (utriusque enim ratio habenda est) postulat omnino, ut nec totum filio tribuatur, quod ex pecu- nia patris lucrum factum est, & pater ipse facere potuisset; nec totum patri, qui nul- lam operam contulit, *arg. I. 6. pr. cod. de bon. que lib.* ubi pro adventitio habetur quod filius suis laboribus acquisivit: quod minus commode restrinxeris ad talem casum, quo nulla pecunia patris intervenit.*

*2. Quod vero ibidem ait Justinianus pro- fectitum esse, quicquid ex re & substancialia patris provenit, id intelligendum omni- no est de rebus ipsis, quas pater de- dit, vel quæ recta & quasi immediate ex iis proveniunt. Argumentatio autem Fabri à fructuario & proprietario, item à do- mino & bona fidei possessore servi ad patrem & filium non procedit: alioquin etiam quicquid filius ex laboribus suis, licet non interveniente pecunia patris, acquireret, id totum acquireret patri, contra d. I. cum oportet. C. de bon. que lib. quod & Bald. jam olim in *ead. I. ani-* madvertit. Denique nec ponimus jus soci- tatis inter patrem & filium, sed *et al. 7. n.*, propter operam & industriam filii: nec intelligimus operam quallem quallem, aut simplex filii factum, veluti si pecu- niam patris fœnore locaverit, quod etiam ipse pater verosimiliter fakturus fuisset; sed operam certam, & talem, quæ lucrum illud quasi ex se producat & pariat. Sunt qui totam hanc rem judicis arbitrio com- mittendam existimant, ut Bald. *in d. I. cum oportet. Alex. in d. I. pen. num. 50.* qua sententia vi ipsa eadem est cum superiore, add. species, de quibus Joan. à Sande *decis. Frisc. 2. tit. 7. defin. 3.**

*3. Porro prima sententia etiam minus coloris habet: & inepte quidam ita dif- férunt; Rationis est, ut ejus quoque sit lu- crum, cuius est periculum: at si filius, cui pater negotiationis exercende gratia pecu- lium dedit, rem patris decoxit, delove malo perdidit, ejus est periculum & con- ferre tenetur, I. 1. §. pen. I. 2. §. 2. ff. hoc*

Q

*hoc tit.* Nam aliud est decoquere , aliud periculum sustinere : & disputamus hic de filio negotiante , non de rem patris per luxum dissipante. Si negotium bona fide suscepsum ex voto non successerit , aut si quid sine culpa filii perierit , id detrimentum ad filium pertinere nemo , opinor , dixerit.

4. Ea autem sola in collationem veniunt quæ tempore mortis ejus de cuius successione agitur , jam quæsita sunt conferenti: in post quæsitis ratio collationis tam novo , quam veteri jure cessat , *l. i. §. si ab ipso.* 19. *d. l. z. §. z. l. pen.* cum Gloss. ff. *hoc tit.* *l. 6. l. si donatione.* 13. & *l. nec emancipati.* 15. *Cod. eod.* interpres Gracius , *εἰς πάτερνον οὐδὲν σωτηρίαν τοῖς διέλθοις , δούλοις δὲ καὶ φέρεται τὸ πλευτόν τοῦ ιδίου πατέρος.* id est , ea demum emancipati filii fratribus suis conferunt , quæ eo tempore habebant , quo paruerato concessit. *Si quid vero postea quæsierint , id nequaquam conferunt.*

5. Et igitur collationi subjecta non erunt legata & fideicomissa à patre relicta , quoniam demum post ejus mortem acquiruntur , *l. à patre.* 10. *l. filiæ.* 12. *l. filiam.* 16. *C. hoc tit.* Gloss. Cyn. Bart. Castr. in *l. pen.* *C. eod.* & alii ibid. relati & probati à Gilken. Perez. ad *C. hoc tit.* num. 14. Ac proinde ob eamdem rationem nec donatio mortis causa conferri debet. Nemaul. *qu. c. 6.* Cæterum negotium facessit *l. pen.* *C. hoc tit.* ubi Justinianus generaliter definit , ea conferenda esse , quæ imputantur in legitimam. Atqui constat legata & fideicomissa , item mortis causa donaciones in legitimam imputari , *l. si quando.* 35. *§. z. C. de inoff. test. l. si non mortis.* 25. *pr. ff. eod.* *§. 3. & ult. Inf. eod.*

6. Respondendum est , non eam fuisse mentem Justiniani , ut ea etiam , quæ post obitum parentis demum acquiruntur , quæ sunt legata , fideicomissa & mortis causa donationes , conferri voluerit contra formam constitutionum priorum , quamvis & ipsa subjiciantur imputationi , sed ea omnia , quorum commodum vivis parentibus ex substantia eorum ad liberos pervenit , ita ut condito testamento ad illud sufficiendum imputarentur in legitimam: quæ sunt donatio propter nuptias , *l. quon.* 29. *C. de inoff. test.* res inter viros donatae ea lege , ut in quartam imputentur , *d. l. si non mortis.* 25. *pr. ff. eod.* *d. l. si quando.* 35. *§. z. C. eod.* *l. pen.* *§. 1. C. b. t.* quæ dari solent liberis , ne se exhibeant , & familiam sustentent , negotiationem exerceant &c. per *l. ut libe-*

*ris. in fin. C. hoc tit.* lucrum , quod occasione militiae ex defuncti pecuniis quæsitæ ad unum ex liberis pervenire potuit , quo tempore parens moritur , *l. omnimodo.* 30. *§. 2. C. de inoff. test. d. l. pen. pr. h. t.* & si quæ sunt similia quorum commodum liberis vivo adhuc patre quæritur. Denique de legatis , quæ testamento relinquuntur , conferendis , Justinianum non sensisse , vel ex eo intelligi potest , quia loquitur de successione ab intestato.

7. Cum igitur ea sola conferenda sint , quæ moriente patre conferens in bonis habuit , non quæ demum post mortem patris ei obvenerunt , quæsitum est , si quis emancipato filio extranei ita legaverit , *cum morietur pater* , quid de specie hujusmodi dicendum sit. Et siquidem hoc legatum sic interpretari oporteret , ac si post mortem patris relictum esset , haud dubie in collationem non veniret , *l. pen. ff. h. t. l. 15. C. eod.* sed quoniam placuit moriendi momentum vitæ attribui , propterea credo quod viventes morimur , & mors si non semel tota est , non est , *§. post mortem.* 35. *Inf. de legat.* ideo legatum in tempus mortis paternæ collatum , non post mortem patris demum , sed moriente patre manenteque adhuc vita filium habuisse interpretamur : ac proinde recte responsum ab Ulpiano est , legatum ad eum modum relictum conferri debere , *l. i. §. si emancip.* 18. *ff. h. t.* Quid igitur est , quod idem jurisconsultus in *d. l. i. §. si ab ipso.* 19. scribit , patre hærede instituto & ab eo fideicomisso relicto filio emancipato ; cum ipse pater morietur , in fideicommissum , quasi post mortem patris acceptum , à filio non conferri ? Respondeo cum Cujacio id referendum esse ad jus antiquum fideicomissorum , quæ cum valerent ex mera nudaque voluntate defunctorum , & utiliter post mortem quoque hæredis relinquenterunt. Ulpian. *fragm. de fideic.* *§. 6. l. 5. §. 1. de leg.* 3. in eis servatam non fuisse subtilem illam verborum differentiam ; atque illa verba , *cum morietur hæres* sic accepta , ac si aperitissime post mortem hæredis fideicomissum relictum fuisset. Cujac. 3. *obs.* 34. *fæc.* *l. 11. §. si filio.* 10. *de legat.* 3.

## C A P U T X V.

*De collatione simplicis donationis.*

## S U M M A R I U M.

1. *Donatio simplex regulariter non conferatur.*

2. *Duobus duntaxat casibus donationem simplicem conferri, & quibus.*
3. *Non confertur facta filio in potestate constituto.*
4. *Donatio simplex facta filio in potestate & veteri jure & novo morte patris convalescit.*
5. *Novo jure sic convalescit, ut etiam retrorahatur.*
6. *Objectiones quædam hominum male sepiatorum.*
7. *Harum objectionum solutio.*
8. *Explicatio l. 13. Cod. hoc titul. missa emendatione Fabri & Fachinæi, & numer. 9.*
10. *Verbo donationis in persona patris interdum significari dationem in peculium, atque hoc dubio presumi, nisi alio trahant conjecturæ.*
11. *Filium emancipatum non conferre donationem simplicem à patre acceptam fratri itidem emancipato.*
12. *Argumenta quibus stabilitur sententia eorum, qui donationem simplicem conferri volunt fratri in potestate revento.*
13. *Affertur sententia contraria, conferendum sc. non esse.*
14. *Solutio superiorum argumentorum.*
15. *Concluditur generaliter, donationem simplicem à nemine liberorum nemini è liberis conferri duabus casibus exceptis.*
16. *Apud Zelandos, Burgundiones, & in pleraque Gallia etiam donationis simplicis à liberis fieri collationem.*

**N**IHI minus expeditum in hac disputatione est, quam quid dicendum sit de collatione donationis simplicis, an & ipsa & quando in collationem veniat.

1. Ego sic sentio, donationem simplicem in liberos à parentibus factam in divisione hæreditatis paternæ regulariter non conferri, sed præcipuum sive propriam retineri ab eo, cui facta est; dummodo constet patrem, qui filio in potestate quid tradidit, id ei non in peculium concessisse, sed simpliciter donare voluisse.

2. Hujus autem rei luculentum argumentum est in *l. pen. §. 1. Cod. hoc tit.* ubi Justinianus duos tantum casus excipit, quibus placet donationem etiam simplicem conferri. 1. si donator hanc legem tempore donationis suæ liberalitati dixerit. 2. si alter è liberis donationem propter nuptias vel dotem teneatur conferre; propterea quod tunc parens præsumitur compensationis ejusdam vice, ut par effet liborum causa, in filium filiamve, qui donationem propter nuptias vel dotem non

acepit, donationem simplicem contulisse. His itaque casibus, qui singulares sunt, exceptis, donatio simplex non conferetur. Et admittunt hoc plerique, si donatio facta sit à matre avove materno; sed dubitant, an idem sit dicendum, si ea facta sit à patre filio, sive in potestate constituto, sive emancipato; quoniam priore casu donatio non valet propter jus potestatis; posteriore autem casu conferenda videtur, per *l. ut liberis. 17. in fin. Cod. hoc titul. l. i. ff. eod.* At illi animadvertere debuerant, textum in *d. l. pen. §. 1. indistincte loqui, & initio d. §. 1. expressim mentionem fieri do- tis vel donationis propter nuptias à patre, matre, vel aliis parentibus acceptæ.*

3. Sed operæ est, rem totam paulo diligenter excutere. Constat ex *l. 2. Codic. de inoff. donat.* quæ Valeriani & Gallieni est, jure quoque veteri donatum à patre etiam liberis in potestate existentibus, præcipuum officio arbitri familiæ erescundæ liberis adjudicatum fuisse, nec in communem venisse hæreditatem: quod & ipsum quoque Imp. Diocletianus & Maximianus rescripsierunt *l. filiæ. 18. Codic. fam. eresc.* & confirmat locus Pauli *lib. 5. sent. 11.* ubi scribit, si pater filiorum aliquid donaverit, & in ea voluntate perseveraverit, morte patris convalescere donationem. Hoc autem posito necessario sequitur, donationem simplicem nec filio in potestate constituto factam conferri oportere: quoniam quod præcipuum retinetur, id utique ad communionem non revocatur, id est, non confertur: cur enim ita cum posteriori ævo non loquamur, contempto censorio Antonii Fabri *dec. 40. supercilios.*

4. Quod vero vivo patre inutilis sit donationis, ex eo non recte colligas, conferrandam esse, sed potius contrarium, quia post mortem patris utilis esse incipit; nam & olim morte patris sic convalescebat, ut arbitrio judicis familiæ erescundæ præcipua adjudicaretur iis, quibus facta erat, & hodie etiam sine tali adminiculo convalescit rataque habetur solo patris silentio, *l. donationes. 25. Cod. de donat. int. vir. & ux.* Absurdissimum autem est dicere, donationem post mortem patris convalescere ratamque haberi, & tamen conferrandam esse: quod vi ipsa nihil aliud est, quam si dicas eodem tempore & ratam haberi & irritam.

5. Quamvis autem donatio simplex morte patris ita nunc confirmetur, ut retrorahatur ad id tempus, quo facta est;

tamen quia nec confirmatur nisi morte, in eo naturam adhuc retinet ultimorum voluntatum, quarum hoc proprium est, ut non veniant in collationem: sed & ratio, quæ collationem impedit, adhuc durat, nimirum voluntas patris volentis id, quod donavit, filium habere jure præcipui. Anton. Faber. dec. 40. err. 3. Perez. Cod. hoc tit. num. 17.

6. Sed nonnulli sic instant: Quæ imputantur in quartam, eadem & conferuntur, l. pen. pr. Cod. hoc tit. Atqui donatio simplex à patre facta filiofam. imputatur, &c. Rationem assumptionis hanc afferunt, quia hæc donatio in liberis habenda sit pro donatione mortis causa: quæ autem donatio pro mortis causa donatione est, ea in quartam imputatur, veluti donatio inter virum & uxorem, arg. l. cum hic status 32. §. 1. ff. de don. int. vir. & ux. junct. l. ubi ita 27. ff. de mort. ca. donat. Donationis autem factæ liberis in potestate, & illius inter virum & uxorem eadem plane videtur esse ratio, maxime post d. l. 25. Cod. de don. int. vir. & ux.

7. Respondeo, tot hic sunt peccata, quot propositiones & assumptiones. Nam primum illa principalis propostio, Quæ imputantur in quartam, &c. non est universalis, ut ostendi cap. præced. exemplo legatorum & fideicommissorum, quæ in quartam imputantur, nec tamen conferuntur. Secundo falsa est illa assumptionis, quod donatio simplex liberis imputetur in quartam, l. si non mortis. 25. ff. de inoff. test. l. si quando. 35. §. 1. & 2. eod. Tertio falsa est & ratio assumptionis, quod hæc donatio ratione imputationis pro donatione mortis causa sit habenda. Quia & posito eo, quod hac in re cum donatione mortis gratia compara randa sit, vel ex hoc solo efficitur, non esse conferendam: quoniam mortis causa donatio, licet & ipsa in quartam imputetur, in collationem tamen non venit, ut item ex iis, quæ cap. præc. liquet. Postremo & utrumque illud falsum est, quod hæc donatio plane similis sit donationi inter vi rum & uxorem; & quod donatio inter coniuges simili citer comparanda sit cum donatione mortis causa. Sed piger hujusmodi ineptiarum.

8. Illud aliquid momenti in contrarium habet, quod scriptum est in l. si donatione. 13. C. hoc tit. filiamfam. contra jura postulare, ut fundum sibi à patre donatum præcipuum habeat. Ad hunc obicem removen dum Fachinæus s. con'r. 80. utitur remedio violento, pro si is filiæfamilias constitutæ tibi, ut habent omnes codices in d. l. 13. re-

ponens, filiæfam. non constitutæ. Sed præter quam quod veteres nunquam hac circumlo cutione utuntur, ut dicant, filiusfam. non constitutus, pro emancipatus, etiam illa phrasis, præcipuam habere, quæ de liberis in potestate existentibus fere usurpari solet, istam emendationem respuit. Sed & ea admissa etiam hoc admittendum, donationem simpli cem à liberis emancipatis conferri oportere: quod etiam Fachinæus tanquam verum & certum ponit; sed falso esse paulo post demonstratum ibimus. Antonius Faber d. dec. 40. err. 1. ut hunc scopolum evitet, aliter tex tum d. l. 13. corrigendum putat, & pro verbis, à patre donatus, vult substitui, à matre, aut illud, à patre, deleri jubet, tanquam mali interpretis notam.

9. Sed videamus, an non commoda aliqua conciliatio afferti possit citra emendatrices manus. Quid enim si cum Duar. ad Cod. hoc tit. cap. 2. Perez. num. 17. Alber. de Rosat. in d. l. 13. num. 1. & aliis quibusdam veterum, dicamus interesse, utrum pater eo animo quid filio donaverit, ut id totum filii proprium esset, atque in ea voluntate per sevaverit; an vero non ut ejus fiat proprium, sed ut sit apud filium, tanquam res peculiari, & quasi peculi loco: ac priori casu quod donatum est, non conferri, secundum l. 18. Cod. fam. ercise l. 2. Cod. de inoff. donat. posteriori casu conferri, sive quod effectu idem est, in divisionem hæreditatis venire: ac de tali casu d. l. 13. C. hoc tit. intel ligendam esse. Evidem mihi hæc concilia tio minime inepta videtur: quamvis enim in d. l. 13. nulla fiat hujus distinctionis mentio, tamen non est novum, ut ex una lege alteram interpretemur, maxime cum utraque eundem auctorem habet, ut d. l. 18. & d. l. 13. quæ utraque eorundem est Impp. Diocletiani & Maximiani. Estque æquissima hujus distinctionis ratio, quoniam in donationibus hujusmodi spectanda maxime est voluntas patris, volueritne quod donatum est ad communionem revocari, an præcipuum haberi, id est, conferri, aut non conferri. Quod igitur in peculium filio datum est, id conferendum erit, quia non eo animo datum est, ut id filius præciperet: secus si donata filio proprietas, ob contrariam voluntatem.

10. Movere neminem debet, quod in d. l. 13. proponitur simpliciter, fundum à pa tre donatum esse, nulla mentione facta peculi: nam apud nostros non est inusitata etiam simplex verbi donare usurpatio, pro in peculium dare: ita enim donandi verbum usur patur in l. donationes 31. §. 1. & 2. de donat. l. per servum. 37. §. 1. l. quod fructuario.

49. *de aeq. rer. don.* Accedit, quod jus patris impediens, quo minus donatio ab initio consistat, præsumptionem inducit potius concessionem quandam in peculium factam esse, quam simplicem donationem, utique nisi ex coneturis & circumstantiis appareat, voluisse patrem, quod dedit, filii proprium esse: veluti in specie *l. filie.* 18. *C. fam. erc.* ubi proponitur pater nomine filia rem comparasse, eisque postea tradidisse, quod non fecisset, nisi eam rem penes filiam remanere voluisset. Neque enim hæc facta per omnia sunt paria, rem, quam jam habes; filio tradere aut dare; & rem aliquam, quam non habes, nomine filii prius emere, emptamque deinde donationis causa tradere, ubi duplex factum intervenit, ex quo enixior simpliciter donandi voluntas colligitur. Atque ut concedam Cujacio *z. obf. 30.* Fabro *d. dec.* 40. *err.* 1. nihil inter ista interesse in aliis personis; in patre tamen & filio distinctio hæc momentum haberet, ubi alias dato in peculium præsumi posset, fac. *l. 2. & 3. C. si quis alt. vel sib.* fortassis in hujusmodi negotio & rei qualitas, seu valor & estimatio consideranda, ut in modica præsumatur donatione, in magna potius in peculium concessio, veluti in specie *d. l. 13.* ubi de fundo agitur: quod consideravit Salic. *in d. l. 18. C. fam. ercisc. num. 12.* Atque hæc sententia, quod nec filii sui hæredes donationem simplicem conferre teneantur, etiam interpretum nostrorum communis est. Nemaus. *quaest. 1. Saport. n. 39. & seqq. Vafq. 2. de success. resol. §. 19. num. 60.* Sichard. *auth. ex testamento n. 5. & seqq. ad C. hoc tit.* Gilken. *ibid. n. 8. & seqq. & hoc vi ipsa etiam fatetur Ant. Fab. dec. 40. error. 1. & pass.* dum quod ita simpliciter filio. à patre donatum est, ait in divisione hæreditatis præcipuum filio adjudicari, licet neget confiri, propriam hujus verbi significacionem præfracte urgens.

11. Non minor quaestio est, an conferenda sit donatione vel simplex facta filio emancipato: non tamen tam, an à fratre emancipato, cui facta est, conferenda sit fratri, itidem emancipato, quod fere omnes negant; & vix de eo iusta est dubitandi causa, sive de jure veteri queratur, quo inter emancipatos collatio non erat, *l. 9. C. hoc tit.* sive de novo, propter *l. pen. §. 1. Cod. eod.* sed an conferenda sit fratri in potestate patria retento, quod plerique affirmit, Albert. de Rosat. *in auth. ex testam. num. 2 Cod. hoc tit.* Nemaus. *quaest. 1 num. 4 Saport. 101. Fachin. 5. contr. 80. Gilken. ad l. pen. C. hoc tit. n. 28.* pluresque alii ab his citati, *Ant. Fab. dec. 40. err. 2.*

12. Firmamenta hujus sententia præcipua,

quæ afferunt, sunt hæc. 1. Quod olim emancipati fratribus suis in potestate retentis omnia conferebant, *l. 1. ff. hoc tit.* neque hoc mutatum legimus. 2. Argumentum ducunt ex *l. ut liberis 17. in fin. Cod. eod.* ubi liberis emancipatis pro tenore præcedentium legum injungitur collatio eorum, quæ in ipsa emancipatione vel potea à parentibus suis consequuntur: quæ definitio cum generalis sit, utique etiam simplicem donacionem complectatur. 3. Proferunt *Nov. 18. cap. 6.* ubi Justinianus vult servari inter liberos æqualitatem, urgentiōne simul illa Imperatoris verba, *res præter dotem forte, aut alio modo datas,* quasi his etiam significetur donatione simplex.

13. Ceterum contraria sententia dicentium ne ab emancipato quidem exigendum, ut donationem simplicem conferat fratribus suis hæredibus, quæ & Vasquio *ubi suprad. 25.* & quibusdam aliis placet, probabilius mihi videtur. Etenim nihil est, quod magis repugnet voluntati simpliciter & absolute donantis; quam ut, quod ita donat, subjiciatur collationi: nisi forte ipse hanc legem liberalitati sua dixerit, *l. pen. §. 1. Cod. hoc tit. arg. l. si non mortis. 25. ff. de inoff. test.* Atque hanc ob causam etiam jure veteri, quo emancipati suis omnia alia conferebant, non tamen conferebant simplicem donationem, quam à patre acceperant, propterea quod, ut dixi, nihil tam alienum est à voluntate inducendæ collationis, quam absolute donare; ad impediendam autem collationem sufficiebat vel tacita patris voluntas, *l. filie. 18. Cod. fam. erc. l ex patre. 39. §. 1. ff. eod.* Itaque nec illud hic dici poterat, emancipatos suis inferre injuriam. Hoc autem, quod dico, ita se habere pater ex *l. 2. Cod. de inoff. donat.* Agitur illic de patre, qui omne suum patrimonium effusa liberalitate in unum ex filiis contulerat, & respondet, siquidem is filius in potestate fuit, arbitri familiæ ercundæ officio congruere, ut sorori eius filia defuncti quartam partem debita ab intestato portionis præstet incolumem: si vero fuerit emancipatus, tunc filia succurrendum esse querela inofficio donationis, per quam donatio tanquam inofficio, quatenus modum legitimum excedit, revocetur. Ex quo manifestum est neutro horum casuum donationem simplicem subjici oneri collationis, quoniam utroque nihil ultra portionem legitimam ex bonis paternis filia consequitur: *l. 5. l. 7. l. 8. Cod. d. tit.* cum alias si frater collatione fungetur, integrum semissimum totius hæreditatis paternæ auferret. Ad hæc cum id, quod de dona-

tione simplici non conferenda , nisi duobus casibus , constituit Justinianus in *I. pen.* §. 1. *Cod. hoc tit.* ad donationem à quocumque parente sine distinctione potestatis aut sexus ad liberos quoscumque profectam pertineat , ut patet ex *pr. d.* §. 1. quo colore excipiemus emancipatos in successione concurrentes cum iis , qui in potestate manerunt ?

14. Ex his , quæ diximus , simul appetet , quid respondendum sit ad primum contraria sententia argumentum , nimur absolute verum non esse quod afferunt ; sed semper exceptam fuisse simplicem donationem , idque ex tacita voluntate donantis , per *I. ex parte.* 39. §. 1. ff. *fam. erc.* junct. *I. filiae.* 18. *C. eod. I. 2. Cod. de inoff. don.* *I. pen.* §. 1. *Cod. hoc tit.* Ad secundum respondeo , clausulam illam in fine *I. ut liberis.* 17. *Cod. eod. emancipatis videlicet liberis pro tenore præcedentium legum* , ea , quæ in ipsa emancipatione &c. *acquisierint* , *collaturis* , ideo à Leone adiectam esse , ne quis putaret solam se dotem & donationem propter nuptias ab emancipatis conferri velle , alia autem ob causam à parente , de cuius bonis dividendis agitur , accepta , quæ secundum tenorem præcedentium legum &c ipsa ab emancipatis conferenda erant , ab onere collationis eximere. At vero quæ ita à patre accipiunt liberi emancipati , ea non accipiunt aut habent jure simplicis donationis , sed ut data ob causam , ut scilicet se exhibere , ac familiam , quam instituunt , sustentare queant. Emancipatorum autem ideo duntaxat mentio fit , quia in eos , qui in potestate manebant , hujusmodi donationes conferri non solent ; quippe cum horum exhibitio ad curam patris pertineat : quod etiam non obscure indicant hæc verba constitutionis , ut ad solet fieri. De simili quoque donatione accipienda est *I. 1. Cod. hoc tit.* ne alias quis ex sensu contrario argumentando putet donationem simplicem testamento non factò ab emancipatis conferendam fuisse : quanquam nec argumentum à contrario sensu petitum , præsertim ex rescriptis Imperatorum , semper procedit. Tertii argumenti , ex *Nov. 18. cap. 6.* sumpti , si vis ulla esse debeat , in universum concludi oportet , simplicem donationem à quibusvis liberis , & quibusvis liberis sine ulla distinctione conferendam esse , nisi expressim fuerit remissa collatio : nam illa constitutio ad omnes liberos ex æquo pertinet , ut in confessio est : nec illud minus in confessio est , non omnes liberos adstrinxi necessitate conferendi simplicem donationem. Vult quidem Justinianus æqualitatem

inter omnes liberos servari : ceterum excipiendum est , nisi parens ipse unum ex liberis velit aliquid habere præcipuum & ut proprium , veluti si cui quid simpliciter donaverit. Illa autem , verba , d. *Nov. 18. 19. 20.* ἡ οὐτανή τε τὴν ὕβριν προτίνεται , quæ dotis causa forte , aut alio modo dantur , non includunt donationem simplicem , sed intelligenda sunt de donatione propter nuptias , aut ob aliam similem causam facta , tanquam ex aliqua necessitate , ut in specie *I. ut liberis.* 17. *in fin. C. hoc tit.* Denique et si concederemus emancipatos iure antiquo etiam simplicem donationem contulisse ; ex novi tamen juris ratione , quod & solam spectat æqualitatis inter liberos conservationem , aliud dicendum foret : quippe cum non minus emancipati sint liberi , quam in potestate retenti , cum quibus nunc etiam jure civili succedunt : ac prout si hic emancipatos munus collationis sustinere volumus , æqualitatis ratio suadet , ut nec sui præcipiant , quod ipsis à patre donatum est : aut si hoc iis concedimus ; nec emancipati tali collatione onerandi erunt.

15. Ut igitur tandem concludamus , sic generaliter definimus , simplicem atque absolutam donationem , à quocumque parente facta sit cuicunque ex liberis , à nemine liberorum nemini è liberis conferri , extra duos illos casus , quos supra memoravimus , scilicet si aut hæc lex donationi dicta sit , ut conferretur , aut necessitas æquilitatis inducenda locum faciat collationi juxta *I. pen.* §. 1. *C. eod.* Atque hæc etiam Nicolai de Materell . multorumque aliorum veterum sententia fuit , testibus Baldo *in auth. ex testamento. C. hoc tit. n. 2.* & Nemaus. quæst. 1. n. 5. eamque probant Vasquius *lib.* 2. *de success. resol.* §. 19. num. 25. Socin. *jun. lib.* 1. *conf.* 54. num. 5. Philip. *Dec. ad d.* *I. pen.* & Jac. Menoch. *in addition.* *ibid. pulchre Ant. de Amat.* ad *I. 9. C. hoc tit.* n. 156. & seqq.

16. Secundum jus municipale Zelandiæ liberi indistincte etiam simplicem donationem à parentibus acceptam conferre tenentur. *Zeland. art. 22. præf.* Everh. *conf.* 183. *num. 10.* & idem etiam obtinet apud Burgundiones nisi donatarius omittere velit hereditatem contentus donato. Chassan. *ad confuet. Burgund. tit. de success. rubr.* 7. §. 5. n. 41. & seqq. & juri contentaneum esse , posquam sublata sit suitatis & emancipationis differentia , putat Molin. *ad Dec. in auth. ex testamento. C. hoc tit. & conf.* 59. n. 4. & ita usu in Gallia servari scribit : eamque sententiam aliquando fecuta

## DE COLLATIONIBUS.

est Curia Mechliniensis , teste Christin. vol. 1.  
decis. 178. num. 11.

### C A P U T X V I .

*De modo conferendi , & pœna non  
conferentis.*

### S U M M A R I U M .

1. *Quomodo re fiat collatio.*
2. *Utrum rem ipsam , quæ data est , conferri  
neceſſe sit , an ſatis fit conferri aſtimationem.*
3. *Res ipſa in ſpecie regulariter conferenda.*
4. *Quid juris , ſi res alienata ſit.*
5. *Quid ſi neceſſitas rei ipſius conferendæ non  
nihil injuriæ ſecum trahat.*
6. *Quomodo cautione fiat collatio.*
7. *Quid ſi quis ob inopiam cavere nequeat.*
8. *Quando opus aut non opus cautione.*
9. *Notatur circa modum conferendi diſcriben-  
aliquod inter jus vetus & novum.*
10. *Collatio fit deductis impensis neceſſariis ,  
& ſine iſuariis ac fructibus.*
11. *Improbatur ratio quædam ad hoc allata à  
Christineo.*
12. *Collatio fit pro portionibus hæreditariis.*
13. *Inſignis circa hanc rem diſtinctio , præci-  
pue ex ratione juris veteris.*
14. *Qui non adſpirat ad ſucceſſionem , ad col-  
lationem uigeri non potheſt : notabili li-  
mitatione.*
15. *Non conferentis que ſit pœna.*
16. *Si per errorem diſiſio facta ſit omiſſa  
cautione , adhuc tamen peti poſſe , ut col-  
latio fiat : & quo remedio.*

**V**I D E A M U S nunc , quod quinto loco  
quærendum erat , qua forma ſeu mo-  
do collatio fiat , tum quæ ſit pœna non  
conferentis. Collatio duobus modis fieri po-  
teſt & ſolet , re ipſa , & cautione ; ſic enim  
noſtri loquuntur. *l. 1. §. jubet. 9. §. quam-  
vis. 11. ff. hoc tit. quamvis proprie qui ca-  
vet ſive fideiuiſoribus ſive pignoribus , non  
confert , ſed de conferendo ſecuros facit  
cohaerēdes.*

1. Re fit collatio , cum fratres vel ſoro-  
res bona conferenda cum fratribus & ſorori-  
bus actualiter dividunt. *d. l. 1. §. quam-  
vis. vel cum minus accipiant remittendo  
tantum ex bonis paternis , quantum fratres  
ex collatione latrū effent. d. l. 1. §. ſed &  
ſi. 12. Idemque eſt , ſi nomen paterni de-  
bitoris delegaverint , vel fundum , aut rem  
aliam dederint pro portione bonorum , que  
conferri debuit. d. l. 1. §. 12. eumye , cui*

127

conferri oportet , liberaverint. *d. l. 1. §. pen.  
ff. l. 2. C. hoc tit.*

2. De illo quæritur , utrum omnino rem  
ipſam , de qua conferenda agitur , in ſpe-  
cie conferri oporteat , an oblatione aſti-  
mationis conferens defungatur. Et poſſit vi-  
deri & edictio prætoris & conſtitutionibus ,  
quæ aequalitatem tantum deiderant , abun-  
de ſatisfieri , ſi conferatur rei aſtimatio ,  
quæ eſt tempore collationis. Neque huic  
ſententia oblitant *l. 1. pr. ff. hoc tit. l. poſt-  
humo. 11. C. eod. utique contrarium ex his  
elici poſſe non videtur : cum & ille bona  
ſua vi ipſa conferat , qui confert aſtimationem.* Et hoc D. Tuldeno ad *C. hoc tit.*  
*num. 1. placere video per l. 1. §. ſed & ſi. 12.  
ff. hoc tit. cuius textus argumento etiam* ſiſhard. in rubr. *C. eod. n. 18. poſt Corneum  
in l. 9. C. eod. notat , in materia collationis  
hoc elle ſingulare , ut & ſpecies inter  
ſe , & cum pecunia compenſentur , cum  
alias tantum quantitatis cum quantitate  
penſatio ſit , per DD. in §. in bona. 30. Inſt.  
de actione. & in l. uit. C. de compenſ.*

3. Attamen ego in contraria ſententiam  
proclivior ſum. Cum enim ex adverſo ipſa  
corpora & ſpecies , quæ in bonis paren-  
tum manferunt , divisioni ſubſipientur ; idem  
etiam in iis , quæ conferenda ſunt , ratio-  
nis eſte videtur , ut ſc. ſpecies ipſa , quæ  
datae ſunt in medium confeſſantur , nec ad  
liberationem ſufficiat preſtare aſtimationem ;  
utique ſi altera pars diſſentiat : nam inter  
conſentientes quin aſtimatio collata ad li-  
berationem poſtit , dubium non eſt ; quo-  
niam & alias non obtinente creditore aliud  
pro alio ſolvere licet. *l. manifesti. 17. C.  
de ſolut. ac de tali caſu textum in d. l. §.  
ſed & ſi. hoc tit. accipiendo eſte , patet ex  
eo , quod jurisconsultus illic etiam de no-  
mine debitoris delegando , de fundo reve-  
alia pro portione bonorum danda , traſtat ,  
quod , ut notum eſt , non niſi inter conſen-  
tientes fieri potheſt. Perez. in C. hoc tit. n. 19.  
Coſtal. ad l. ſi filia. 20. ff. fam. ercifc. qui  
& ita judicatum memorat à curia Parifiensi ,  
ut & Papon. lib. 21. tit. 7. arreſt. 1. add.  
Christin. vol. 4. deſiſ. 2. num. 5. Ant. de  
Amat. ubi ſup. n. 131. & ſeqq.*

4. Plane ſi hæres rem collationi ſubjeſtam  
bona fide alienavit , nec in ſpecie confeſſe  
potheſt , ſatis eſt aſtimationem confeſſi ,  
facta reputacione temporis , quo collatio  
petitur. Coſtal. *d. loc. vide & Christin.*  
ubi ſupra , ubi in hoc quoque caſu Sena-  
tum Parifiensem , idem censuisse refert.  
Purarem tamen ſi res vendita proponatur  
poſt mortem patris , confeſſandam eſte eam  
ſummam quæ pro re accepta eſt , propter

quod jam cohæredibus acquisitum erat.

5. Sed & si quo casu ipsius rei collatio non nihil injurie conferenti allatura videatur, crediderim eum estimacionis collatione recte defungi. Neque enim verbū causa, eo casu, quo libri conferendi sunt, existimo scholarem cogendum eos ipsos actualiter conferre, cum iniquum atque absurdum sit studiose auferre libros, in quibus jam propter diuturnum usum memoriam localem habet. Salicet. in *I. filiæ.* 18. num. 15. Bald. in *I. 5. Cod. ad sen. Mac. Horat. Luc. tract. de priv. schol. priv.* 30. & ita censuisse supremam Curiam Mechlinensem testatur Christin. ubi supra. Idem dixerim, ubi nihil intereat hæredum estimatio, an res ipsa conferatur, cum Molinæ ad *Dec. in I.* 13. *Cod. hoc tit.* add. Ant. de amat. ubi sup. num. 139.

6. Cautione fit collatio, cum de conferendo vel fidejussores dantur, vel pignora: non enim satisfacto tantum, verum etiam pignoribus posse caveri de collatione placuit. *I. 1. §. jubet. 9. ff. hoc tit.* quamvis regulariter prætoriæ stipulationes satisfactio nem desiderent *I. 7 ff. de stip. præt.* Si unus ex hæredibus ante factam collationem decesserit, hæredi ejus conferri, vel de collatione caveri oportet aut ē converso hæredem ejus conferre aut caverre, & hoc est, quod DD. ajunt, jus conferendi & active & passive transire ad hæredes Gomes. ad *I. 29. Tauri. num. 37. I. 2. pr. ff. hoc tit.* & ibi Bart. *I. si maritus.* 14. *Cod. eod. I. 1. §. ibid. 8. ff. eod.*

7. Quod si forte quis ob inopiam rei familiaris caverere nequeat, curator ejus portionis constituitur, apud quem refecta pecunia collocetur, ut tunc demum recipiat, quod redactum est, cum bona propria contulerit. *d. I. 1. §. si frater.* 10. *I. 2. §. ult. eod.*

8. Non est autem opus cautione, si inter liberos conveniat, quid sit conferendum; sed si inter eos sit controversia, num aliquid conferendum sit; tunc enim suspenditur collatio ejus, data cautione de conferendo, si necesse erit. Nemaus. c. 2. n. 24. Pet. Tholos. 46. *syntagm. 8. num. 27.*

9. Olim cum sua omnia emancipati conferebant, boni viri arbitratu ita siebat collatio, ut de bonis conferentis prius deduceretur & alienum. *I. 2. §. 1. ff. hoc tit.* Et ea solum conferebantur, quæ actu adhuc penes emancipatum collationi obnoxium erant, non quæ alienaverat; utique si circa fraudem & dolum, alias secus, *I. 1. §. confitetur.* 23. *d. I. 2. §. 2. eod.* quod si id egisset, ne acquireret, collatio cef sabat. *d. I. 1. §. 23. argum. I. 6. pr. & §. 1. cum 3. seqq. ff. quæ in fraud. cred. I. von*

*fraudantur.* 134. *de reg. jur. Azo in summ. Cod. hoc tit. num. 11.* Sed postquam certarum duntaxat rerum collatio esse cœpit, & tandem solorum profectitorum ob causam, si res ipse conferri nec queant, eo quod forte alienatæ sunt, estimatio earum conferenda eit; neque propter & alienum cessabit collatio, sed non valentis conferre portio hæreditaria pro rata ejus, quod conferre debuit, minuetur. *per I. 5. Cod. hoc tit.* de quo etiam dictum jam ante est.

10. Cum autem sit collatio, impensa necessaria, quæ in rem conferendam faciat sunt, deduci solent. *I. 1. §. cum dos. 5. ff. de dot. collat.* ubi Gloss. & Bart. fitque collatio simpliciter sine usuris & fructibus. Ut ecce, qui dotem aut donationem propter nuptias à parente accepit, is parenti successurus, debet quidem hæc cæteris ejusdem parentis liberis, cum quibus succedit, conferre: at non item fructus aut usuras dotis aut donationis propter nuptias. Nam illud solum conferendum esse, quod quis titulo dotis aut donationis propter nuptias accepit, ac sufficere, si res ipsa vel summa principalis hoc nomine data conferatur, multi loci evincunt. *I. 3. I. 4. I. 8. I. ut liberi.* 17. *I. illam.* 19. *Cod. hoc tit. & pass. ff. de dot. collat.* Christin. vol. 1. decif. 178. ubi & supremam Curiam Mechlin. ita judicasse testatur, congruit art 29. Polit. Ordinat. Et ratio hæc est, quia fructus dotis percepti non sunt dotis, sed cedunt marito propter onera matrimonio cohærentia. *I. 7. de jur. dot. I. pro oneribus.* 24. *Cod. eod.* quod etiam ad donationem propter nuptias ob eandem causam pertinet, fac. *I. 1. §. sed an. 16. ff. hoc tit.*

11. Affert & hanc rationem Christin. *d. loc.* quod non alia conferantur, quam quæ reperiuntur in bonis conferentis tempore mortis patris vel matris, per *I. 6. I. filiæ.* 12. *Cod. eod.* fructus autem consumpti non sint in bonis. Sed si hoc argumentum procederet, etiam consumpta tota dote liberaretur filia à collatione, quod falsum esse patet ex auth. *quod locum.* *Cod. eod. & dictæ I. 6.* similiusque locorum non alia sententia est, quam quod non conferantur ea, quæ liberi demum post mortem patris acquirent. De casu collationis rei dotalis facienda constante adhuc matrimonio dixi supra cap. 12.

12. Porro collatio sit pro portionibus hæreditariis, quas quisque in hæreditate habet, ita ut persona quoque conferentis numeretur, & partem faciat *I. 2. §. ult. I. 3. §. 2. ff. hoc tit.* Nemaus. c. 2. num. 24. Duar. c. 3. *hoc tit.*

13. Ex ratione autem maxime juris veteris distinguendum hic est, utrum filius emancipatus, qui ad collationem vocatur, petita bonorum possessione contra tabulas, an ex capite editi *unde liberi*, ad successionem admittatur. Fieri enim potest, ut qui testamento facto bonorum possessionem contra tabulas accepit, interdum minus, quam si ab intestato accepisset, conferat, interdum etiam, ut nihil. Ut ecce, si pater una cum filio in potestate extraneum heredem instituerit, hic nisi emancipatus præteritus bonorum possessionem contra tabulas petat, filius heres scriptus non aliam partem ex testamento patris, quam ex qua heres scriptus est, consequi poterit, nihilque ei conferet extraneus cohæres. Emancipatus vero si accepta contra tabulas bonorum possessione extraneum removerit, quasi in locum ejus succedentes, pro ea tantum parte, quam fratri aufert, conferre tenebitur; quoniam & pro ea duntaxat parte fratri incommodat. Finge igitur extraneum ex semisse verbi causa institutum esse, hic emancipatus nihil conferet, multoque minus, si extraneus scriptus sit ex parte majore; quia tunc etiam beneficium ab emancipato accipit frater in potestate recentus. At si, verbi gratia, extraneus ex quadrante, filius ex dodrante heres scriptus est, hoc calu, quia quadrantem emancipatus fratri detrahit, quadrantem quoque bonorum suorum conferet, sed non amplius. *I. 1. §. 3. 4. ff. hoc tit.* ubi mire se torquent Gloss. & Bart. Quod si patre intestato mortuo ex parte editi *unde liberi* bonorum possesso obrineatur, hoc casu collatio æqualis erit, ut quantam partem emancipatus fratibus suis hereditibus detrahit, tantam & illis conferre teneatur. Finge emancipatum habentem patrimonium trecentorum concurrere cum duobus fratibus in potestate retentis: hic emancipatus singulis fratibus centum & sibi centum conferet; vique ipsa hoc perinde est, ac si solida trecenta cum hereditate patris confidisset, unde scilicet divisione facta centum ad ipsum redditura fuissent. Quod si quis interdum plus conferat, quam accipit, de se eum queri oportet, cui liberum fuit bonorum possessionem omittere. *I. 2. §. si tres. 5. ff. hoc tit.*

14. Qui autem non affectat successionem, ad collationem urgeri non potest. *I. ult. ff. de collat. dot. I. ex causa. 23. C. fam. ercisc. ul. i. hoc notant Bart. Bald. & Salic. Dua. c. 1. & 3. de collat. Christin. in leg. Mechlin. tit. 15. art. 3. num. 6. Praef. Everh. conf. 8. n. Vinn. Tract. Varii.*

2. ubi tamen *num. 4.* notabilem addit limitationem, videlicet quod id tunc demum procedat, quando omnes alii liberi salvam habent suam legitimam portionem. Quod si futurum sit, ut isti alii liberi, connumeratis bonis, quæ omissa alias hereditate, conferri non deberent, minus illa sua legitima parte consecuturi sint, tum eos jure desiderare posse, ut suppletio ex ipsis bonis ad modum legitimam fiat, per text. in auth. *unde si parens. C. d. inoff. testam. facit tot. tit. C. de inoff. donat.* & ita judicatum a supra Curia Mechlinensi resert Christ. vol. 4. decif. 2. num. 4. sub fin. add. Gomes. in l. 9. Tauri. num. 34.

15. Poena non conferentis, aut per contumaciam cavere nolentis, cum possit, hæc est, ut ei denegentur actiones hereditariae, quæ alias pro consequenda portione sua hereditaria ei competenter, donec consilium mutet. *I. 1. §. si frater. 10. §. si cum duobus. 13. ff. hoc tit. I. 11. I. 14. C. eod.* Quod si is, qui collationem detrectat, sit in possessione rerum hereditiarum, poterit ad collationem compelli officio judicis, per *I. 8. eod.* ubi Gloss. Cyn. Pet. & Jac. de Ravenn. Alberic. Bart. & DD. comm. Si quis autem carverit, sed cautioni non stererit, committitur stipulatio, cum post interpellationem de conferendo factam tantum tempus lapsum est, intra quod collatio commode fieri potuisse; & quanti ea res est, in tantum pecuniam condemnatur. *I. 5. in fin. ff. hoc tit. Nemaus. c. 2. num. 24. Perez. Cod. eod. n. 19. Welsemb. parat. eod. num. 6.*

16. Quid si per errorem jam facta sit divisione omissa collatione aut cautione, idque auctoritate judicis interveniente? Nihilominus adhuc peti poterit, ut collatio fiat. *I. 8. Cod. hoc tit.* quemadmodum & in calculo si error aliquis intervenerit, emendationi locus est. *I. un. Cod. de err. calcul.* Neque hoc tendit ad impugnandam sententiam, sed ad minuendam & moderandam executionem & vires judicati. Gilken. in d. *I. 8. Cod. hoc tit.* cum ibidem allegat. ubi tamen *num. 5.* hoc ita procedere ex Gloss. Alberic. Corn. Alex. & aliis notat, nisi auditis partium, collationem petentium & renuentium allegationibus post causæ cognitionem sententia judicis intervenerit. *fac. I. 7. §. 1. ff. de compens.* Sed tunc dici non potest collatio omissa per errorem: & hoc ipsum ita quoque temperandum est, si non apellazione intra tempora præfinita interpolata collatio petita fuerit. Ceterum quæstionis est, qua actione aut remedio post factam divisionem obtineri queat, ut collatio

adhuc fiat. *Glossa*, *Cyn.* *Alber.* *Bart.* & *DD. comm.* in l. 8. *Cod. hoc tit.* officium judicis hic requirunt. Et sane ad id confundendum erit, si adhibito judice divisio facta proponatur. Quod si omissa per errorem collatione sine judice facta sit divisio, tunc putarem collationem postulantibus competere conditionem indebiti: nam quantum, qui non contulit, conferre debuit, tanto minus fratres de rebus paternis illi debuerunt: quo sit, ut si amplius illi datum fuerit, indebitum soluisse fratres intelligentur. *fac. l. si quis. 10. §. 1. ff. de compens. l. 5. §. pen. ff. de impens. in rem dot. fact. l. cum putare. 36. circa fin. ff. fam. ercise.*

## C A P U T X V I I .

*De fine & effectu collationis.*

## S U M M A R I U M .

1. *Collatio initio introducta est minuendæ injuriæ gratia, quæ filiis in potestate retentis à prætore fiebat, admissis simul ad successionem emancipatis.*
2. *Fossea solam æqualitatis inter liberos conservationem hic spectari cœpisse.*
3. *Æqualitatem hanc non arithmeticam esse, sed geometricam.*
4. *Bona collata & ipsa fieri hæreditaria, aut pro talibus haberi.*
5. *Post collationem demum actiones hæreditarias cum effectu exerceri posse.*
6. *Paetum, quo necessitas collationis remittitur, quando validum.*

**U**NUM adhuc supereft, ut quæramus, quis sit collationis finis & effectus, hoc enim postremum est ex iis, quæ ad intelligentiam hujus argumenti diximus cognitu esse necessaria.

1. Ex iis, quæ supra differimus, præser-tim *cap. 2.* intelligere possumus, collatio-nem initio à prætore introductam esse mi-nuendæ duplicitis injuriæ gratia, quam sui hæ-redes pariebantur, eo quod prætor una cum his ad bonorum paternorum successionem admittebat & emancipatos: nam ita & suis hæreditibus pars hæreditatis paternæ, quæ ho-rum tota erat jure civili, detrahebatur, & eorum quæque bonorum, quæ sui hæredes quæsierant, partem consequebantur eman-cipati cum & ipsi sibi omnia quererent, & quæsita sibi retinerent. Cui utriusque injuria obviā iverit prætor emancipatos, succe-sionem patris una cum suis appetentes, ad

bonorum collationem vocando. *l. 1. ff. h. tit.*

2. Cum autem procedente tempore magis ac magis par atque æqualis liberorum omnium causa in successione parentum intestata esse cœpisset, ad hanc æqualitatem inter liberos servandam paulatim quoque ejus collationis attemperatum fuisse, ac tandem etiam tractum ad successionem ex testamen-to. Itaque nunc recte dicemus & *tit.* finem, propter quem collatio fit & petitur, hunc esse, ut servetur inter liberos æqualitas, eaque servata bona defuncti parentis una cum collatis inter eos dividantur. *l. ut liberis. 17. l. illud. 20. Cod. hoc tit. Nov. 18. c. 6.* Differt itaque collatio à divisione, ut antecedens à consequente.

3. Æqualitas autem hæc non est arithmeticæ, sed geometricæ, ut collatis omnibus, quæ conferenda sunt, tantam quisque portionem accipiat, quanta ei vel disposi-tione testatoris, vel lege delata est: sic enim referenda est æqualitas ad id, quod relictum est; verbi causa, si unus ex liberis institutus sit ex quadrante, alter ex dodrante, collatis omnibus in acervum hæreditatis, quæ hoc modo crescit, unus tres uncias totius, alter novem accipiet, sibique imputet, si quis minus accipiat, quam contulit, quia poterat hæreditatem omittendo effugere onus collationis. *l. 2. §. si tres. 5. hoc tit.* Quod si ex æquis partibus heredes scripti sint, æqualiter hæreditatem divident, quamvis unus plus alio conferat, quia plus à defuncto parente accepérat: idemque est in successione intestata. Et ita in partibus diversis propor-tio est geometrica, quemadmodum in substi-tutione reciproca, si testator hæredes ex im-paribus partibus institutos sibi invicem sim-pliciter substituerit. *l. 5. l. si plures. 24. ff. de vulg. & pup. subf. l. 1. Cod. de impub. & ad subf.*

4. Effectus collationis est hic, quod bona collata & hæreditati communis permitta, & ipsa hæreditaria fiant, aut utique vi ipsa pro hæreditariis habeantur: nimirum quæ ex bonis patris exierunt, nam de pécule profec-tio, quod in bonis patris manet & post mortem in hæreditate ejus repetitur, hoc proprie predicari non potest: quanquam intuitu naturalis possessionis & juris admini-strandi, quod vivente patre filius habuit, etiam hic collatio est, & fieri dicitur, de quo ubetins differimus supra *cap. 3.*


5. Est & hic collationis effectus, quod post eam demum actiones hæreditarie ef-ficaciter exerceri possunt: nam etiū statim atque agniti hæreditas aut bonorum pos-sessio est, actiones illæ ipso jure competunt;

tamen conferre nolenti denegantur, ut demonstratum est *cap. superiore*. Illud autem insubtile est, quod quidam ajunt, competere actiones, etiam si pacto hereditati renuntiatum sit. Prius enim de successione, quam de collatione aut actionibus querendis est: & sicut eum, qui ad collationem vocatur, aut cui confertur, successorem esse oportet, ita ex adverso præpostere disputatur de collatione in persona ejus, qui successor non est.

6. Hæc autem est eorum mens & sententia, ante hereditatem aut bonorum pos-

sessionem delatam pacto effici non posse, ut quæ alias conferenda essent, non conferantur, at postea posse, & juri jam quæsito recte renuntiari. *per l. pen. Cod. de pact. junct. l. ult. Cod. eod. lib. 3. Cod. hoc tit. l. si quando. 35. §. 1. Cod. de inoff. test. l. ult. ff. de suis & leg. hær. cum similib. quod quidem verum est, sed loco minus congruo hic tractatur, ut & alia quædam, quæ pertinent ad locum communem de pactis circa successiones: de quibus Dicitur in d. l. ult. Cod. de pact. & in l. stipulatio. 61. ff. de verb. oblig.*





# ARNOLDI VINNII J.C.

## DE TRANSACTIONIBUS TRACTATUS.

### CAPUT PRIMUM.

1. De usu verbi transfigere, quid sit transactionis, & quid differat à pacto.
2. Verbi transfigere cum propria, tum tropica significatio.
3. Ejusdem verbi usus specialis præsertim argumento proposito: tum qua in re differat transactionis à sententia, & jurejurando.
4. Decidere pro transfigere passim.
5. Vulgaris definitio transactionis minus accurata.
6. Inter pacifici & transfigere quid interfit.
7. Quomodo interpungenda. l. 1. ff. hoc tit.
8. Res dubia quæ hic dicatur, obiter.

**V**ERBUM transfigere, si originem & compositionem spectamus, idem significat, quod ultra agere sive transadigere. Tacitus annal. 14. Gladio se ipsum transfigit, quod Virg. 9. Aeneid. Sed viribus ensis adactus Transadigit costas. Statius. 5. Theb. Quatuor hos una, decus & solatia patris, Transadigam ferro. Atque hinc translatum ad alia significazione generali; ut idem sit transfigere, quod negotium confidere, expedire, tinere. Cicero pro Quintio, Quero qua ratione Naevius suscepsum negotium transfigerit? Item pro Rose. Comæl. Per nuntium hoc, quod erat tam leue, transfigere potuisti. Terentius in Andr. Facta, transacta omnia. & passim in Comoediis, intus transfigetur. Sic dicimus vitam transfigere pro traducere, pertagere, &c. Tacitus in vit. Agricola. In hujus sinu indulgentiaque eduratus, per om-

nem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transfigit. Sallust. procem. bell. Catil. Sed multi mortales dediti ventri atque sommo, indocti incultique vitam sicuti peregrinantes transfigere. Et initio ejusdem procemii; ne vitam silentio transfigant, veluti peccora, quanquam non ignoro in vulgatis fere legi transfeant. Atque in generali hoc significatu, sive pro qualicumque terminatione & finitione negotii, etiam à nostris sèpe usurpatum, ut videre est in l. ordine. 15. ad munici. l. 5. de decur. l. arbitrio. 18. §. de dolo. 4. ff. de dol. mal. l. 1. §. ult. ad SC. Tert. l. 1. §. 3. ff. de paet. In l. transacta. 229. & seq. de verb. sign. Paulus ait, transacta intelligi, quæ quoquo modo ad finem perducta sunt, vel tempore, vel judicis sententia, vel alio quovis modo. Apud Ulpianum. l. quid ergo. 13. §. pena. 7. de his qui not. infam. sententia transactum dicitur de extirpatione, apud Cajum l. ad nonandi. 31. in fin. ff. de jurejur. negotium jurejurando transactum, quomodo & Seneca præfat. lib. 7. declam. Placet tibi rem jurejurando transfigi.

2. Ceterum passim in usu juris & præsertim in argumento proposito specialiter hoc verbum usurpatum, & pro ea duntaxat conventione accipitur, quæ rem dubiam literaque incertam ita finimus atque expeditus, ut pro eo aliiquid vicissim accipiamus: neque aliud in proposito est transfigere. quam rem dubiam literaque incertam consensu terminare, dato aliquo, seu promissio, aut retento. l. 1. ff. hoc tit. lib. 2. l. transactio. 38. Cod. eod. c. super eo. x. eod. Itaque proprie quoque loquitur Cicero, pro Cluent. cum ait, Manlius rem cum Oppianico transfigit, pecuniam ab eo accipit, &c. Ajo, consensu terminare, quibus verbis transactio

distinguuntur à sententia & decisione judiciali : nam judicium redditur in invitum. *l. inter. 83. §. 1. ff. de verb. obl.* hinc consensu terminata pro transactis. *l. interpositas. 13. Cod. hoc tit. cum similib.* Additur, *dato aliquo, aut retento.* ut hinc removeatur *jusjurandum, quod & ipsum ex conventione profiscitur.* *l. qui jurasse. 26. §. ult. ff. de jurejur.* & propter communem cum transactione effectum speciem transactionis continere dicitur. *l. 2. eod. tit. transactio* tamen proprio non est ; quia in jurejurando non intervenit mutua compensatio , quæ in transactione desideratur : sed nullo dato vel retento aut promisso procedit. Sed & ei , cui *jusjurandum delatum est, necessitas imponebit, ut aut juret, aut jusjurandum referat.* *l. manifestæ. 38. d. tit.*

*3. Transactio* igitur , ut tribus verbis dicam , est non gratuita rei dubia decisio facta conventione partium ; atque ad hunc eundem modum etiam Wesembecius transactionem definit *parat.* *hoc. t. n. 2.* quamquam illa definitio imprudenti & tantum non aliud agenti excidisse videtur : Nam toties illic vacillat Wesembecius , ut Andabatarum more clavis oculis in eum locum irruisse videatur , quod & Bachovius notavit. Hinc jam intelligimus transactionem non esse nisi tunc cum actor ita item remittit , ut neque is totum , quod petit , asferat ; neque rursus totum amittat : sed de summa que petitur deciditur aliquid , & quasi decerpitur , quod derur actori , ut quod superest , apud reum relinquatur.

*4. Atque hinc factum est, ut Latinis, præsertim autem juris nostri auctoriibus, verbum decidere usurpatum sit pro transigere. Cicero pro Quintio, Affem se se negat daturum, nisi prius de rebus rationibusque societatis omnibus decidisset, & scisset sibi cum eo controversia nihil futurum. Idem pro Rosc. Amerino : Si hanc ei rem privatim Sext. Roscius mandavisset, ut cum Chrysogono transfigret atque decideret. Eodemque sensu hoc verbo utuntur nostri in *l. cum in eo. 44. ff. de paet.* *l. mandato. 60. ff. de procur.* *l. pr. ff. de cond. furt.* *l. 4. §. 1. ff. ad leg.* Falc. *l. ejus rei. 46. ff. de rei vind.* ex quo est litis decisio pro transactione. *l. 7. l. sub praetextu. 19. l. si quidem. 24. C. h. t. decisio furti l. post decisionem. 13. C. de furt.**

*5. Vulgo loco generis pactum seu pactio* ponitur : sed non satis subtiliter mea quidem opinione. Etenim pactiones & contrahentes non sunt genera transactionis, sed modi transfigendi : nam interdum nuda duntaxat pactio intervenit, aliquando stipulatio , *l. 2. l. pacto. 15. ff. l. sub praetextu. 19. l. sive*

*apud. 18. C. h. t. l. cum proponas. 21. C. de paet.* quandoque dato aut retento. *l. transactio. 38. C. h. t.* quæ diversa sunt ab ipsa transactione, si proprio loqui volumus : nec duplex esse potest genus unius & ejusdem rei. Qui in re tam plana aliud sectantur , næ illi nodum in scirpo querunt.

*6. Inter pacisci & transfigere* hoc interesse scribit JC. in *l. 1. ff. hoc tit.* quod qui transfigit, quasi de re dubia & lite incerta neque finita transfigit : qui vero paciscitur , donationis causa rem certam & indubitate ex liberalitate remittit. Discriben in duobus positum. *1. Transactio* semper est de re dubia & incerta : nam quod in *l. 32. C. hoc tit.* dicitur , de certa re pactum transactionis interpositum , id non de re indubitate , sed de una aliqua re aut lite , intelligendum est , ut ex ipso contextu patet. Pactum vero plerumque quidem de re certa seu indubitate fit , sed non semper : nam interdum etiam de re controversia & litigiosa pacisci dicimur. *l. 7. §. si paciscar. 13. cum seq. ff. de paet.* *l. transfigere. 18. C. h. t.* *l. 4. §. ult. l. 5. l. 6. §. 3. & seq. ff. de his qui not. infam.* Itaque hic character non est perpetuus , sed ~~ex~~ ~~as~~ ~~as~~ ~~in~~ ~~as~~ ~~transfig.~~ *2. Pactum* in specie acceptum ut ~~w'nt'ns~~ transactionis , semper est gratuitum : ac transactio in specie sic dicta semper fit aliquo dato retentore aut promisso , nunquam gratis *l. transactio. 38. C. h. t.* & hic character est perpetuus. Unde pactum donationis causa & transactio opponuntur. *l. 3. C. de repud. vel abstin. hered. l. 6. de solut.* sicut aliis locis transactioni opponitur donatio. *l. cum donationis. 34. C. h. t. l. ex conducto. 15. §. 4. ff. locat.* Quod si alicubi pactum dicatur fieri dato aliquo vel retento aut promisso , ibi pactio sive pactum latiore significazione ponitur pro transactione , ut in *l. contra juris. 28. in fin. ff. de paet.* *l. 1. C. eod. l. 4. §. ult. l. 5. l. 6. §. 3. & 4. ff. de his qui not. infam.* *l. 4. ff. de jur.* fisc. non quod proprio pactum se habeat ad transactionem , ut genus ad speciem , si subtilius loqui volumus : sed quia transactio etiam pactione fit : unde alibi rectius appellatur pactum transactionis causa factum & placitum transactionis *l. cum proponas. 21. C. de paet.* *l. 7. l. si de certa. 31. l. si pro fundo. 33. C. h. t.* sicut & pacto dicitur transfigi. *l. 2. l. pacto. 15. ff. l. de fidei-commisso. 11. l. interpositas. 13. C. eod. l. si instituta. 27. pr. ff. de inoff. testam.*

*7. Duarenus & Donellus* textum d. *l. 1. ff. h. t.* sic interpungunt ; *Qui transfigit, quasi de re dubia, & lite incerta, neque finita transfigit: qui vero paciscitur donationis causa, rem certam & indubitatam liberalitate*

remitit ; commate posito post donationis causa : idque post Cisnerum etiam probat Borcholt. c. 1. ad hunc t. n. 28. Sed haec interpunkcio tamcum abeit, ut necessaria sit, sicut ea, quæ diximus, aperte demonstrant, ut etiam mihi videatur inconcinnam efficer, & tantum non ineptam JC. sententiam qui paciscitur donationis causa, rem ex liberalitate remittit quasi vel unus de eo dubitate possit. Sane Graecorum interpretatio istam ferre non potest, qui sic lib.

11. Basili. tit. 1. cœl. Διατάξις. Ulpiani verba reddunt ; ἐν διατάξει τοῦ οὐκ εἰσὶ σημαῖνει ἔμφατος καὶ οὐκ εἰσὶν εἰς ἀπόχρονα Διατάξεις. ἀλλὰ τούτων τοῦ διατάξεως σημαῖνει διάλογος εἰς διαφορῶν φιλοποίας συγχώρει. Διάλογος ἡ ἀνθετήσαρχη γένεις συντίθεται, atque ad eundem modum Attiliaria in synop̄tit. 6. Harmenop. lib. 1. tit. 13. §. 14. qui sua illinc translulerunt.

8. Illud notandum est, in causa transactionis rem dubiam dici non solum eam, de qua lis jam mota est ; sed etiam, de qua moveri potest, aut lis metuatur. l. 2. C. h. t. imo amplius etiæ neque lis sit, neque lis metuatur, dummodo alia ratione res sit dubia, ut in specie l. 1. C. de pact. l. de fideicommisso 11. C. h. t. l. 8. §. si in annos. 23. ff. eod. sed hæc accuratius infra sub cap. 4. de materia transactionis.

## C A P U T I I.

## Quibus modis fiat transactionis.

1. T R A N S A C T I O vel fit nuda conventione, veluti si quis paciscatur, ut certum aliiquid accipiat & à lite recedat l. 2. pacto. 15. ff. h. t. l. si instituta. ff. de inoff. test. l. sive apud 28. C. h. t. cum similib. & tale pactum etiæ ipso quidem jure actionem non tollat, sed ea nihilominus integra adhuc actori maneat : exceptionem tamen reoperit ad summovendum actorem, si contra placita item persequi velit. l. sub praetextu. 19. d. l. sive apud C. eod. l. cum proponas. 21. C. de pact. Cæterum ita reus ex placito transactionis inutilem exceptionem habet, si paratus sit implere, quæ ipse contra promulgit; alioquin replicabitur de dolo. d. l. sub praetextu d. l. cum proponas. l. ult. C. si advers. transact. Quod si verbi causa in lite familie ericundæ convenient ut, certis partibus hæreditatis constitutis, ego hanc partem obtinerem, tu illam ; neque ego tibi

quidquam dedi, ut mihi dares, neque tu mihi ; porro huic placito stipulatio subjecta est : nulla ex hoc pacto, utpote nudo & neri placiti finestant, actio nascitur. l. divisionis. 45. ff. de pact. d. l. cum proponas. C. eod. & ideo placiti servandi causa stipulatio subjici solet. l. pacto. 15. ff. l. si profundo. 33. C. h. t. l. cum proponas. 21. l. petens. 27. C. de pact. l. 5. C. de contr. stip. Quidam putant in d. l. cum proponas. conventionem transactionis causa interpositam ideo ad producendam obligationem & actionem efficacem non esse, quia serio & deliberato amimo non intercesserat : quam ob causam Impp. quod gestum erat, placitum vocant, at non duorum plurium in idem placitum consensum : quasi vero plurium conventio transactionis gratia interposita non sit plurium in idem placitum, aut plurium in idem placitum consensus. Nec vero, ut illi contendunt, scriptura illic mentio sit, quia ex ea confer transactionem factam certio ac præmediato consilio, sed factam esse omnino : ea autem non interveniente alia probatione sit opus, ut ex textu ipso satis apparer. Et quid quæso refert ad vim obligationis scriptura de negotio aliquo intervenierit, nec ne, dummodo id, quod actum est, probari possit : l. cum res. 12. C. de probat. l. placitum. 17. C. de pact. l. 5. C. h. t. Sed haec inter pactum & stipulationem differentia iure Canonum sublata est c. 1. & 3. x. de pact. utique secundum communem canonistarum sententiam. Sane moribus hodiernis eadem serice cuiusque pactionis, quantumvis nudæ, vis est, quæ stipulatio; nec pactum minus, quam stipulatio ad actionem prodest : & hoc simplicitati juris naturæ ac gentium omnino conyenit l. cum amplius. 84. §. 1. de reg. jur. de quo fuisse dissero tract. de pact. c. 7.

2. Vel fit per contractum innominatum do ut des, vel facias : veluti, do tibi prædium, ut à lite discedas. l. si profundo. 33. C. h. t. remitto actionem, ut mihi partem bonorum des. l. 6. C. eod. Denique quoties simili lege quid datur, aut fit ab uno : quo casu ei qui dedit, aut fecit, in id quod interest, prescriptis verbis actio competit dd. II. nam quoties quid certa lege vel datum vel factum est, quod in utraque specie dd. II. supponendum esse, ratio decisionis satis arguit, pacti natura exceditur, & contractus evadit inominatus, unde civilis incerti actio, id est, prescriptis verbis exoritur. l. juris gentium 7. §. 2. ff. de pact. l. si dominus. 8. in fin. l. solent. ff. de præf. verb. l. 6. C. de jur. dot. & hoc transferri possunt, quæ nos tract. de pact. c. 6. n. 5. & 6.

3. Vel fit per stipulationem Aquilianam, & acceptilationem, *I. 2. I. pacto. 15. ff. hoc tit.* (nam acceptilatio subsequatur neccesse est. *I. 4. I. ut responsum. 15. I. si causa. 32. C. eod.* idque addendum *d. I. 2. & I. 15. ff. eod.*) & tunc actio ipso jure sublata est, ut omnino amplius moveri non possit. *d. I. 4. d. I. ut responsum I. sub praetextu. 19. C. eod. I. ult.* *C. Si advers. transact.* Declaremus rem exemplo. *L. Titius cum P. Mævio judicio agens centum ab eo petit, Mævius se debere negat.* Cum res esset dubia, convenit inter eos, ut Titius acciperet quinquaginta, & à lite discederet. Titius acceptis licet quinquaginta, potest nihilominus altera quinquaginta judicio petere; quoniam pacto transactionis actio ipso jure sublata non est: quamvis id pactum reo pariat exceptionem. Ut autem ipso jure perimitur obligatio, in reliqua quinquaginta actor prius ita stipulabitur, *Quod ultra illa quinquaginta mihi debes, daturum te mihi spondes?* & reus respondebit, *Spondeo*, ac mox interrogabit actorem, *habeatne acceptum id quod ita novandi animo stipulatus est,* & actor acceptum ferat.

4. Vel fit per stipulationem simplicem, veluti, *Dabis mihi centum, ut à lite discedam?* & tunc actio ex stipulatu datur. *I. cum mota. 6. I. si profundo. 33. Cod. hoc tit.*

5. Vel denique pactioni aut stipulationi antecedenti subjungitur etiam poenalis stipulatio, veluti, *dabo tibi centum, ut à lite discedas. Spondesne ergo te à lite discessurum?* & *si non discedas, pœna nomine ducenta dare spondes?* *I. pacto. 15. ff. I. prom. 37. I. si quis. 41. Cod. eod.* & hoc consultius esse scribit Paulus in *d. I. pacto. ff. eod.* nimirum ad evitandam difficultatem probandi id quod interest pacientis aut stipulantis, si promissis non sterter. *§. ult. Inst. de verb. oblig.* hoc autem casu si actor acceptis centum, ut à lite discederet, non desistat, sed litem adhuc moveat, liberum erit reo alterutrum facere, nempe vel exceptione pacti se tueri adversus agere volentem, vel poenam in stipulationem deductam petere: non autem simul & exceptione transactionis uti potest, & petere ducenta poenæ nomine, nisi expressim convenerit, ut rato manente transactionis placito etiam poenam petere liceat. *I. pen. ff. hoc tit.* nam tunc ex voluntate transigentium utrumque recte petitur. At ubi nominatum id non convenit, non est æquum, ut simul & ex stipulatione poenali commodum ferat, sed alterutro contentus esse debet. *I. rescriptum. 10. §. 1. ff. de pacto. I. si pacto. 14. Cod. eod. I. si pater. 12. §. 2. ff. de pacto. dot. I. 4. §. labeo. 7. de except. dol.*

*mal. fac. I. si quis. 129. de verb. obligat.* Atque hinc explicandum & temperandum responsum Scævola in *I. qui Romæ. 122. §. ult.* *d. tit.* ut rectè ibidem Cujac, Duar, Donell, idem Cujac. in *I. rescriptum. §. 1.* post Gloss. Bart. &c. de pacto.

6. Plane si jurata sit pactio vel transactio, & contra eam factum, placet eum cuius interest, odio perjurii utrumque consequi posse & præterea qui fidem rupit, notatur infamia. *I. si quis major. 41. Cod. hoc tit.* & ibi D.D. quæ nova est Arcadii & Honotii constitutio perjurium arbitratu suo punientum; sed nostris & Gallorum moribus poenæ hujus constitutionis non observantur, testib. Syp. not. jur. Belg. de pœn. vers. pœn. Autumn. ad d. leg. 41. Groenev. ibid. & aliis illie allegatis.

7. Casus nonnihil diversus est, qui pronponitur in *I. cum proponas. 17. Cod. hoc tit.* Nam quod ibi reus, qui dedit, ut actor à lite discederet, auctore litem intaurante, repete potest, quod dedit, id non fit vi stipulationis poenalis, sed quia causa ob quam datum erat, secuta non est, unde danti conditio ob causam dati re non secura, quam habet etiam sine stipulatione poenali, *tit. ff. de cond. ea. dat.* & *C. de cond. ob ea. dat.* utique enim si nolint exceptione transactionis uti, neque in factum prescriptis verbis agere, poterit repetere quod dedit. *I. 5. §. 1. & 2. ff. de præfer. verb.* Quod si reus stipulatus sit, ut auctore fidem non servante, possit & exceptione transactionis uti, & simul data repetere, hæc est illa stipulatio poenalis, de qua in *I. cum proponas. C. h. t.* cuius vis in eo polita, ut utroque auxilio reus, si velit, fruatur vid. Hotom. in *d. I. cum proponas.* & quest. illustr. 20.

8. Porro aut pure fieri transactio potest, aut sub conditione. *I. si super. 9. C. h. t.* & tam verbis generalibus, quam speciabilibus: neque enim necesse est eum, qui transigit, negotia omnia aut lites recitare. *I. sub praetextu. 29. I. si de certa. 31. C. eod.* nec refert interdiu, an noctu fiat. *I. non minorem. 20. C. eod.* in judicio, an extra judicium. *I. five apud. 28. C. eod.* scriptura interveniente, nec ne, sive ut belle Græci, ισχεψις καὶ ορθοψις. *I. 5. d. I. 28. C. eod.* Harmenop. lib. 1. tit 10. § 2. Etenim scripturæ fieri solent, ut quod actum est, facilius probari possit: ceterum & sine his valet, quod actum est, si habeat probationem *I. 4. ff. de pignorib.* *I. 4. ff. de fid. instrum.* Quod si per simulationem aliquid à transigentibus expressum est, quod in scriptura continetur, id quod inter eos actum est magis, quam quod scriptum est,

inſpiciendum erit. *I. cum ea.* 21. *C. h. t. l.*  
*ſi ex pretio.* 6. *C. ſi cert. pet. tot. tit. C. plus*  
*val. quod agit. quam quod ſimul. conc.* In  
transfactione de alimentis forma & ſolem-  
nitas oratione D. Marci præscripta, ob-  
ſervanda eſt, quæ extat in *I. cum hi.* 8. *ff.*  
*hoc tit.*

## C A P U T III.

*Qui tranſigere poſſunt.*

1. **T**RANSACTIO eſt ex genere pro-  
hibitorum: quamobrem ſic recte de-  
finiemus, poſſe omnes tranſigere, qui na-  
tura aut jure non prohibentur. arg. *I. mu-*  
*tus.* 43. §. 1. *ff. de procur.* *I. nec non.* 28. §. 2.  
*ff. ex quib. ca. maj. & quoniam transactio,*  
eſt ex conventione, & con'eſu, hinc in-  
telligimus eos, qui nullum intellectum aut  
animi judicium habent, tranſigere non po-  
ſſe, quales ſunt furiosi, mente capti, in-  
fantes. *I. in negotiis.* 5. *de reg. jur.* *I. I. §. fu-*  
*riofus.* 12. *ff. de oblig.* & *act. §. pupillus.* 9.  
*Inst. de inutil. ſtipul.* Nemo autem ob mor-  
bum corporis tranſigere prohibetur, dum-  
modo mente ſanus ſit. *I. ſanum.* 27. *C. h. t.*  
ſieri enim potest, ut morbus uſque ad ani-  
mum quoque penetret, mentemque ſic af-  
ficiat inualetudo corporis, ut ipſa ſibi non  
conliet. *I. I. §. 9. I. 4. ff. de edil. edit.*

2. Sed neque pupillum infante majorem  
aut pubertati jam proximum tranſigere ſine  
tutoris auctoritate poſſe existimo. Nam eti-  
eius ætatis pupilli recte paciſcantur, ne  
quod debent, à ſe petatur, & tale pactum  
jure valeat, *I. contra.* 28. *pr. ff. de paſt.* ta-  
men nec promittendo ſe obligare, nec re-  
mittendo alios liberare poſſunt: ſine quibus  
tamen transactio nulla eſt. *I. transactio.* 38.  
*C. h. t.* Nec oblitat, quod hujusmodi tran-  
ſactio, quatenus pupillis prodeſt, favore  
ætatis ſuſtinetur: nam & ætatis favore ſuſti-  
netur ſententia pro minore lata in ſpecie. *I. non eo minus.* 14. *C. de procur.* quamvis re-  
vera & inſpecta ratione juris nulla ſit. Sic  
etci nulla venditio eſt earum rerum, quæ  
commercio exempta ſunt. *I. 6. I. ſi empio-*  
*ne.* 34. §. 1. *ff. de contr. empt.* tamen ſi quid  
eorum deceptus à venditore emero, placet  
haſtentus empionem ſubſitere, ut actione  
ex empto conſequar, quod mea interest de-  
ceptum non eſſe. §. ult. *Inst. de empt.* &  
*vend.* & ita cape *I. 4. ff. d. tit.*

3. Plane dicimus, ne puberes quidem  
curatorem habentes ſine conſenſu eius recte  
tranſigere, quoniam transactio in plerisque  
inſtar alienationis eſt: certi vero atque

## T A T U S

explorati juris eſt, minores non poſſe abſ-  
que curatorum conſenſu res suas alienare.  
Utique item remittere, aut dare aliquid,  
ut a lite diſcedatur, ſpeciem conteinet alie-  
nationis, & ad jus administrandi pertinet,  
quod minoribus curatorem habentibus de-  
negatum eſſe conſtat. Itaque hoc ſolum hic  
quaerendum relinqui videtur, an non fal-  
tem minoris tranſactio ſine curatore facta,  
non dato aliquo aut remiſſo, ſed promiſ-  
ſo tantum, ipſo jure valeat, atque ex hac  
promiſione ſua civiliſter minor obligetur?  
Sed ne hoc quidem admittendum ceneſeo:  
neque enim magis in minore id admittere  
poſſis, quam in eo, cui à prætore curatore  
dato bonis interdictum eſt; quippe cujus &  
minoris curatorem habentis parem in con-  
trahendo conditionem faciunt Impp. in *I.*  
*3. Cod. de int. ref. min.* ſicut autem certum  
eſt prodigos promittendo ſe obligare non  
poſſe, *I. is cui.* 6. *ff. de verb. obl.* & ibi  
Gloſſ. & DD. ita non minus pro certo haben-  
dum, tranſactionem qualemcunque à pro-  
digio interpoſitam nullius eſſe momenti,  
arque ea communis eſt uſuque recepta ſenten-  
tia prolixius à nobis defenſa tract. de paſt.  
*cap. 13. num. 13. & seqq.* Minores vero ſine  
curatore conſtituti tranſigere quidem po-  
ſſunt, valetque ipſo jure talis tranſactio:  
ſed ſi intra tempora legitima ſe laſos eſſe  
probaverint, cauſa cognita in integrum  
reſtituuntur. *d. I. 3. Cod. de in int. ref.*  
*min. & tit. C. ſi aduers. transact.* Quare quod  
legitima etas in tranſactione requiriſtur, *I. ſi*  
*major.* 22. *I. ſi majores.* 25. *Cod. hoc tit.* id  
eo pertinere sciendū eſt, ne forte ob æta-  
tem poſtea reſcindatur tranſactio, ſed ut rata  
maneat eamque ſequatur pleniffima ſecuritas.  
Quamobrem in universum ſic definire li-  
bit, neminem jure & efficaciter tranſigere  
poſſe, niſi qui liberam habeat terum ſuarum  
administrationem.

4. Cæterum ſunt etiam, qui alieno nomine  
recte tranſigunt, & quidem quin iſi tranſigere  
poſſit, cui ſpecialiter mandatum eſt, ut  
tranſigat, nemo, ut puto, dubitat. De pro-  
curatore quoque in rem ſuam conſtituto ſive  
cui ceſſa aut mandata eſt actio, dubitandum  
non eſt, quin tranſigere ac decidere cum ad-  
versario poſſit, cum poſſit & juſjurandum  
deſere, *I. juſjurandum.* 17. *in fin ff. de*  
*jurejw.* adeoque domini loco habeatur, *I.*  
*ſed ſt 13. §. 1. ff. de paſt. I. procurato i.* 55.  
*ff. de procur.* ut magis in propria cauſa,  
quam aliena tranſigere videatur. *I. qui ſtipen-*  
*dia.* 19. *Cod. de procur.*

5. Sed procurator ad agendum vel deſen-  
dendum datus tranſigere non potet, niſi  
litis quoque decisio ſpecialiter ei mandata  
fuerit.

fuerit. *l. Transactionis.* 7. *Cod. hoc tit. c. qui ad agendum.* 2. *de procur. in 6.* fines enim mandati diligenter custodiendi sunt. *l. 5. ff. mand.* at qui transfigit, item non movet, sed finit, unde nec mandato generali contineri transactionem decidendi causa interpositam responsum est. *l. mandato.* 60. *ff. de procur.* hoc est, ut ego interpretor, atque ex ipso textu elicere videor, ne is quidem, qui simpliciter aut generaliter procurator ab aliquo constitutus est, etiam transfigendi licentiam accepisse intelligitur, sed litium duntaxat exercendarum potestatem; ut proinde irrita sit & hujus procuratoris transactio citra speciale mandatum, aut ratihabitio nem mandantis; quae etiam Eguin. Baronis in *d. l. mandato.* & Franc. Duarenii *cap. 1. ad hoc tit.* sententia est. His porro & illud consequens, nec actores defensore vel civitatis, municipii, aut corporis alicujus transfigendi potestatem habere, extra quam si speciale ad hoc mandatum habeant: & argumento est, quod nec aliter jurandum deferre queant. *l. jurandum* 34. §. 1. *ff. de jurejur.*

6. At vero procurator, cui generaliter libera bonorum omnium administratio commissa est, transfigere, aliaque omnia facere & audacter administrare potest, quæ communis ipse faceret si praesens adesset. *l. procurator.* 58. *ff. de procur.* *l. nam & nocere.* 12. *ff. de pact.* *l. jurandum.* 17. §. *ult. ff. de jurejur.* nec interesse putamus, utrum simpliciter alicui bonorum universorum administratio mandata sit, an mandata adjecto verbo *libera:* nam & illi libera, & neutri amplius, quam administratio permissa est: quodque uni licet alteri quoque licere ex collatione *d. l. procurator.* & *d. l. nam & nocere.* multarumque aliarum, quas conges simos in *comment. ad §. nihil autem.* 42. *Inst. de rer. div.* manifeste appetit. add. Duar. *ad l. 1. §. per procuratorem.* 20. *ff. de acq. poss.* Don. 4. *comment.* 15. Vaud. 1. *queſt.* 47. ubi tritam illam distinctionem inter procuratorem omnium bonorum simplicem & cum libera, ut commentitiam merito improbant. Neque tamen cum dicimus eum, cui rerum omnium libera administratio permissa est, transfigere posse, hoc sic accipi volumus, ut possit etiam paratas habeat probationes, quibus id, quod intendit, aperte queat ostendere: sed ut possit, quando probationes ei deficiunt, & in causa domini plane dubia atque incerta. In levi autem dubio, aut re, licet non usque certa, modico forte accepto à lite discedere non debet, & multo minus gratis remittere, quod domino deberi probe & plene docere potest:

*Vinn. Tract. Varii.*

hoc enim non tam administrare est, quam profundere & dissipare. *l. 7. ff. de donat.* & *huc fac. arg. ex contra juris.* 31. *in fin. de pact.* *l. pactum.* 22. *Cod. eod. l. preses.* 12. *C. hoc tit. l. tutor.* 35. *pr. ff. de jurejur.* *l. Lucius.* 46. §. *ult. ff. de admin. tut.* unde temperanda atque explicandæ *l. 21. ff. de pact.* *l. jurejurandum.* 17. §. 2. *ff. de jurejur.* & si quæ similes.

7. Idem juris, quod habet generalis omnium rerum procurator, habent & tutores & curatores; nam & ipsi de re pupillorum & adolescentium recte transfigunt. *l. Lucius.* 46. §. *ult. ff. de adm. tut.* *l. si pignore.* 54. §. *ult. l. interdum.* §. 4. *ff. de furt.* non aliter tamen, quam si jus illorum obscurum & valde dubium sit, nec probationes suppetant, per *l. tutor.* 35. *ff. de jurejur.* aut si forte alias nihil sint conlecturi. Decidendi inquam, non diminuendi causa. *d. l. Lucius.* §. *ult.* Itaque recte Gail. 1. *obs.* 72. tum demum ait valere transactionem tutoris, quando de justitia pupillorum plurimum dabitur? aut cum forte sumptus in exigendo & lite persequenda faciendi, excessuri sunt ipius debiti quantitatem: nam & in dubio litis exitu præstat partem accipere, quam periculum amittendi totius subire: & satius est accepto aliquo à lite discedere, quam majores toto quod consequi possis, impensas facere. Illud in confessio est, si per transactionem tutoris aut curatoris res pupilli aut adulti immobilis, aut quæ mobilis ex earum numero, quæ recensentur in *l. lex queſt.* 22. *Cod. de adm. tut.* in adversarium transferenda sit, eo causa etiam judicis decretum interponendum esse. *d. l. 22. l. 4. Cod. de præd. & al. reb. min. &c.* In eadem causa sunt & administratores civitatum, qui & curatores appellantur. Nam & illis permisum est de re civitatis dubia liteque incerta transfigere: rem autem certam atque indubitatam frustra remittunt. *l. preses.* 12. *C. hoc tit.* ubi hujusmodi remissiones à curatoribus civitatis factæ, ambitiosæ vocantur, & merito: non enim dubium est, quin eo facto affectent laudem liberalitatis aut splendoris, aliosque sibi cupiant gratia & beneficio demererit: ambitio enim gratiam & favorem significat. *lib. 3. Cod. de execut. rei jud.* apud Cic. *lib. 13. epift. religiose & sine ambitione commendare,* est commendare sine favore: apud Mecianum. *l. serv.* 55. §. 2. *ff. ad Sen. Treb.* ambitiosæ jubere restitui, est gratiose & favorabiliter, φιλάνθρωπος. decurionum decreta varia ratione per gratiam expressa, ambitiosa appellat Ulpianus *l. 4. de decret. ab ord. fac.* ut & decreta præsidum, quibus ante

legitimam ætatem adolescentibus rerum suarum committitur administratio. *l. 3. ff. de minor.* Objicit huic sententiae Accursius rescriptum Severi & Antonini in *l. 5. Cod. de usur.* ubi tamen nihil simile.

8. Ajunt illic Imp. adversus creditorem, qui per certos annos minores usuras, quam cauta erant, accepit, maiores postea pertinentem, utilem esse exceptionem paeti: idque non tantum locum habere in privatis creditoribus, verum etiam adversus rempublicam sive civitatem, si forte defensores civitatis minores usuras longo tempore acceperint. Non ajunt, si id factum sit ab administratoribus, syndicis, aut curatoribus civitatis, quorum negligentia aut factum, extra id quod eis mandatum est, rempublicam obligate non potest, *l. civitas. 27. ff. de reb. cred.* sed si id fecerint defensores, id est, ipsi magistratus, qui totum reipub. corpus representant, & quorum proinde negligentia, vel etiam ambitione civitati quoque quæ privatorum & communii jure hic utitur, *l. 16. ff. de verb. sign.* *l. nihil interest. 15. ff. de senat. Maced.* nocere queat.

9. Defensores autem civitatum passim in constitutionibus appellari ipsos civitatum magistratus, qui Græcis *τάγματα καὶ σπουδαῖα* dicuntur. *l. Henric. ap. 30. Cod. de episc. and.* satis nunc constat. *l. 2. Cod. de annal. except.* *§. nos autem. Inst. de Attil. tut. & tot. tit. Cod. de defens. civit.* Hoc vero discrimen cum Accursius & Accursiani interpres non observaverint, magno molimine magnas rugas commenti sunt, ut videre est apud Sichard. in *d. l. præses. Cod. hoc tit.* An autem in casu hic proposito perenti reipublica concedenda sit in integrum restitutio, non est quæstio hujus loci. Vid. Fort. Odd. *p. 1. 4. 3. art. 9. & ibi alleg.* Sichar. in *lib. 4. Cod. quib. ex caus. major.*

10. Procurator autem Cæsaris sive principis, qui & rationalis, omnino transfigere non potest: ac ne eo quidem casu quererum omnium procurator privati, aut curator civitatis de re domini aut civitatis recte transfigit; id est, nec si jus principis ambiguum & obscurum esse constet, nisi specialis accedat Principis consensus: sic enim intelligenda puto verba Æmilii Marci in *l. nulli. 13. ff. hoc tit. nulli procuratorum Principis inconsulto Principe transfigere licet*; id est, sine speciali Principis mandato. Exciunt Glossa, Bart. Jas. nisi transfigendo rem dominicam retineat, & tantum aliquid aliud vicissim det: quia utique meliorum Principis conditionem facere potest, per *l. 1. §. 1. ff. de offic. proc. C. ej.* quam exceptio-

nem probat & Perez in *Cod. hoc tit. num. 4.* Sed quid interest, rem, de qua controversia est, rationalis remittat, & aliud vicissim pro ea accipiat; an rem ipsam retineat, aliud vicissim det? Nam & hoc modo transfigendo alienat, quod ei nullo modo permisum sine expresso consensu Principis. *d. l. 1. §. 1. ff. de offic. proc. C. ej.* Praeterea itaque rejecta ista exceptione jus transfigendi procuratori rei dominice simpliciter denegare cum Baldo, Castrensi. Duar. nisi ad hoc speciale mandatum habeat: maxime cum ita serviamus etiam verbis Jurisconsulti in *d. l. nulli. hoc tit.* quod in re dubia melius esse docet Ulpian. *l. 1. §. licet autem. 20. ff. de exerc. act.* Enimvero si rationalis transfigendo utiliter rem Principis gesserit, dubium non est, quin eam transactionem ratam habere Princeps possit. Sed hoc nihil ad propositum facit, cum & pupillorum & minorum curatorem habentium transactio, quatenus sibi profund, sustinatur, ut dictum supra circa initium hujus cap.

11. De illo non satis convenit an & quatenus patris de rebus filii transactio procedat & filio obseruit. Et de bonis filii emancipati patrem transfigere non posse Ulpianus in *l. de re. 10. ff. hoc tit.* respondet: nec mirum, cum filius emancipatus extranei loco habeatur. *§. 3. Inst. de hered. qual. & diff.* nemo autem de rebus extranei transfigendi jus habet sine ejus mandato. *l. 3. 17. ff. hoc tit. l. si unus. 27. §. 4. ff. de paci.* qua de causa nec matris transactio liberis obicit: nempe quia liberi matri extranei sunt. *d. §. 3. Inst. de hered. qual. l. 5. ff. de adopt. junct. d. l. 27. §. 4.* Sed & filius emancipatus, ut quisvis alias patrifamilias pleno iure bona possidet. *l. pater fam. 182. ff. de verb. sign.* Utique tamen si filius emancipatus in prima adhuc ætate sit constitutus, pater, utpote qui legitimam ejus tutelam ex emancipatione nanciscitur, idem jus circa transactionem de rebus filii emancipati habet, quod cæteri tutores, & ita temperanda *d. l. de re. 10. ff. hoc tit.* Quid si filius sit in potestate? Distinguenda sunt peculia; nam in castrensi & quasi castrensi peculio filiusfamilias pro patrifamilias habetur. *l. 2. ff. de SC. Maced. l. ult. Cod. de inoff. test.* ac proinde patri hic nullum jus. Ex contrario peculium profectum pleno iure est patris, & ideo de eo, tanquam de re propria, recte transfigit. De bonis vero adventitiis ita statuendum. Quorum bonorum adventitorum ususfructus ad patrem pertinet, de his quoque bonis transfigere pater potest. Ratio est, quia pater non modo horum bonorum ususfructum habet: sed etiam le-

gitimam administrationem. *l. ult. C. de bon. quæ lib. in potest.* Et quidni igitur idem hic jus patri ut administratori, concedatur, quod cæteri tutores & curatores habent in rebus eorum, quorum tutelam aut curam gerunt, ut scilicet etiam transfigere pater de bonis istis filii in causa dubia hincque incerta possit? Ita Accurs. in d. *l. de re. & cæteri ibid. & in l. præses. Cod. eod.* Non moveor objectione Cujacii, quod hoc admissum fieri possit, ut transactione fructuarii ledatur proprietas, quæ filio competit. Quid enim, an tutori potius aut curatori concedendum, ut pupillo aut minori plenam intervertant proprietatem? Præterea & patris hæc administratio privilegiata est: nam tutores & curatores pro administratione sua cautionem præstant, tit. ff. rem pup. salv. pater non præstat, d. *l. ult. §. 4. Cod. de bon. quæ lib.* quod haud dubie constitutum est ob reverentiam paternæ potestatis, & juris antiqui, quo proprietas quoque illorum bonorum patri quærebatur. Nemo igitur mihi dicat eum, qui plus præstat cautionis, etiam plus juris habere debere. nam eti hoc procedit in personis ejusdem conditionis, minime tamen locum habet, ubi aliquid est in una persona, quod vel exæquet vel etiam supereret qualemcumque cautionem alterius, ut in specie, quam hoc loco tractamus. Est tamen hic adhibenda distinctio aliqua ex d. *l. ult. §. 3. videlicet*, ut si filius sit justæ ætatis, tunc etiam filii consensus in litis transactione adhiberi debeat, sicut & in movenda actione; sin minus, patris solius sufficiat: qua distinctione etiam Cujacius in d. *l. de re ff. hoc tit.* uti debuerat, non simpliciter filii consensum exigere. Superfluum jam & ineptum esset monere hic, non aliter patris super re filii propria transactionem procedere, quam si ex justa causa & bona fide transactio fiat, quod nonnulli faciunt, inter quos & Borcholt. c. 4. num. 11. ad hunc tit. Nam qui super re plane dubia & probationibus deficientibus aut cum consensu ejus, cuius res est propria, transfigit, non potest non videri bona fide & iusta ex causa transfigere. Illud non ex certa aliqua & explorata auctoritate juris, sed ex communi interpretum sententia & probabili ratione receptum est, ut quamvis tutorum & curatorum de rebus pupillorum vel adulorum immobilibus, iisve mobilibus, de quibus Constantinus in l. 22. C. de adm. tut. transactio sine interpositione decreti magistratus non procedat, patre tamen de bonis filii adventitiis, ut fructuario & simul legitimo administratore, transfigente decreto non sit opus. Jas. & alii in l. præses. 12.

*C. hoc tit. Gail. 2. obs. 72. num. 14. quam sententiam & Bachovius probat c. 3. de transf.*

12. Postremo & illud quæsum est, an vasallus de feudo transfigere possit, inconsulto feudi domino. Et video plerisque placere hanc distinctionem, ut siquidem vasallus ipse feudum possideat, tunc sine consensu domini non possit neque in totum neque pro parte illud in aliud decidendo transferre; ab alio vero possessum possit relinquere possessori. Tiraq. de retract. gentil. tit. 1. §. 1. Gloss. 14. num. 66. Clar. §. feudum. quæsi. 38. Wel. conf. 70. num. 13. Borcholt. de feud. c. 8. num. 44. Cæterum hanc distinctionem non videntur pati posse textus in c. unde controv. int. vasall. & al. de ben. &c. se vasallus de beneficio, si de feud. def. contr. quibus locis permittitur vasallo transfigere cum adversario etiam in præjudicium domini & sine ejus consensu, dummodo fraude caret transactio: idque non modo si agat vasallus, verum etiam si conveniatur: quo tamen posteriore casu nihil in præjudicium domini vasallus facere potest, nisi in actorem feendum ipsum aut partem feudi transferat: nam rei non feudalis alienatio sicut jus domini omnino non ledit, ita nec consensum ejus ullo modo desiderat. Quamobrem rectius fortassis illi sentiunt, qui protestat de feudo transfigendi vasallo simplicer concedunt, dummodo transfigat bona fide & sine collusione: rejecta etiam illa aliorum distinctione, utrum transactio cum alio convasallo, an cum plane extraneo interponatur, Alvarot. in d. §. un. vers. nota quod vasallus. Curt. de feud. part. 4. caus. 41. quæst. 7. Zaf. part. 9. de feud. alien. Duar. §. 12. n. 10. Schenck. in d. §. si vasallus. add. decif. cur. Holland. 7.

## CAPUT IV.

De quibus rebus transfigere possumus.

1. Ut procedat transactio vel metus litis sufficit, ubi explicatur l. 65. §. 1. de condit. ind.
2. Transactio per calumniam expressa non vallet.
3. Quacumque ratione res dubia sit, etiam citra item aut metum litis, procedit transactio.
4. L. si de certa. 31. Cod. hoc tit. exposta.
5. De re judicata frustra transfigitur.
6. Explicatur l. si causa. 32. Cod. hoc tit.
7. Quid si sententia jure non subsistat.
8. Quid si ab ea appellatum sit, aut appellari possit, aut in dubium vocetur, an judicatum.

9. *Quid si restitutio in integrum impetrata, aut postulata adversus sententiam, ubi quedam notabilia in praxi.*
10. *Quid si super instrumento garantigato, post rem jurejurando decisam, post confessionem judicialem, transactio interposita.*
11. *Transactionem admittunt actiones omnes, tam in rem, quam in personam, etiam prejudiciales: ubi quedam non ubique obvia.*
12. *An transactioni locus in causis matrimonialibus.*
13. *Etiam quae ex maleficio nascuntur actiones, cum civiliter agitur, transactionem admittunt, ubi nonnulla, quae hactenus non satis explorata.*

**O**BJECTUM sive materia transactionis sunt res dubiae & litigiosae, de quibus scilicet vel nunc lis sit, vel in futurum esse possit, aut metuatur. *I. i. ff. l. 2. Cod. hoc tit.* nam item motam esse nihil necesse est: satis est, si esse poterit, & reus ob id aliquid dederit, aut caverit, quia lis metuebatur, exempl. in d. *l. 2. Cod. hoc tit.* atque ita quoque nonnulli accipiunt, quod dicitur in *l. in summa. 65. §. 1. ff. de condic. indeb.* quod transactionis nomine datur, licet res nulla media fuerit, non repetitur. sed melius alii cum Accursio verbo rei istuc debitum intelligunt, quasi JC. dixisset, licet debitum nullum fuerit, dummodo lis fuerit: hoc enim est, quod mox sequitur, nam si lis fuit, &c. cui ex aliis locis addendum, aut timor futurae lis, utique quod transactionis causa datum est, tanquam indebitum repeti non posse, non uno loco traditum est. *l. 2. Cod. de cond. indeb. l. si non 6. Cod. de jur. & fact. ign. l. si transactionis. 11. Cod. de non num. pec.* quippe cum non minor sit vis transactionis, quam rei judicatae. *l. non minorem. 23. Cod. hoc tit.* quod autem ex causa judicati solutum est, jure conditionis non repetitur. *l. 1. Cod. de cond. indeb. l. si fidejussor. 29. §. pen. ff. mand.*

2. Plane si per evidentem calumniam transactio sit expressa, seu is qui sciens nihil sibi deberi, aliquid extorsit terrore lis, ut ab ea desisteret, tunc & transactio inspecto exitu nulla est & repetitio datur. *d. l. in summa. §. 1. ff. de cond. indeb. l. cum hi. 8. §. si cum lis. 20. ff. hoc tit.* quia non tam transactio, quam sordida concusso facta intelligitur. *l. 1. §. pen. de calumn. Duar. c. 2. ad hunc tit.* Tuldens. *ad Cod. hoc tit. n. 1.*

3. Sed & porro licet neque moveatur lis, neque metuatur, si tamen alia ratione res dubia & incerta sit, transactio valet; velut si spes fideicommissi propter incertum conditionis

nisi modico praesente accepto remittatur. *l. 1. Cod. de pac. l. de fideicomiss. 11. Cod. hoc tit.* Idem est, si cui ususfructus relicitus sit, aut salarium annum homini honestioris loci, quia incertum vita tempus rem aut quantitatem incertam facit. *l. cum hi. 8. si in annos. 23. ff. hoc tit.* Quamobrem somnum mihi obrepississe videtur D. Zeno ad hoc tit. n. 15. neganti res dubias ex alia causa, quam propter item, ponere transactionis materiam. Eadem ratione & de alimentis relicitis liceret transfigere, quoniam nescitur, quamdiu alimentarius victurus sit. Sed alia ratio D. Marcum movit ne hic permetteret transactionem sine auctoritate praetoris *l. 8. pr. ff. hoc tit.* de quo postea uberior.

4. De re autem certa sive de negotio, de quo nullum dubium est, nec lis, nec metus litis, transactio interposita nullius momenti est. Neque obstat *l. si de certa re. 31. C. hoc tit.* nam per rem certam, non quae dubia non sit, sed non aliquam unam *viciā aīnāv*, non *māyūg dāv*, Imperatores eo loco intelligunt, & transactionem non nisi ad eam rem, de qua agitur, pertinere rescribunt, eti verbis pacti, *nihil amplius peti*, adjectum non sit, *eo nomine*: quia nimurum id semper considerandum, quod aetum est. *l. semper. 34. de reg. jur. l. qui cum. 9. in fin. ff. hoc tit.*

5. Quoniam igitur nulla transactio est nisi rei litigiosae aut dubiae, consequens est de re judicata transfigi non posse; utope quae finem controversia inter partes facit itemque dirimit. *l. eleganter. 23. §. 1. ff. de cond. ind. l. si causa. 32. C. hoc tit. junct. l. 1. de re jud.* Non est contrarium, quod imperatores in d. *l. si causa*, addunt, *si non Aquiliana stipulatione & acceptilatione subsecuta competentem tibi actionem peremebi.*

6. Potest enim stipulatio Aquiliana & acceptilatione donandi causa fieri & per eam jus liquidum remittit. *l. & uno 18. §. 1. ff. de acceptil. §. 1. & 2. Inst. quib. mod. toll. obl.* quod cum sit, non transactio est, sed pura pura liberalitas; non minus, quam si pacto res certa & indubitate remittatur. *l. 1. ff. hoc tit.* immo vel magis, quia pactum tantum ad exceptionem prodest: acceptilation etiam ipso jure obligationem actionemque tollit. Quis vero est, qui non risu dignum judicet in hunc modum argumentantem: actio rei judicata per stipulacionem Aquilianam & acceptilationem perimi potest: Aquiliana stipulatio & acceptilation in transactione locum habent. *lib. 2. l. pacto. 15. hoc tit.* ergo transfigi potest super re judicata. Quamobrem nescio quid Donello in d. *l. si causa*, in mentem venerit,

qui sine ulla necessitate contra perpetuum Latini sermonis usum hæc rescripti verba, si non acceptilatione competentem tibi actionem peremisti, non pro conditione accipienda esse contendit, sed pro ratione ejus, quod consulenti responsum fuit; quasi scriptum esset, *quia non peremisti*. & qui hoc probari potuit D. Perezio ad hunc titul. Cod. num. 6. Plana est rescripti sententia, nimirum post rem judicatam, quæ neque appellatione, neque in integrum restitutio- ne suspensa sit, transigenti salvam manere judicati actionem, nisi eam interposita stipulatione Aquiliana, & secuta donationis causa acceptilatione peremerit: quippe quæ & pacto ex liberalitate remitti posse. Paul. 1. sent. 1. §. ult. Post rem judicatam pactum, nisi donationis causa interponatur, servari non oportet. Et recte igitur eriam Græci sub hoc titul. in Basili.

*τετραγενεράς επιφανίεις καὶ αποτῆς καὶ ἀμερισμένης επαναγενόντος τὸν ἀρμόζεσθαι οὐκίστης ἀρχήν* Ὅ. eodemque modo rescriptum istud explicant. Accurs. Salic. Jas. & alii. Myns. 4. obs. 47.

7. Ceterum ut transactio post rem judicatam interposita intelligatur nullas vires habere, necesse est, ut sententia jure subsistat. d. l. eleganter. 23. §. 1. ff. de cond. ind. nam ubi sententia non valer, nec judicatum intelligitur. l. 4. §. judicatum. ff. de re iud. l. 4. Cod. de sent. & interloc. veluti si sententia non contineat absolutionem aut condemnationem. l. 3. Cod. d. tit. si à non competente judge lata fit. l. 6. §. quid si. 10. ff. de injust. rupt. l. 1. §. ult. ff. ad Tertull. si manifestum errorem contineat calculi l. 1. §. 2. ff. quæ sent. fin. app. resp. si sine certa quantitate prolata. tit. Cod. de sent. quæ fin. cert. quant. si pronuntiatum sit causa non cognita. l. ex stipulatione. 7. de sent. & interloc. unde exempli gratia in d. l. si causa. 32. Cod. hoc tit. exigitur, ut sententia prolata sit causa cognita Denique ne singula commemo- rem (quod non est hujus loci) ipso jure nulla est sententia, ac proinde non impedit, quominus adhuc transigi possit, quæ lata est contra leges constitutiones principum. l. 2. C. quand. prov. non est nec. l. 1. §. 2. quæ sent. fin. arg. l. si expreßim. 19. ff. de appell. ubi, ut hoc obiter moneam, rigor relictitudinem significat, ut apud scriptores de li- mitibus; & contra juris rigorem, J. C. idem est quod contra tenorem & formam juris si- cut apud Quintilianum. lib. 9. c. 3. vigor ora- tionis, pro tenore perpetuo sui simili.

8. Sed nec satis est sententiam jure pro- latam esse, nisi & effectum habuerit, atque, ut vulgo nunc loquuntur, transferit in vim

auctoritatem rei judicatæ. Nam si à sen- tentia appellatum sit, placet adhuc transac- tionis esse locum. l. & post. 7. ff. l. si cau- sa. 32. C. hoc tit. l. eleganter. 23. §. 1. ff. de cond. ind. & recte: nam per appellationem res eo deducitur, quasi nec judicata sit, & præcedens pronuntiatio interim pro extincta habetur. l. 1. §. ult. ff. ad SC. Tertull. Et sic hodie licet sententia lata sit à judi- ce, à quo non provocatur, puta à Curia suprema jurisdictionis sive provocationis ultimæ, adhuc post revisionem impletatam de ea sententia recte transigitur; quia revi- sio speciem appellationis continet. Bus. ad d. l. & post. ff. hoc tit. Quin imo eti non dum appellatum sit, dummodo appellari adhuc possit, nihilominus tamen de judica- to transigere licet. d. l. & post. Eo amplius, si vocetur in dubium, an judicatum sit, an sententia valeat, an provocari possit, nec ne, transactio adhuc fieri potest. l. post rem. 11. ff. h. 1. d. l. eleganter. §. 1. ff. de cond. ind. Unde apparet omnino adhuc transi- gi posse potest causæ conclusionem; quia etiam tunc adhuc est dubius litis eventus.

9. Porro cum quod jure communi ap- pellatio facit, id in persona minorum ef- ficiat restitutio in integrum. l. præses. 42. ff. de minor. tit. C. si adv. rem jud. ideo con- sulto Imp. in d. l. si causa. 32. Cod. hoc tit. adduit, vel in integrum restitutio- nis so- lemnitate sententia suspensa non est. Nam restitutio in integrum impletata, imo & postulata tantum, omnia integra servari & in suo statu manere debent, neque ea pen- dente quicquam innovari, quasi dubia adhuc lis sit, atque interim executio sententiae aduersus minorem latæ suspenditur, haud fecus ac si interposita esset appellatio. l. un. Cod. in int. rest. postul. ne quid nov. junct. d. l. præses. & d. l. si causa. Ex- cipitur hic jure canonico, si causa resti- tutio- nis altiorum indaginem & inquisicio- nem desideret, & aquum videatur senten- tiam interim executioni mandari c. fuscita- ta x. hoc tit. At enim ea res non impe- dit, quominus & hic, utpote in re adhuc dubia & lite incerta, procedat transactio, quippe cum nec vitori eodem jure per- mittatur sententiam pro se latam exequi, nisi prius idonee caverit, se redditurum, quod vi sententiae perceperit, si in causa restitutio- nis obtinuerit adversarius d. c. fuscita- ta, quod jus quia summam rationem habet, non modo usu forensi ubique nunc receptum est; verum etiam longius pro- ductum, propterea quod plerumque re- morandæ executionis gratia restitutio- nes pa- stulantur. Sande lib. l. tit. 8. defin. 4. Neo-

stad. *decis.* 73. *super cur.* Holl. Hyns. 1. *obs.* 48. & 6. *obs.* 80. Ant. Fab. *Cod. suo for. defin.* 1. *ad tit.* *de in int. ref.* post Tuld. *ibid.* num. 2. & 3. Chrltin. vol. 2. *decis.* 137. Duar. *ad hunc tit. cap.* 2. Groenev. d. II. abrog. ad d. *tit.* C. & plures illuc citati. Ut igitur concludamus cum Ulpiano in d. I. *eleganter.* 23. §. 1. ff. *de cond. ind.* quod rescriptum est, post rem judicatam interpositam transactionem nullius esse momenti, id tunc locum habet, cum de sententia indubitate, & quæ nullo remedio attenuari queat, transfigitur. Cum autem hodie fere confusa sint pactionum & transactionum nomina, putant quidam non minus transactionem quam pactionem etiam de re judicata, aut alias certa atque indubitate interpositam nunc ratam esse. Autumnus *confer. du droit.* ad I. 7. §. 1. *hoc tit.* Groenev. d. II. abrog. *ibid.*

10. De instrumentis garantigiatis, quæ paratam habent executionem, idem hic statuendum esse, quod de re judicata, censem cum Bartolo & Baldo Busius in I. *pest rem.* 7. num. 6. *hoc tit.* quia talia instrumenta in illa rei judicata sunt certa, nisi quid in iis illiquidum sit, aut nisi super formæ aut fidei defectu sit quæstio, arg. I. ult. *Cod. plus val.* *quod agit.* tantumdem dicendum est, si res jurejurando decisa fuerit, per I. 1. & I. 2. ff. *de jurejur.* item de confessione judiciali, quoniam & ea certa est; cum confessi in jure pro judicatis habeantur, & sua quodammodo sententia condemnentur, I. 1. ff. *de confess.* nisi forte confessio per errorem facta sit: quia non fateatur, qui errant, I. 2. ff. *ead. tit.*

11. Admittrunt porro transactionem actiones omnes sive in rem sint, sive in personam; nec tantum actio in rem specialis, I. si *super.* 9. I. si *pro fundo.* 33. C. *hoc tit.* sed etiam universalis, seu qua de universitate agitur, puta pecatio hereditatis, I. 3. pr. I. *controvergia.* 14. ff. I. ut *responsum.* 15. C. *ead.* querela inofficio testamenti, I. *cum mota.* 6. C. *ead.* I. si *infracta.* 27. ff. *de inoff. ref.* Item actiones prejudiciales, quibus de statu & conditione personæ agitur (quæ ipse in rem esse videatur, §. *prejudiciales.* *Inft. de action.*) I. ultim. C. *hoc tit.* ubi transactio admittitur in causa liberali etiam contra libertatem. Sed nempe transactio illa non interponitur inter dominum & servum (quippe transactio inter dominum & servum confitare nequit: quoniam quod in transactione requiritur, nihil servo, quod ejus proprium hat, dari potest, I. *interpositas.* 13. C. *hoc tit.* junct. I. *acquiruntur.* 10. §. 1. ff. *de acq. rer. dom.*) sed inter dominum

& eum, qui servum in libertatem afferebat, ut defillat. Ceterum ex quo Justinianus assertiones sustulit, I. i. C. *de assert. toll.* servus ad libertatem proclamans juxta d. I. i. cum domino transfigere posse coepit, non ut liber fiat, quod pactione effici non potest, I. *ingenui.* 6. C. *de ingen. manum.* sed ne amplius ei de libertate controversia moveatur. Quare & si is qui se dominum dicebat, & transfigit, vere dominus sit, valebit tamen adversus eum facta super liberali causa transactio: & potest servus quæsita alicunde pecunia aliquid domino dare, I. *vix certis.* 53. ff. *de jud.* I. 4. pr. ff. *de manumiss.* §. 3. *Inft. de noxal. action.* Ex contrario autem, ut servus maneat, transfigi non potest, propter eandem rationem, I. *nec si volens.* 6. C. *de lib. caus.* neque in d. I. ult. C. *hoc tit.* post transactionem prohibetur nova in libertatem assertio, cum ea etiam post rem judicatam iterari potuerit: sed rara interim habetur transactio, id est, tamdiu vis transactionis durat, quamdiu incerta manet persona ejus, cui controversia status mota fuerat, conditio. At repertis forte postea novis instrumentis quibus nunc libertas probari facile possit, adhuc tamen jus in libertatem assertendi negare durum sane fuerit, & per quam inhumanum in re omnibus aliis favorabiliore. Sed neque Justinianus in d. I. i. *Cod. de assert. toll.* sustulit licentiam proclamandi in libertatem: sed difficultatem assertorum, & iterationem cognitionis, quippe bis terque repetere licebat, d. I. i. quod & Cicero pro domo sua significat, cum ait, in sola liberali causa rem judicatam referri licere: nempe si contra libertatem judicatum fuerat, non si pro libertate: nam sententia semel pro libertate dicta retractari non potuit, I. si *dolo.* 24. ff. *de dol. mal.* Hotom. ad d. I. ult. C. *hoc tit.* Cujac. *par.* C. *de assert. toll.*

12. Quæsumus an super causa matrimoniali transactio interposita rara haberi debet, si forte parentes puellæ & juvenis controversiam inde motam per transactionem voluerint amicabiliter componere. Et siquidem conservenerit matrimonii gratia transactio intervenerit, puta ut sponsa maneat sponsa, uxor maneat uxor, placet transactionem valere. Nam erit antea sponsa non fuit, tamen ex novo isto consensu & transactionis placito sponsa esse incipit: & ita sèpissime matrimonia conciliari solent, patre puellæ majorem forte summam dotis nomine promittente. Et quamvis matrimonia libera esse debeant ab omni metu pœ-

nx, etiam pecuniarix, c. gemma 29. X. de sponsal. attamen s̄pē fit, ut quis spē lucri ad matrimonium invitetur: textus est notabilis in l. Titio centum 71. §. 1. ff. de cond. & dem. Cæterum si transactio ad dissolendum matrimonium comparata sit, quia forte pater pueræ certam pecunia summam promittit, ut juvenis ab actione obteat matrimonii contra filiam instituta desistat, vel contra; talis transactio merito improbatur propter indissolubile vinculum matrimonii, c. fin. & ibi DD. x. hoc tit. cap. an quod &c. quos Deus. 33. queſt. 2. Schneid. ad §. item ſi. 11. Inſt. de act. n. 33. Alciat. in l. ult. C. hoc tit. ſub fin.

13. In actionibus quoque in personam nihil refert, utrum de una re dubia, an de pluribus contendatur: nam &c de negotiis alienis gestis, de administratione tutelle, siue de actionibus inde nascentibus recte transfigitur, l. 3. cum aliquot ſeqq. C. hoc tit. Imo etiā ex maleſicio nascatur actio, licita tamen est transactio, cum civiliter agitur, l. 7. pr. ff. de cond. furt. l. interdum. 56. §. 5. de furt. l. 13. Cod. eod. Licita est, inquam, de maleſicio jam commisso: nam si nondum sit commisum &c quid detur aut promittatur, ne fiat, aliud juris est, l. iurisgentium. 7. §. 3. l. ſi unus. 27. §. 3. & 4. ff. de pacl. Atque hic transactionis etiam nudo pacto interpositæ interdum ea viſ est, ut per eam ipſo jure tollatur actio; ut actio furti &c injuriarum: quia lex 12. tabb. his casibus pacisci expreſſe permisit, l. 7. §. 14. l. ſi tibi. 17. §. 1. d. l. ſi unus. 27. §. 2. verſ. ſed ſi. ff. de pacl. junct. l. 6. eod. interdum per exceptionem, ut si transactum sit de actione legis Aquilæ, aut interdicto unde vi, quatenus privatum causam contingit, d. l. ſi unus. §. 4. verſ. item ne. Eiusvero etiā actio nulla post transactionem supereſt; si tamen actio ex maleſicio talis sit ut damnarum sequatur infamia, (quales actio furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, &c de dolo l. 1. ff. de his qui notant. infam. Inſt. §. 2. de pan. tem. litig.) reus, qui transfigit prelio dato, liberatur quidem ab auctore: cæterum notam non effugit infamia, l. 4. §. ult. l. 5. l. 6. §. 3. d. tit. qui textus omnes de pacto transactionis cauſa facto loquuntur. Quod si quis gratis paciscatur, aut prelio quidem, sed prætore auctore, non notatur, d. l. 6. §. 3. & 4. Sed & si talis sit actio, ex qua damnatum non sequitur infamia, qualis est actio legis Aquilæ, & interdictum unde vi, aliudve ex maleſicio descendens (nulum enim interdictum famosum est, l. neque. 13. ff. de vi, & de vi arm.) non no-

tatur infamia, qui cum prelio seu dato aliquo paciscitur, licet sine prætore. Itaque manifeſte fallitur Pacius ad l. transiger. 18. C. hoc tit. putans de delicto privato gratis tantum pacisci licere non data pecunia. Quod autem diximus eos, qui de actione furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, aut doli mali transfigunt, seu prelio dato paciscuntur, infames fieri; id ictendum est pertinere ad transactiones, quæ fiunt post in jus vocationem, ubi jam in jure apud prætorem res agitur, aut item confeſſaciam pendente judicio. Nam ideo hi infames fiunt, quia pro confeſſis habentur, l. 5. ff. de his qui not. infam. confeſſi autem pro judicatis, l. 1. ff. de confeſſi. Secus igitur erit, si transactio facta sit judicio nondum instituto. Nam si ne vera quidem extrajudicialis confeſſio facit, ut reus habeatur pro judicato per l. post rem. 56. ff. de re jud. l. un. C. de confeſſi. multo inius id efficiet facta: siquidem plus valere fictio non potest, quam veritas. At facta tantum est confeſſio, si quis prelio dato paciscatur, d. l. 5. de his qui not. inf. quare qui de furto, injuria, rapina, dolo transfigit antequam cauſa apud prætorem aut in judicio tractari coepit, is in ea cauſa est, ut non notetur infamia. Quidam putant ne eos quidem, qui post acceptum judicium transfigunt de his cauſis ex sola paſtione infames fieri: quoniam nec confeſſi in judicio apud judicem datum pro judicatis habentur, sed pro convictis potius, utpote qui post confeſſionem etiam sententia judicis adhuc damnari debent, l. 3. l. 5. l. ult. ff. de confeſſi. ut hæc confeſſio non tam judicati, ſicut illa, quæ in jure apud prætorem fit, d. l. 56. ff. de re jud. d. l. un. C. de confeſſi. quam probationis vim habere debeat. Sed non est absolute inter hæc convenientia: nam transactio sit sine judice, nec eam ſequitur condemnatio: confeſſio autem fit apud judicem, cuius officium est, ut de ea re, de qua cognovit, etiam sententiam ferat, l. de qua. 74. ff. de judicio. Nec tamen hoc eo pertinet, ut in proposito, putata de furto aut rapina confeſſi, per ſententiam infamis declaretur, aut deum pronuntiatione ſecura infamis fiat: ſed precepit respicit intentionem & petitionem actoris, ut iudex juxta formulam à prætore datam, maleſicio ipſa rei confeſſione ſatis probato, in duplum aut quadruplum convictum condemnet: infamia autem à jure est, & dicto notantur furti &c. non ſolum damnati, ſed etiam paclti, l. 1. l. 4. §. ult. & z. II. ſeqq. ff. de his qui not. infam. §. ex quibus d. Inſt. de pacl. tem. litig. Et alioqui non melior

esset conditio reorum, qui actione famosa ex contracta pura depositi, mandati, &c. conveniuntur, atque eorum, qui ex famoso delicto, contra expressa edicti verba, & d. §. ex quibusd. Longior fui in re non satis explorata: quanquam mores hodierni non-nihil diversi, vide Groenew. de l. abrog. ad §. ex quibusd. Inst. de pœn. tem. litig. De majoratu an transfigi possit, vide Gomes. ad l. Tauri. 40. n. 86.

## C A P U T V.

De transactione facta super his, quæ testamento relicta.

1. *De controversiis ex testamento descenditibus transfigi non potest, nisi inspectis cognitisque verbis testamenti, & quare.*
2. *Occurritur Cujacio & Ferreto, atque expponitur l. 1. §. 1. testam. quem. ap. admissiculante Gr. eorum auctoritate.*
3. *Declaratur, l. 12. ff. hoc tit.*
4. *Quid si transactio facta non adjecta clausula, cognitis verbis &c.*
5. *Exponitur, l. Lucius. 78. §. ult. ff. ad SC. Trebell.*
6. *Quid juris, si quaestio oriatur ex testamento nuncupativo.*
7. *Quid si transientes inspectioni tabularum renuntiaverint.*
8. *Quid juris, si huic renuntiationi accesserit iusjurandum.*
9. *An sufficiat generalis renuntiatio, saltem jurata.*
10. *An gratis pacisci liceat de hujusmodi controversiis non inspecto testamento.*

**I.** *D*E controversiis, quæ ex testamento (quo nomine etiam codicillos complector) oriuntur, placet non aliter recte transfigi, quam inspectis cognitisque verbis testamenti l. de his 6. ff. hoc tit. l. 1. §. 1. ff. quemadmodum test. aper. fac. l. ille à quo 13. §. 3. ff. ad SC. Trebell. l. ult. C. de reb. cred. & jurejur. & hoc ipsum Demosthenes expressissile videtur ἐπιτελεῖσθαι φορμὴν, in hac verba, οὐδὲ τὸ μὲν δέντρο τὸ πατρίσιον, οὐδὲ λαβῶν γέγενεν, οὐδὲ τὸ πατριαρχικόν εἶναι; οὐδὲ, οὐδὲ. l. Quisnam patrimonium divideret non acceptis tabulis, ex quibus quantum relatum esset, cognosceret? Nemo sane unus, atque haec est exceptio regulæ quæ traditur in l. sub prætextu 19. C. hoc tit. sub prætextu instrumenti post reperti transactionem bona si de factam non rescindi, facit l. 3. §. 1.

ff. eod. Quod si testamentum à transfigentibus inspectum sit, valet transactio etiam de legato aut fideicommissio conditionali, l. 1. C. de paſt. l. de fideicommissio. 11. C. hoc tit. quamvis repudiatio non valeat, l. si ita. 45. §. 1. de legat. 2. de quo nos pluſcula c. 18. tract. de paſt. Cur autem placeat transactionem de controversiis ex testamento ortis non valere nisi inspectis cognitisque testamenti verbis, ratio hæc est, tum ne qui testamenta suppressimunt aut consulta opera diutius occultant, iniquum lucrum inde capiant, dum eo pacto illectantur legatarii & fideicommissarii ad transfigendum, & modicum forte præsens, pro reliquo alicuius momenti, quod ipsis incertum est, accipendum, arg. l. 8. pr. ff. hoc tit. tum quod alias per hujusmodi transactiones facile circumveniri possent supreme hominum voluntates, quas exitum habere etiam publice interesse creditur, l. vel negare. §. ff. test. quemadmodum aper. ita Bart. & DD. in d. l. 6. Sand. l. 4. tit. 5. defini. 15. & alii. Quæ profecto ratio non est inepta, quamvis id Cujacio in l. 1. ff. hoc tit. videatur: nam & eadem ratio fecit, ut ne super alimentis testamento reliquis sine pretore transfigi possit, d. l. 8. pr. eod.

2. Putat Cujacius (quod & Emilio Ferreto videtur) d. l. 6. ff. hoc tit. aut peregrinam esse, aut à proposito alienam: nam apud Cajum in d. l. 1. §. 1. ff. test. quemadmodum aper. transfigendi verbum non ad conventa, sed per translationem ad judicata referri: quod inquit, cum Tribonianus non animadverteret, partem responsi in hunc titulum conjectit, nimis illam ipsam l. 6. hoc tit. cuius tamen sententia falsa sit, si verbum istud referas ad conventa seu composita. Imo contra verba hæc, neque sine judice transfigi, quæ sunt Caii in d. l. 1. §. test. quemadmodum aper. non ad judicata aut sententias judicium, sed ad conventiones referenda esse, vel illud argumento est, quod aliqui in absurdam & stultam exeunt locutionem. Quis enim ita loqueretur, si ne judice judicari non potest? aut quis unquam mortalium de eo dubitavit? Sed eti ponamus Tribonianum verba Caii alio sensu, quam ipsum Cajum accepisse: adhuc tamen non quod Caius sensit, sed quod secundum intellectum Triboniani sanxit Justinianus pro jure habendum erit. Sed non est obscura Caii sententia, & nempe hæc, neque partes transfigere posse de testamento reliquis sine judice, apud quem scilicet tabule aperiri solent, neque aliter judicem judicare, quam inspectis co-

gnitisque verbis testamenti, non quod ipsa transactio auctoritatem judicis desideret, sed tabularum apertura & publicatio ut cognita voluntate defuncti, si quis jam velet, de dubio aliquo aut incerto utiliter transfigere possit, d. l. i. pr. l. 4. l. 5. ff. test. quem aper. l. testamenta. 18. C. de testam. quomodo & Wesembecius parat. ff. d. tit. Costalius in l. 6. ff. hoc tit. Borcholt. c. 3. de transact. num. 14. qui & merito ibi notant Accursum, Bald. Bart. quod plus hic sententiae judicis tribuant, quam privatorum transactioni, quasi judici licet, etiam sine inspectione tabularum, sententiam ferre. Sed & postquam hec scripsoram, animadverti Graecos quoque quorum auctoritati etiam plus aequo tribuere Cujacius solet, non alio sensu, quam nos ea accipimus, verba Caii reddidisse; sic enim illi synops. Basil. hoc tit. Περὶ τῆς ἀλεξανδρικῆς φιλοσοφίας ἐπιτομὴ της ἀλεξανδρικῆς φιλοσοφίας. μὲν τοιωτικόδρομον τὸ της ἀλεξανδρικῆς φιλοσοφίας. Neque enim opinor Graecos unquam usos esse τῷ ἀλεξανδρικῷ περιεχόντι ἀλεξανδρικῷ.

3. Non obstat l. 12. ff. hoc titul. nam non est audiendus, qui facta inspiciendi copia, postea causetur de eo solo cogitasse, quod prima parte testamenti, non etiam quod posteriorre relictum sit: apparet vero ex ipsis verbis in specie illic proposita factam transfigenti fuisse testamenti inspiciendi copiam atque ab eo inspectum lectumque, quamvis forte oscitante, quod sua imputare debet negligentiae.

4. Utique non eo minus rata esse debet transactio, quod adjecta non sit clausula vijs cognitisque verbis testamenti, dummodo doceatur contrahentes ignaros fuisse eorum quae testamento cauta, licet tunc cum interponebatur transactio, forte lectum non sit. Bart. in d. l. 6. Fab. Cod. suo for. hoc tit. defin. 1. Sand. d. loc. Quando autem haec scientia presumenda sit, vid. Menoch. 6. præf. 23. n. 60. Bart. in l. 22. §. ult. de V. O. n. 13. Christin. vol. 1. decif. 4.

5. Frustra hic Ant. Faber objicit respondum Scævola, l. Lucius Titius. 78. §. ult. ff. ad SC. Trebell. Nam in casu, quem illic Scævola proponit & decidit omnino credendum & præsupponendum est, omnia legitime fuisse acta, testamentum inspectum fuisse, atque ex verbis testamenti satis constitisse de fideicommissio: neque postea aliud voluntatis ultimæ instrumentum pura codicillos, quibus fideicommissario plus, quam testamento, relictum erat; sed alia, quæ plus in bonis defuncti fuisse ostende:  
Vinn. Tract. Varii.

rent reperta. Valde autem jejunum est, quod ex Joanne objicit Accursum, post inspecta testamenti verba rem non amplius esse dubiam: quasi vero adhuc queri non posset de mente & sententia testatoris, de viribus testamenti utrum Falcidiæ locus &c.

6. Quid autem dicemus de testamento nuncupativo? & siquidem, ut hodie fieri solet, probationis causa testamentum per notarium in scripturam redactum sit, idem omnino dicendum est, quod de testamento scripto: si minus, non aliter transfigi utiliter poterit, nisi examinatis testibus & cognitis testificatis, aut certe nisi aliunde partibus constet de dispositione testatoris, & quid ea contineatur. Nam omnino Bartolo in d. l. 6. n. 6. & Castrensi ibid. n. 7. assentior, sic in universum definiensibus satis esse ut transactio valeat, si de tenore testamenti transfigentes edicti fuerint puta per notarium aut testes qui praesentes fuerunt, licet illud non inspexerint. Satis non apparet ex textibus allegatis, nempe d. l. 6. ff. hoc tit. d. l. 1. §. 1. ff. test. quemad. aper. hunc esse unicum inscriptionis finem, ut tenor dispositionis non ignoretur.

7. Sed quid si transfigentes inspectione testamenti renuntiaverint, an nihilominus inutilis futura est facta tabulis non inspectis transactio? Negat id quidem Accursum efficacem esse existimans renunciationem, propterea quod unicuique permisum est renuntiare iis, quæ pro se introducta sunt, l. pen. C. de past. Sed magis est, ut adhuc transactio inutilis sit, & renuntiatio inefficax. Ratio est, quia legi prohibenti aliquid fieri, aut quid requiri ad actus alicujus substantiam, renunciare non licet, l. 5. C. de legib. l. 6. C. de past. l. nec ex pretorio. 27. de reg. jur. Accedit & altera quod tabularum inspectio in eorum odium, qui testamenta occultant, introducta est, nec tam in favorem transfigentium, quam ipsius testatoris; cui favori utique alias renuntiare non potest. Eademque plane hic subest ratio, quæ in filiofam. renuntiante SC. Macedonio, quem ideo huic SC. frustra renuntiare interpres nostri recte tradunt, quia id factum est in odium foeneratorum, & non tam favorem filii, quam patris respicit, l. 1. ff. de SC. Maced. Christin. vol. 1. decif. 14. n. 5. & 6. Itaque minime obicit l. pen. C. de past. quippe quæ loquitur de renunciatione alicujus privilegii aut beneficii soli renuntianti & in ejus solius favorem concessi. Ita Bart. Bald. Sajic. Castr.

Angel. Jas. in d. l. 6. ff. hoc tit. sed nos paulo explicatius.

8. Porro hoc posito, de controversiis ex testamento emergentibus non licere transfigere, nisi inspectis uestimenti verbis, neque id jus labefactari simplici inspectionis renunciatione, quæsumum adhuc est ulterius, quid nempe juris sit, si huic renuntiationi accederit jusjurandum. Dicendum est non eo magis transactionem valere: quoniam nulli actus jure nostro civili vetiti aut invalidi robur à jurejurando accipiunt, l. 5. C. de legib. Ceterum si de jure canonico queratur, aliud dixerim. Etenim jure canonum non alii actus simpliciter prohibiti atque invalidi sunt, quam qui offendunt pietarem, & peccatum fovent nutriuntque, super quibus jurare & ipsum peccatum est, & gravius adhuc peccatum, quod juraveris, servare. At enim causa, ob quam transactio de rebus testamento relictis tabulis non inspectis facta improbatitur, tota est juris mere positivi: neque enim qui citra illam inspectionem transfigit, eamque transactionem ratam habere mavult, quam infringere, potest dici peccare, aut quid quod natura turpe iniuriamque sit, facere, sive inspectioni renuntiaverit, sive non renuntiaverit. Jam vero jure canonico juramenta omnia sponte prædicta sine exceptione servanda sunt, quæ nihil impietatis, turpitudinis aut iniquitatis continent, & generaliter quæ non vergunt in dispendium æternæ salutis. C. inter cetera causa. 22. qu. 3. C. cum contingat. x. de jurejur. C. quamvis. de pact. in 6. & ibi Covar. p. 2. §. 4. n. 5. atque hæc communis quoque est interpp. sententia, Borcholt. tract. de transact. c. 3. n. 21. Et seqq. Sande lib. 4. tit. 5. defini. 15. qui plures allegant.

9. Ceterum non sufficit generalis renuntiatio, quantumvis jurata, pura omnis juris & auxili, aut juris omnis, quod renunciandi competit, vel competiturum est ex testamento vel ab intestato, aut mentionem esse factam alicujus testamenti in genere, sed ut juranti obset, desideratur renuntiatio specifica inspectionis ejus testamenti, ex quo jus illud dependebat, Bart. & Jas. in l. qui Rome 112. §. ult. ff. de verb. oblig. Rol. à Valle vol. 1. conf. 13. n. 27. Et seqq. Tiraquel. in prefat. l. si unquam. C. de rev. don. n. 161. Cacheran. decif. 112. n. 10. Et seqq. Et hinc illa pragmaticorum cautela, ut is, qui cum aliquo transfigere cupit de re testamento reliqua, instrumento transactionis curer inscribi, viso perfectoque testamento. Bart. Castr. in l. 6. ff. sec tit. Siehard. in l. sub praetatu,

19. n. 7. Leonin. conf. 32. n. 13. Gail. 2. obf. 139. num. 10. Sande ubi supra. Igitur ut concludamus, irrita est transactio de controversiis ex testamento descendantibus facta sine tabularum inspectione, licet huic inspectioni renunciatum fuerit, nisi jurejurando firmata sit renunciatio: quod tamen temperamentum non tam auctoritate juris civilis, quam ex dispositione Canonum defenditur, quibus recte & Dei verbo convenientes omnes jusjurandum, non impium nec iniquum aut turpe sine exceptione servari jubetur.

10. Ceterum cum Cajus utroque illo loco, nempe & in l. ff. hoc tit. & in l. 1. §. 1. ff. test. quemad. aper. nominatim & tantum loquatur de transactione, dubitari adhuc potest de pactione gratuita an non saltē donationis causa liceat de controversiis ex testamento dependentibus ante inspectionem tabularum pacisci, itemque gratis remittere. Accursius putavit non magis licere verbis testamenti non inspectis de hujusmodi controversiis gratis pacisci, quam accepto aliquo transfigere; cuius sententiam secuti sunt Bart. Bald. & Angel. in d. l. 6. Contra vero Albericus de Rofate, Guillelmus de Gumo, Castr. & Jas. pacisci de his gratis licere, quamvis transfigere non liceat & nostro quidem judicio rectius. Nam quod Accursius, eumque secuti pro vero supponunt eamdem hic esse pacti gratuitū & transactionis rationem, falsum est & ~~errat~~. 1. Longa enim inter pactum & transactionem in casu proposito differentia est: quippe qui transfigit, accepto forte minimo pro magna summa, decipitur, cum utique velit habere, quod sibi testamento relictum est; at is, qui ultro torum remittit, non decipitur, & potest quilibet jus sibi delatum repudiare. Frustra vero pro contrario sententiæ firmamento adducit Bartolus l. 3. §. 1. l. 9. §. ult. ff. hoc tit. l. tres fratres. 35. ff. de pact. si quidem omnibus istis locis aperente agitur de transactione seu pacto decidendi causa interposito. Sed ponamus ita sit in casibus illic propositis pacti & transactionis eadem ratio: quid tum posita? Neque enim dicimus pacti gratuitam valere omni casu, quo transactio non valet; sed utilem esse in questione proposita, licet transactio sit inutilis. Ac tametsi verum est, quod Paulus l. 1 sent. tit. 1. scribit, de his rebus pacisci posse, de quibus transfigere licet; ex contrario tamen, de quibus rebus transfigere non licet, aliquando pacisci possimus: verbi causa de re judicara aut jurejurando decisa transfigere non licet, pacisci tamen donationis causa

possimus. Quapropter cum textus illi ante memorati l. 6. ff. hoc tit. l. 1. §. 1. ff. test. quem. aper. solummodo transactionem prohibentes, contineant aliquid singulare & transactionis proprium, temere ad pacta gratuita extendi non debent.

## CAPUT VI.

An & quatenus de alimentis transigere liceat ad l. cum hi. 8. ff. hoc tit.

## SUMMARIUM.

1. De alimentis præteritis transigere licet, non de futuris, & quæ sit ratio differentiæ.
  2. Orationes Principum cur etiam senatus consulta appellantur.
  3. Ratio juris transactionem de alimentis prohibentis.
  4. Prætor pro tribunali de transactione alimentorum cognoscere debet.
  5. Cognitio hec non est juridictionis ordinaria, sed specialis concessionis.
  6. Alimentorum appellatione quid contineatur.
  7. Quid verbo virtus.
  8. Transactione de alimentis facta non continetur vestitus & habitatio, & quam rationem hoc habeat.
  9. Non semper quod in annos singulos relinquitur, alimentorum causa relictum intelligitur.
  10. Quid si alimenta relicta sint homini locupleti.
  11. Quicquid sit, quod alimentorum gratia relictum est, ad orationem pertinet.
  12. Fundo ad alimenta legato, utrum proprietas, an ususfructus debeatur.
  13. Oratio tantum ad alimenta suprema voluntate relicta pertinet, non ad ea, quæ ex conventione debentur; cum ratione diversi juris.
  14. An etiam ad alimenta mortis causa ab intestato donata? ubi & insignis error Borcholti notatur.
  15. Declaratur obcurus locus Marciani in l. 21. §. 1. ex leg. præst. cont. tab.
  16. Quæ à prætore in transactione alimentorum examinanda.
  17. Quid juris, si alimentarius sine prætore transigens transactionem firmet jurejando.
  18. Enodatio §. eam transactionem, l. 8. hoc tit.
  19. Casus, quo procedit transactio citra prætoris auctoritatem. Item aliis, num. 20.
21. *An gratis citra prætorem de alimentis pacisci liceat.*

TRACTATUR hæc quæstio ab Ulpiano in l. cum hi. 8. ff. hoc tit. & quidem satis copiose, adeo ut quicquid circa hoc caput occurrere potest controversiae, ejus decisionem facile eodem in loco reperias. Nos pleraque ordine arbitrario excutiemus, & sic ubi opus erit, etiam apertius declarabimus.

1. Igitur cum queritur, an transactio de alimentis valeat, ante omnia distinguendum est inter alimenta, præterita & futura: nam de alimentis præteritis transigi etiam inconsulto prætore potest: de futuris autem alimentis transigere non licet nisi interveniente auctoritate & decreto prætoris vel præsidis, l. de alimentis, 8. Cod. hoc tit. Ratio differentiæ est, quia ex præteriorum transactione nullum alimentario periculum est, sicut ex furorum: nam per transactionem de futuris intercipi alimenta & relinquentis consilium inane atque irritum fieri: cum autem de præteritis sit transactio, jam causa illa metuendi ne alimenta intercipiantur, sublata est. Imo præterita alimenta proprie non sunt alimenta; sed ita dicuntur relatione facta ad id tempus, ad quod testator ea destinaverat: & ideo in oratione Divi Marci non additur de futuris, d. l. cum hi. ff. hoc tit. & in d. l. de alimentis. C. eod. quæ orationem interpretatur, præterita alimenta dicuntur annorum præteriorum, futura insequentium.

2. Jus hoc primum introductum est oratione Divi Marci, teste Ulpiano in d. l. cum hi ff. hoc tit. At idem tamen Ulpianus hoc tribuit senatusconsulto l. eleganter. 23. §. 2. ff. de cond. indeb. nimis quia, ut moris erat, in sententiam orationis Divi Marci postea etiam senatusconsultum conceptum & factum est. Solebant enim olim Principes orationes in senatu habere, aut scriptas ad senatum mittere, in quarum sententiam postea senatusconsulta concipiebantur, l. oratione. 16. ff. de rit. nupt. Tacitus l. 11. Annal. Orationem Principis secuto patrum consulto primi Hedui senatorum in urbe jus adepti sunt. Sic oratio Divi Adriani de petitione hereditatis, l. si & rem. 22. ff. de hered. pet. senatusconsultum passim appellatur, l. item veniunt. §. preterea. 6. & seqq. eod. & quod oratione Imperatoris Severi cautum dicitur ne tutores prædia rustica vel suburbana distrahant, l. 1. ff. de reb. eor. qui. sub tut. alibi adscribitur senatusconsulto, l. non fit. 12. ff. d. tit.

3. Rationem hujus juris obiter indicat

J.C. in d. l. cum hi, nimirum ne homines tenuerit & exiguerit fortunam, quibus plerumque alimenta relinquentur, neglectis futuris alimentis & modica pecunia praesente contenti, facile transfigant. Cui accedit & singularis hujusmodi dispositionis favor, ne pia testatorum intentio & providentia, aliorum tenuitati & indigentiae succurrere volentium eludatur, & alimentarius contra quam prospexerit testator, postea egeat. Et enim dubium non est, quin fiat contra voluntatem testatoris, si alimenta transgendo intercipiantur, qui ideo ea in annos singulos aut in singulos menses distribuit, ut esset legatario, quod quotannis, aut quod mensibus ad supremam usque senectutem susperceret. Voluit itaque optimus & prudentissimus princeps auctoritatem magistratus hic intervenire. Ceterum prior illa ratio ducta a tenuitate alimentarii tantum est ~~περιστρεψη~~ impulsiva seu irritatrix; & ideo cessante ea non protinus cessat vis orationis: nam ut est in d. l. cum hi. §. nihil autem. 7. etiam si hi quibus alimenta relictam sunt, satis sint locupletes, tamen locum habet oratio: quod forte datum favori ultima voluntatis, tum & hoc fortassis consideratum, posse fieri, ut quis bona sua amittat & facultatibus exuator, atque id etiam spectasse testatorum. An causa alimentorum inter causas piaras numeranda sit, vid. Christin. vol. 1. dec. 160. Committitur hæc res prætori d. l. cum hi. pr. §. 1. & passim. nempe in urbe: nam in provinciis ad proconsules & praefides ea cognitio pertinet, d. l. cum hi. §. sed nec. 18. l. de alimentis. C. eod. interdum ad procuratorem Cæsaris in provinciis, aut prefectum ararii in urbe res ista spectat, nimirum si à fisco alimenta debeantur, d. l. cum hi. §. transactiones. 19. Nam & alias de lite inter fiscum & privatum procuratoris Cæsaris est cognitio, l. 1. C. de jurisdic. Quod si citra auctoritatem prætoris transactio interposita fuerit, inutilis & nullius momenti erit, passim l. cum hi.

4. Debet autem prætor rem cognoscere; adesse aut interesse negotio, aut transactionem citra causam cognitionem probare non sufficit, §. si prætor. 17. d. l. cum hi. cui loco frustra objicitur, quod rei etiam inique judicatae auctoritati standum est, l. servo. 65. §. 2. ff. ad SC. Trebell. l. ult. ff. de just. & jur. Nam id demum verum est, si causa cognitionis præcesserit, l. ex stipulatione. 7. C. de sent. & interloc. ut recte Glosfa, licet à Castrensi improbata & tunc idem locum haberet etiam in casu nostro.

Sed nec in dd. ll. quicquam contra formam juris factum proponitur, ut hic sit, ubi hæc forma transactioni prescribitur, ut fiat auctore prætore, exhibita cause cognitione. Et quidem more majorum pro tribunali rem excutere & transactionem probare prætorem oportet, non ex plano: quæcumque enim cause cognitionem & decreta desiderant, per libellum expediri non possunt, l. nec quicquam. 9. §. 1. ff. de offic. procons. & ideo si de plano transactionem permiserit prætor, non eo magis rata erit transactio, per l. minorum. Cod. de præd. minor. l. à procedente. Cod. de dilat.

5. Cognitio hæc non est jurisdictionis ordinariae seu proprie sic dictæ & genuinæ, sed extraordinariae & adventitiae, atque ex eorum genere, quæ magistratu competunt non jure sui magistratus, aut vi jurisdictionis sua, sed ex speciali concessione legis aut Principis: & ideo nec mandare ex hac causa prætor Jurisdictionem suam potest, sed ipse causam cognoscere debet, d. l. cum hi. §. sed nec. 18. junct. l. 1. pr. ff. de offic. ejus cui mand. jurisd. de quo nos magis serio in tract. de jurisd. c. 8.

6. Alimentis legatis responsum est cibaria, & vestitum & habitationem deberi, quia sine his ali corpus non potest: cetera autem, quæ ad disciplinam pertinent, non contineri, nisi aliud testatorem sensisse probetur, l. 6. & l. seq. l. ult. ff. de alim. leg. Itaque generali alimentorum appellatione continentur non solum diatia, ~~νεροφί~~ sed etiam vestaria & habitatio, ~~καθής η σύνης~~. Diariorum vero vel cibariorum appellatio angustior est, his enim legatis, neque habitatio, neque vestiarium debetur, sed cibus tantum, seu esculenta dumtaxat & potulenta, ~~επίνα σπισσεν δράκη~~. Et sic nos sermone vernaculo distinguimus inter onderhoud en kost, quorum illud alimentis, hoc cibariis responderet. Grot. lib. 2. introd. ad jurisp. Bat. 22. ubi male in margine nomen vietus positum ad declarandum.

7. Belgicum kost: nam verbo vietus continentur non solum quæ esui potuisse sunt destinata, sed etiam vestimenta, & cetera, quæ ad vivendum homini necessaria sunt, l. verbo vietus. 43. cum 2. ll. seqq. l. quos nos. 234. §. 1. ff. de verb. signif. ac proinde & habitatio, huis vestinge: siquidem nihil plane interest, vietus, an alimenta legata sint, l. ultim. ff. de alim. legat. Atque eadem fortasse res causam errandi dedit Groenewegio tract. de ll. ab-

*rog. ad l. 6. eod. tit.* dum Latinum *victus* explicat per Belgicum *cost*, eoque negat habitationem contineri: quasi nomine Belgico *cost* etiam vestimenta continerentur, contra quam Grotius *d. loc.* & Latino verbo *victus* non contineretur habitatio: in quo utroque falli eum manifestum est. Nec quicquam juvat Groenewegii explicacionem, quod in *d. l. verbo victus*. 43. & seqq. nulla habitationis fiat mentio. Hoc enim nemini mirum videri debet, cum illuc agatur de *victu* exhibendo debitoribus, quos creditor judicatos sibi & addictos, donec solverent, quod in condemnationem deductum erat, domi suæ nexos & vindictos tenebat: nam his ex lege duodecim tabularum, nisi de suo vivere malent, creditor alimenta *victumque præbere* cogebatur, ut à doctis viris pridem observatum est.

8. Ceterum hoc jam posito, alimentorum appellatione & cibaria & vestitum & habitationem contineri, qui sit, dicat aliquis, quod Ulpianus in *d. l. cum hi. §. qui transfigit*. 12. negat eum, qui de alimentis transfigit, de habitatione aut vestiario transfigisse videri. Respondeo eum, qui simpliciter de alimentis transfigit, intelligi de alimentis in specie & maxime proprie dictis, id est, de cibariis, quibus proprie corpus nostrum alitur & sustentatur, deperditumque restauratur; non de vestiario aut habitatione transfigisse; tum propter favorem alimentarii, quam ob causam Divus Marcus specialiter de singulis istis transfigere voluit, *d. §. qui transfigit*, tum propter strictam transactionis naturam. In testamentis autem plenius & liberalius defunctorum voluntates interpretantur, *l. in testamentis*. 22. ff. *de reg. jur. l. plenum*. 14. §. 2. ff. *de usu & hab.* Enim vero si de universis alimentis prætore auctore transactum proponatur, dicendum est non cibaria tantum, sed etiam habitationem, vestimenta, calceamenta, & cætera, quibus tegendi curandive corporis nostri gratia utimur, ea transactione contineri *l. cum hi. §. arbitratu.* 16. Potest autem quis & de re una aliqua transfigere, veluti de habitatione, de vestiario aut calciario, arbitrio tamen prætoris, *§. sed & si. 13. & seq. d. l. cum hi.*, sicut & de parte alimentorum, *d. l. §. arbitratu*, nec obstat, quod legatum pro parte repudiari non potest, *l. 4. ff. de legat.* 2. nam qui de parte transfigit, non repudiat eam, sed aliquid pro ea accipit. Nihil quoque interest, an relicta sint alimenta in singulos annos, an in menses singulos sive dies;

perpetuo, an usque ad certos annos, *d. l. cum hi. §. sive igitur. 3.*

9. Plane non protinus quod in singulos annos alicui relictum est, alimentorum contemplatione relictum intelligitur: nam si homini honestioris loci certa quantitas in annos singulos relicta sit, puta salarium annum, vel ususfructus, honoris potius, quam alimentorum causa id relictum intelligi debet; & ideo hoc casu transactio etiam sine prætore facta valebit: nisi forte ex circumstantiis appareat testatorem de alimentis sensisse, verbi causa, si modicum quid annum, aut modicus ususfructus relictus sit, & præsertim homini tenuiori: nam & minuta plerumque sunt, quæ alimentorum causa relinquuntur, & tenuioribus *in* *ad* alimenta relinqui solent. Hæc vera est Ulpiani in *d. l. cum hi. §. 23.* sententia. Ac proinde male ex hoc loco.

10. Costalius & Busius colligunt, hominem honestioris loci de alimentis sibi relictis etiam consulto prætore transfigere posse; omniaque privilegia, quæ alimentorum cause tributa sunt, cessare, si alimenta relicta sint homini locupleti: nam cum quid nominatim alimentorum causa relinquitur, nihil interesse locupleti id, an pauperi relictum sit, manifeste liquet ex *§. nihil autem. 7. d. l. cum hi.* Ubi vero simpliciter aliquid in annos singulos relictum est, tunc adhibenda superior illa distinctio: & ita Paul. de Castro.

11. Quicquid autem alimentorum gratia relictum esse appareat, ad orationem pertinet. Unde etiam si integra quantitas alicui legata fuerit, ut ex usuris ejus se alat, & mortis tempore sortem restituat, non cessabit oratio, licet non in annos singulos id relictum videatur, *§. si integra. 4. d. l. cum hi.* Neque interest, utrum nummi, an vinum, oleum, frumentum ad alimenta sint relicta, *d. l. cum hi. §. si cui. 24. in summa*, etiamsi lis sit & dubitetur an alimenta debeantur, tamen de lite transfigere inconsulto prætore non licet, ne circumveniatur oratio; *d. l. si cui. §. si cum. 20.*

12. Omnino autem nihil eorum, per quæ conditio alimentorum deterior reddatur, absque prætore fieri potest: veluti si agatur de fundo ad alimenta relicto distrahendo, vel de obligato in causam alimentorum liberando; nam neque legatus alienari, neque obligatus solvi sine decreti interpositione potest. *§. si uni. 15. d. l. cum hi.* exoritur hoc loco quæstio, fundo ad alimenta legato, utrum proprietas, an ususfructus debeatur. Accursius ait proprietate

tem quidem legatam videri, sed interim duntaxat dum alimenta durant, atque ha-  
ctenus, si quid superfluum inveniatur in  
reditu prædii, quam in quantitate alimen-  
torum, id etiam sibi habeat legatarius.  
Albericus Bart. Bald. Calfr. Jason contra,  
tale legatum etiam ad hæredes legatarii tran-  
sire; quibus assentior. Nam & Modeltinus  
in l. 4. ff. de alim. legat. diserte ait ipsum  
præmium in proposito legatum videri, ut ple-  
no dominio istud legatarius habeat, non per  
solum usumfructum, eoque post diem legati  
cedentem mortuo ad hæredes ejus transmitti;  
& idem Ulpianus quoque non obscure indi-  
cat in d. l. cum hi. §. si uni. 15. cum ait præ-  
torem de fundi ad alimenta legati distractio-  
ne & transactione arbitrari debere: nisi enim  
tali legato proprietas pleno jure data intelli-  
geretur, ne prætore quidem auctore ejus  
distractio fieri posset. Itaque licet facta sit  
alimentorum mentio, quæ morte finiri so-  
lent, tamen plena proprietas legata intelli-  
gitur, & in hæredem legatarii fundus ita  
relictus transmittetur, & consulo prætore  
etiam alienari poterit: quippe illa verba *ad  
alimenta*, magis ad causam legandi pertinent,  
quam ad usumfructum constituendum, l.  
pen. in fin. ff. de alim. legat. & ita etiam  
Cujacio videtur.

13. Pertinent autem hæc omnia ad ali-  
menta, quæ testamento aut quæ alia supre-  
ma voluntate defuncti relicta sunt: non ad  
ea, quæ ex conventione mortis causa deben-  
tur: nam de his etiam sine decreto tran-  
sigi potest, d. l. cum hi. §. hæc oratio. 2.  
Differentia ratio petenda à favore propo-  
siti & enixa voluntatis defuncti alimentario  
consultum cupientis; quam voluntatem  
ideo & senatus subsecutus est. In conven-  
tionibus vero non eadem est contrahen-  
tium providentia: sed promissor fere sibi  
potius consulit, quam alimentario, divisus  
scilicet pensionibus. Qua ratione etiam fit,  
ut alimentorum legatum sit multiplex,  
stipulatio una: ut legatum morte finitur,  
stipulatio non item: quod tamen fieret:  
si creditori prospiciendi causa contrahere-  
tur stipulatio, l. 4. l. 8. l. cum in annos.  
11. ff. de ann. leg. l. si Stichum. 16. §. 1.  
ff. verb. obligat. Sed & obligatio ex con-  
sensu contrahentium orta, eorumdem dis-  
sensu rectissime dissolvitur, l. nihil tam  
naturale. 35. de regul. jur. add. Moller.  
lib. 5. semest. diff. 42. Don. ad l. 8. Cod.  
hoc titul. numer. 8. Sive autem ultima vo-  
luntate testati, sive extra testamentum ul-  
tima voluntate intestati alimenta relicta  
sunt, oratio locum habet; nec refert per  
legatum aut fideicommissum relicta sint,

an conditionis implenda gratia, aut mor-  
tis causa donata aut ab eo relicta, cui  
mortis causa donatum est, d. §. hæc oratio.  
nam & mortis causa donationes & capiones  
legatorum instar obtinent: & is cui mor-  
tis causa donatum est, quasi legatarius fi-  
deicommissio onerari potest, l. ab eo. 9. Cod.  
de fideicom.

14. Sed tamen an oratio pertineat etiam  
ad alimenta mortis causa ab intestato do-  
nata dubitari posse ait Borcholtus trækk. de  
transalt. Cod. cap. 3. num. 35. Ratio dubi-  
tandi, quia duplex sit, inquit, mortis cau-  
sa donatio, una, quæ testamento relin-  
quitur; altera, quæ sit ab intestato, l.  
ram. is. 25. ff. de mort. cauf. don. prior  
illa duntaxat legatis comparatur, non  
item altera, l. si filius. 21. §. 1. de leg.  
præst. cont. tab. Attamen, inquit, dicen-  
dum est etiam ad alimenta, quæ mortis cau-  
sa donata sunt ab intestato orationem  
pertinere, quoniam JCTus non distinguit,  
utrum mortis causa testamento relicta,  
an ab intestato eadem contemplatione  
donata. Sed quis Borcholtum docuit do-  
nationem mortis causa posse testamento  
relinqui, aut ab intestato factam legatis  
non comparari? Utique hoc non didicit à  
Doctore suo Jacobo Cujacio, qui quidem  
lib. 3. obseru. 17. quod à D. Severo con-  
stitutum dicitur, l. 5. Codic. ad leg. Falc.  
ut legis Falcidiæ ratio etiam in mortis  
causa donationibus habeatur, restringit ad  
casum facti testamenti: non autem quo  
donatio hujusmodi testamento relicta. Lon-  
ge enim aliud est in testamento aliquid  
dare, aliud facto testamento; cum id  
fieri possit etiam extra testamentum, &  
ita cape d. l. 25. de mort. ca. don. Sic  
codicilli testamento facto recte fieri di-  
cuntur, l. 8. l. ab intestato. 16. ff. de jur.  
Codicil. Nemo tamen dixerit codicillos in  
ipso testamento fieri posse: quod non ab-  
surdum tantum, sed etiam contradictione  
implicatum est. Et quæso quid aliud sunt  
donationes testamento relictae, quam ipsa  
legata, l. legatum. 36. de legat. 2. §. 1.  
Instit. eod. Sed neque leges, quæ de com-  
paratione aut exequatione mortis causa  
donationum & legatorum loquuntur, leg.  
Marcellus. 15. l. & si debitor. 17. l. illud  
ff. de mort. ca. donat. l. ult. Cod. eod. §. 1. Iust.  
de donat. distinguunt, utrum testamento facto  
mortis causa donatio fiat, an non facto.  
Nam cum nihil commune habeat donatio  
mortis causa cum testamento, quid refert  
testamento condito facta sit, an ab intesta-  
to? Agnovit hoc quoque poitea Cujacius,  
& mutata in melius sententia etiam in do-

nationibus mortis causa ab intestato factis Falcidiam admisit, lib. 20. obs. 6.

15. Quod autem Marcianus in l. si filius. 21. §. 1. de-legat. præf. cont. tab. ait, si pater intestatus deceaserit, super donationibus mortis causa factis filium emancipatum quæri non posse, quoniam eo casu nulla occurrit donationis mortis causa cum legatis comparatio, in eo JCtus respicit ad edictum de legatis præstandis contra tabulas bonorum possessione peita, quæ in eum solummodo casum proposita fuit, ubi testamentum factum est, & per contra tabulas bonorum possessionem eversum. Nam id editum non absurdum ad donationes mortis causa produci, ubi testamentum conditum est, potuit, d. l. 21. pr. eod. tit. an non æque in casu intestati peita bonorum possessione unde liberi: quo casu si donationes immodecum fuerint, non aliud remedium superest, quam querela inoficiose donationis, tit. C. de inoff. donat. Sed huc cū mā. p. 77.

16. Vult igitur oratio prætorem hic intervenire, & apud eum quæri, utrum permittenda sit transactio, nec ne. In primis autem querendum est de causa transactionis; nam neinim fine causa transigere voluntem audiet prætor, d. l. cum hi. 8. §. 8. & seq. ubi & quid requiri in causis transigendi soleat, docetur. Deinde inquirendum de modo transigendi, & transactionis quantitas pro ætate & valetudine transigentis arbitranda, d. l. cum hi. §. vult. 8. & §. modulus. in cuius §. fine quod dicitur alimenta cum vita alimentarii finiri, id quidem & ipsum obtinet, cum quid annuum aut in annos singulos relictum est circa contemplationem alimentorum, l. 4. l. 8. ff. de ann. leg. l. si Stickum. 16. de verb. oblig. sed tunc cessat oratio, §. si in annos. 23. d. l. cum hi. Postremo & persone transigentium considerande, d. §. vult. 8. & in persona alimentarii spectandum sit ne vita frugi, & qui alias sibi sufficere possit; an sequioris, qui de alimentis dependeat. In persona ejus, à quo alimenta relicta sunt, cuius sit propulsus & existimationis, quæ ejus facultates, §. sed & 11. d. l. cum hi. Ad personas quoque referri potest, quod nec plurimi alimentariorum inter se facta transactio sine prætoris auctoritate rata sit, qui casus est §. si uni. 15. d. l. cum hi. Ratio est, quia in præjudicium alterius vergere transactio potest. Eodem quoque refero speciem §. sed & si. 5. d. l. cum hi. ubi dicitur orationis locum non esse legatario aut fideicommissario à quibus alimenta relicta sunt, transigentibus, nimirum eti non licet alimentario sine prætore

transigere cum eo, à quo alimenta relicta sunt, sive is hæres sit, sive legatarius aut fideicommissarius; nihil tamen impedimento est, quo minus legatarius aut fideicommissarius cum hære de re aut quantitate sibi relicta transigant; cum horum transactione jus alimentarii non minuatur, d. §. sed & si. ubi pro ad hoc quidam codices habent ab hoc, ut Accurcius notat, & rectius censet Cujacius, quoniam de relictio per fideicommissum agitur.

17. Quæri & hic potest, & solet idem, quod in transactione de controversiis ex testamento ortis, facta cum renuntiacione inspectionis tabularum, eaque jurata, ut cap. præced. quid scilicet juris sit, si alimentarius sine prætore quidem transigerit, sed transactionem firmaverit juramento, an non saltem jurata transactione de alimentis valere & rata atque efficax esse debeat, quamvis inconsulto prætore facta? & hic quoque eodem modo, quo illuc, respondendum est, si de jure civili queratur, nullos in universum actus illo jure invalidos aut legibus improbatos firmari accidente juramento, l. 5. C. de leg. Juris vero Canonici alia ratio est, quippe secundum quod jusjurandum omne validum est, quod sine dispendio salutis servari potest. C. quamvis. de pac. n. 6. Jam vero apertissimum est ob civilem duntaxat rationem transactionem hic prohiberi, alioqui & perpetua fuisset ista prohibitus, & semper solemnitas ista obtinuisse, que tamen primum auctorem habet D. Marci. Quod si naturalem aut moralem haberet prohibitionem, ne jure quidem Canonico juramento firmaretur, c. non est oblig. de reg. jur. in 6. vid. Covar. in d. c. quamvis. p. 2. §. 6. n. 12. Fachin. 3. contr. 21. Subjungamus nunc aliquot exceptiones sive casus, quibus transactione cum alimentario facta etiam circa prætoris auctoritatem rata habetur. Casum unum habemus in §. cum transactionem. 6. d. l. cum hi. nempe si alimentarius transigendo conditionem alimentorum fecerit meliorem. Etenim Divo Marco propositum fuit alimentario prodesse, non officere, aut commodis ejus obstat.

18. Ceterum quod in pr. d. §. transactionem, dicitur oratione improbari eam transactionem, qua ideo sit, ut quis representatam pecuniam consumat, ei obstat videtur, quod mox subjicitur, posse & inconsulto prætore transigi, ut quod per singulos annos alimentario relictum est, consequatur per singulos menses; aut quod per singulos menses relictum, consequatur per singulos dies. Non enim perpetuum aut absolute verum est, quod Ulpianus ait

tali transactio meliorem fieri conditionem alimentarii : fieri enim potest, ut alimentarius pecunia representata statim consumpta reliquum tempus egeat. Dicerem potius Divum Marcum eas solummodo transactioes prohibuisse videri, per quas alimenta intercipiuntur. In casu autem proposito, et si unius ami aut mensis alimenta representata cito consumpta sint, sequentium tamen annorum & mensium salva manent : & fieri ex contrario quoque potest, ut egeat alimentarius, si finito demum anno alimenta consequatur. Et hanc etiam ipsius Ulpiani sententiam fuisse arguit ratio, quam reddit in fine ejusdem loci.

19. Casum alium, quo transactio rata est etiam circa pratoris auctoritatem, habemus in d. l. cum hi. §. ult. nempe si ad habitacionem relicta sit certa quantitas annua, & sine arbitrio pratoris ita transactum sit, ut praestetur habitatio. Ratio est, quia in hac specie satisfit voluntati testatoris. Illud enim curandum non est, quod ruinæ aut incendio subjecta est habitatio: nam & alias quoque ratio non habetur damni, quod non inconsulte, sed fato contingit. l. verum. 11. §. item non. 4. ff. de minor. l. 1. §. si magistratus. 11. ff. de magistr. conven. Ex contrario quoque si pro habitatione, quæ relicta erat, convenerit, ut certa quantitas praestaretur, valet transactio & circa pratem, d. l. cum hi. §. ult. quoniam, ut recte Bartolus, per hujusmodi transactioem non receditur à forma legati, nec alimentarii conditio deterior efficitur, ut dici possit non satisfieri voluntati testatoris. Intelligendum autem haud dubio locus est de quantitate annua, & qua commoda habitatio conduci possit.

20. Potest denique hoc referri & species l. pen. d. l. cum hi. quæ quodammodo media videtur: videlicet, si conveniret, ut alimentarius pro vino, & oleo &c. ad alimenta relictis, nummum quotannis aut quot mensibus acciperet: aut ex diverso, ut pro nummis eadem contemplatione relictis acciperet frumentum, aut alia ad viatum necessaria, genere tantum mutato. Etenim transactio quidem etiam sine pratore in hisce speciebus fieri potest: ceterum non alter, quam si utilis sit alimentario, recipietur: sin minus, rejicienda est; ejusque rei arbiter & disceptator prator erit: quippe qui non tantum permittendæ transactiois causa decretum interponit ex S.C. sed & cum se inconsulto transactio facta est, de ea disceptat, rejicienda ea sit, nec ne.

21. Antequam hinc abeo, hoc unum adhuc

expediendum, an quis alimenta sibi relicta donationis causa ex liberalitate remittere possit, sive quod idem est, an gratis de futuris alimentis citra pratem pacifici liceat. Negat id Costalius in d. l. cum hi. & ita Glossam & D.O. omnes sentire ait, præter Fulgosum. Utique non omnes, qui admittunt gratuitam de rebus testamento relictis pactionem sine inspectione tabularum, eamdem quoque admittunt in questione hic proposita: sed ratione moveri potuerint, ut in uno pactionem rejicerent, in altero admitterent, equidem non video. Nam illa Cujacii ducta à transactio ad pactionem, aut aliorum à favore ultimæ voluntatis, non magis in uno quam in altero locum habere potest. Et omnino veriorem hic quoque esse existimo sententiam affirmantium, Fulgosii, Jasonis, Don. in l. 8. C. h. r. Conan. §. commen. 7. Bachov. C. 2. ad h. t. n. 7. Cujus ego assertionis firmamenta hæc habeo. Primum, quia pactio nullibi prohibetur, sed tantummodo transactio, quæ prohibitio cum sit contra regulas juris communis, non est producenda ad consequencias, l. quod vero. 14. & seq. ff. de legib. Vism quippe est testatoris voluntatem conservare ei, qui liberalitate ejus uti vellet, non ei, qui contemneret. Et in eos dumtaxat causis leges providere solent, in quos proclivior est excessus, l. 4. §. 1. ff. ad S.C. Vell. pr. Inst. quib. alien. lic. & tit. Inst. de leg. Fuf. Can. toll. Nemo autem facile quicquam remittit gratis, quod donare est & perdere, l. cum de indebito. 25. ff. de probat. l. si quis. ff. de novat. Secundo quia unusquisque quod sibi relictum est, repudiare & contemnere potest. Et quæso qua ratione quis impeditur, quominus omittat & non petat, quod sibi relictum est? Quid denique interest utrum non petat prorsus repudietve an remittat? Tertio quoniam in pacto simplici cesset ratio, quæ in transactio cognitionem pratoris desiderat, ne scilicet alimentarius circumveniatur: neque enim qui ultro remittit, decipi videri potest; sed facile decipitur, qui pro alimentis aliquid accipit, & mayult aliquid integrum præsens habere, quam singulis annis particulam. Non movet, quod ne fundum quidem in alimenta oppigneratum alimentarius liberare potest, §. si uni 15. d. l. cum hi. nam qui vult alimenta perseQUI, sine pratore nihil facere potest, quo eorum conditio deterior fiat. Nec obstat ejusdem l. cum hi. §. si prator. 17. quoniam illic non de alimentario remittente, verum de pratore negligente & circa cause cognitionem transfigi permittente agitur.

## CAPUT VII.

Quatenus in causis criminalibus transactio  
permissa, ad l. transigere. 18.  
C. hoc tit.

## SUMMARIUM.

1. Capitale crimen quid, & unde dicatur.
2. Capitale interdum id solum significat, quod vindicatur morte.
3. Ratio ob quam transactio in causa sanguinaria permitta tum reo, tum accusatori.
4. Reum quovis tempore transigere posse.
5. Accusatorem inchoata demum accusatione.
6. Confutatio distinctionis Pacianæ.
7. Occurritur D. Matthæo contendenti accusatorem post institutam accusationem impune non posse transigere.
8. Effectus hujus transactionis.
9. Per hanc transactionem non fieri præjudicium cause publicæ.
10. Non eandem hic transactionis vim esse, quæ rei judicatae.
11. Crimen non perimi abolitione.
12. An magistratus nullo existente accusatore, ex officio inquirere possit.
13. Transigi non posse super crimen fustigationem, membra mutilationem, deportationem, aut pœnam perpetui carceris continentia.
14. An transactio permittenda in crimen malversationis & parricidii.
15. Explanatur l. ult. C. de abolit.
16. Quid si delictum tale sit, quod ordinaria pœna mortis non punitur; sed cuius pœna ex circumstantiis ad mortem usque extendi possit.
17. Crimen adulterii an tempore Diocletiani capitale fuerit, obiter.
18. Rationes, ob quas de prima regula l. transigere, excipiatur adulterium.
19. An licita transactio de robo.
20. An de stupro.
21. An de incestu.
22. Exponitur l. i. §. 3 ff. de calunnia.
23. An etiam pactio in criminibus non capitalibus prohibita.
24. Pœna post item contestatam de crimen non capitali transfigentium, tum actoris tum rei.
25. An reus pendente judicio transigens habeatur etiam pro condemnato.
26. Quid hic in pactione gratuita.
27. Quid in transactione aut pactione facta ante judicium institutum.

Vinn. Tract. Varii.

28. Notatur aliquid singulare in crimen adulterii.
29. An in privatis criminibus licita transactio.
30. Quibus rationibus moti plerique interpres putaverunt crimen falsi excipi de regula secunda l. transigere.
31. Confutatio hujus sententiae.
32. Verbum citra apud bonos auctores nunquam usurpari pro præter, ut sit nota exceptionis.
33. Apud auctores hujus rescripti semper profine.
34. Apud Papinianum l. ult. ff. de calumniat. notam exceptionis esse non posse.
35. Voce præter non semper denotare exceptionem.
36. Potrema clausula hujus rescripti continet legi sanctionem.
37. Refellitur prima exceptionis ratio.
38. Secunda ratio exceptionis rejicitur.
39. Ostenditur locos, qui ad probandam exceptionem afferuntur, nihil minus probare.
40. Verborum citra falsi accusationem verus sensus.
41. Francisci Hotomanni metathesis improbatetur.
42. Dispositio l. transigere, hodie fere cessat & inutilis est.

**N**ON omnes causæ, quantumvis dubiae sunt idoneum subjectum transactionis: sed civiles duntaxat, non criminales: quippe in quibus non privata, sed publica cautela agitur. Pactiones autem nisi quæ de re privata fiunt, non valent, l. 7. §. si paciscar. 14. & §. generaliter 16. l. si unus. 17. §. 4. l. jus publicum. 38. ff. de paci. Enimvero admissa est species quædam transactionis in criminibus capitalibus, non equidem jure aliquo pactonis aut transactionis genuinæ, sed mitterationis quadam ratione atque intuitu dumtaxat. In quam rem extat rescriptum Imp. Diocletiani & Maximiani l. transigere. 18. Cod. hoc tit. in hac verba: Tranfigere vol pacisci de crimen capitali, excepto adulterio, prohibitum non est. In aliis autem publicis criminibus, quæ sanguinis pœnam non ingerunt, transigere non licet citra falsi accusationem.

Hujus rescripti duæ sunt partes: una est de criminibus capitalibus; altera de non capitalibus.

1. Capitale crimen à capite dicitur, facinus nimis capite luendum: nam capitale est, quod capitatis pœna luitur. In sanctionibus antiquis Capital vocatur. Cic. 2. de legib. Fest. in voce Capital. l. ult. §. 1. ff.

*de term. mot. l. omne delictum. 6. §. si quis. 6. ff. de re milit.* Est autem poena capitalis per quam caput eximunt de civitate , sive id fiat morte sive maxima aut media capitatis diminutione, *l. licet capitalis. 103. ff. de verb. sign.* Hinc capitalia judicia , quorum poena vel mors est , vel deportatio sive exilium , aut aqua & ignis interdictio , vel metallum , *l. 2. ff. de publ. jud. 5. 2. Inst. ead.* & rei capitalis damnatus , interpretibus Ul piano & Africano , ex qua causa damnato vel mors , vel etiam civitatis amissio , vel servitus contingit , *l. 2. ff. de pœn. l. editio. 13. ff. de bon. poss.* atque ita passim *l. eum. 10. ff. de jur. patron. l. qui cum. 14. §. 2. ff. de bon. libert. l. 4. pr. ff. si quis cauit. jud. fift.* Græci in Basili.

*τιμων διλέσι, εγενη πολιτειας θεωρηπον.* capitalia mortem significant & civitatis amissionem Nimirum civitatis amissio morti similis est , & mors quedam civilis , *§. 1. Inst. quib. mod. patr. pot. solv. l. 1. §. filium. 8. ff. de bon. poss. cont. tab.* Unde veteres dicebant , interire homines non solum morte , verum etiam maxima & media capitatis diminutione , *l. verum. 53. §. societas. ult. ff. pro soc.* Sed & omnis causa existimationis Latine loquentibus capitalis dicitur , *d. l. licet capitalis. 103. ff. de verb. sign.* quamvis civilis causa sit , nec ex ea sequatur capititis ulla diminutio , ut appareat ex oratione Ciceronis pro Quintio , & ita veteres glossæ , *capitalis ἀπογνώσις* , id est , capitalis causa est quæ irrogat infamiam , cum tamen per solius infamia irrogationem nemmo capite minuatur. Sed hoc improprie & significatu latiore : credo quia viris bonis non minus acerba famæ & existimationis jaætura , quam vitæ. Et ideo Modestinus in *d. l. 103. de verb. sign. licet* , inquit , *capitalis Latine loquentibus omnis causa existimationis videatur* : tamen appellatio capitalis , mortis , vel amissionis civitatis intelligenda est. Et Cicero quoque *lib. 9. epist. 21. ad Pat. judicia capititis & famæ diserte separat.*

2. Interdum vero *capital* id solum significat , ob quod caput non de civitate , sed de medio hominum tollitur , sive cuius poena mors est naturalis , & supplicium supremum , *l. relegati. 4. ff. de pœn. ubi Marcianus mortis quæ sola est, pœnam capititis vocat,* & deportationi opponit , & sic in *l. castitati. 9. C. ad leg. Jul. de adult. l. un. C. de crim. pecul. §. item lex Julia. 8. & seq. Inst. de publ. judic.* pœna capitalis , capitalis animadversio , supplicium capitale , pro summo accipitur , *ηγετος videlicet, ut & alias iudicium capitale pro αιμονι δικη, seu sola*

causa sanguinis. Atque in postrema hac significazione etiam in hoc nostro rescripto crimen capitale sumitur , nimirum cuius non alia poena , quam mors est. Id vero ita esse & oppositio sequens in aliis autem criminibus , quæ sanguinis pœnam non ingerunt , &c. demonstrat , atque ut hoc ab Imp. expressum non esset , ex aliis tamen locis sic hunc interpretandum esse disceremus , *l. 1. ff. de bon. eor. qui ant. sent. l. ult. ff. de prævar.* ut taceam quod ratio , que hoc jus extorsit , idem manifeste ostendit. Falluntur autem nimis aperte , qui huc etiam pertinere putant crimina , quæ qualemcumque pœnam corporalem continent , puta fustigationem aut membra mutilationem , de quibus postea uberioris.

3. Ajunt Imp. *Transfigere vel pacisci de criminis capitali prohibitum non est.* Hæc pars rescripti prima. Admissa igitur hic est & pactio gratuita , & transactio ; ut scilicet & reo liceat etiam cum pretio pacisci , & accusatori coemptam accusationem deserere sive gratis sive accepta pecunia. Nimirum ut ante quoque dixi , admissa est in criminibus capitalibus , id est , iis , quæ sanguinis pœnam irrogant , transactionis quedam species atque imago : quoniam & accusatori causam coemptam omittere , & reo permisum est accusatori , ut omittat , aliquid dare : in quo similitudo transactionis. Proprie enim nulla transactio , nullum pactum est , nisi de re familiari , & quam quisque , ut ad se pertinentem , remittere potest , *l. 7. §. si paciscar. 14. ff. de pœn.* Ratio autem , ob quam transactio hic permitta , non alia est , quam respectus quidam misererationis , quod Principes ignoscendum censuerunt ei , qui sanguinem suum qualiter qualiter redemptum voluit , *l. 1. ff. de bon. eor. qui ant. sent. l. ult. ff. de prævar.* ex humanitate sic interpretantes , si quid reus accusatori dederit eumve corruperit , quasi id fecerit territus potius gravitate & magnitudine periculi , salutisque & vitæ suæ redimenda gratia , quam conscientia sceleris. Hoc autem admisso in persona rei , ut scilicet is , de criminis capitali impune transfigat , neque ob id pro convicto habeatur , *d. l. ult. ff. de prævar.* in consequentiam actori quoque impune esse debuit , si is ex pactione ab accusatione defisteret , accepta licet pecunia : cum alioqui transactionem nunquam fit admissurus , & ita futurum sit , ut miseriis reis spes omnis redimenda salutis suæ præcidatur. Proinde accusator defistens non modo non incidit in pœnam talionis , sed nec in pœnam SC. Turpilianni pecuniariam , de qua in *l. 3. §. ult. ff. de prævar.* neque etiam ut

pravaricator damnari debet, *l. ult. d. tit.* Eadem ratione nec abolitionem ab accusatione defitens impetrare necesse habet. Etenim si defistere sine poena SC. potest, qui Principe permittente defisit, *l. defitisse. 13. §. 1. ff. ad SC. Turpill.* poterit & qui defit permittente jure publico, *l. Gracchus. 4. C. ad leg. Jul. de adult.* Et igitur loci, quibus generaliter definitur eum, qui cum adversario de crimine transfigit, incidere in poenam SC. *l. 1. §. si quis. 7. l. 6. pr. l. in senatus consultum. 15. pr. ff. ad SC. Turpill. l. 2. l. 3. C. de abolit.* aut restringendi sunt ad criminia non capitalia, seu quæ poenam sanguinis non ingerunt, de quibus citra abolitionem transfigere non licet: aut si ad criminia quoque capitalia eandem definitionem pertinere voluimus, addenda erit exceptio, nisi ex transactione cum reo facta accusacionem omiserit.

4. Et reus quidem quovis tempore impune transfigere potest, id est, tam ante, quam post accusationem institutam: eadem enim utroque casu permissionis ratio est, eadem magnitudo periculi sive accusatio immineat, sive pendeat, scilicet mortis, ut nulla plane hic occurrat distinctionis aut restrictionis ratio. Denique leges quoque, quæ reo in causa sanguinis transfigere permitunt generaliter atque indistincte loquuntur. Sed de accusatore quæsumus est, an & ipsi utroque tempore permissa de crimine capitali transactio.

5. Et puto ego non esse. Ratio est quia ante coepit accusationem mina de accusando speciem concussionis habent: ac proinde si quis accusationem minatus non gratis sed accepta pecunia defisit; procul dubio incidit in crimen concussionis, *l. 2. ff. de concuss.* quod & Hotomannus bene observavit *c. 23. illust. qu.* Deinde cum, ut supra quoque diximus, transactionem hic defendat, aut excusat porius ratio miserationis, nulla haec est respectu accusatoris, quo tempore liberam adhuc accusandi potestatem habet, aut non accusandi. Itaque non vallet hic argumentum à reo ad accusatorem. Hoc ergo dicimus, accusatorem inchoata demum accusatione impune transfigere: & ratio est, quoniam jam ipse quoque accusator sanguinem suum redimit propter periculum talionis, quæ ex securitate inox in crimen subscriptione eum manet, *l. ult. C. de calumnias. l. ult. C de accus.* Quid post inscriptionem? Puto etiam tunc posse: quia cum eo tempore vel maxime talione obstringitur, metu tanti periculi ab accusatione defisiſſe videri deber. Video tamen hanc temporis in accusatore distin-

ctionem à plerisque aut omitti, aut contemni, ab aliis nec reo semper parcii.

6. Julius Pacius in *l. transfigere. n. 20.* tribus modis contingere ait, ut accusator accepta pecunia diccedat à judicio. Aut enim mala fide, inquit, crimen intentavit, ut per concussionem metu illato pecuniam à reo extorqueret, nolens aliter, quam accepta pecunia quasi calumnia pretio, reum dinnitare; aut reus seu causæ diffidens pecuniam dedit, ut accusatorem corrumperet: aut denique pecunia data est, quia cum causa esset dubia, de ea transegerunt. Primo casu punitur, inquit, accusator propter calumniam & concussionem. Altero casu punitur reus propter corruptionem accusatoris: tertio casu cum transactio est permissa, ut in specie proposita, neuter punitur. De postremo casu facile Pacio assentior. Sed & de primo non repugno: nam si accusator ipse exigat pecuniam, nec alia l. ge se ab accusatione defitatum minetur, vix est, ut accepta pecunia non incidat in crimen concussionis: quamvis si ultro oblatam à reo eadem lege acceperit, ignorandum ei videatur. Ceterum quod secundum casum attinet, in eo prorsus à Pacio dissentio, cum utique reo liceat quoque modo sanguinem suum redimere, atque accusatorem suum etiam pretio dato corrumperet, *l. 1. ff. de bon. ear. qui ant. sent. l. ult. ff. de prævar.*

7. Antonius Matthæus lib. de criminib. ad tit. 19. lib. 48. ff. c. 7. converso modo distinguuit, contendens accusatorem ante institutam accusationem absque ulla fraude sua transfigere: post institutum vero judicium, si transfigat, incidere in SC. Turpilianum: quippe in quod incident omnes, qui non impetrata abolitione accusationem omittant, *l. 1. l. 2. C. de abolit.* Itaque ex sententia Di Matthæi nunquam ei, qui re ipsa accusator est, impune licebit transfigere; sed ei duntaxat, quis in dñm, qui crimen comperit, & abusive accusator dicitur, propterea quod accusator esse potest. Atqui diserte responsum est eum, qui ob non accusandum pecuniam accepit, concussionis teneri, *l. 2. ff de concuss.* quo colore ergo dicimus eum posse impune transfigere? Rursus si dicimus accusatorem post constitutum judicium transfigentem incidere in poenam Turpilianii, futurum est, ut ipsi quoque reo inutilis sit transactionis permissio, eo quod metu hujus poenæ à transactione deterrebitur actor; & sic reo fructus earum constitutionum auferetur, quæ sanguinem suum redimenti ignosci volunt. Sed & omnino probabile:

est, rescriptum ipsum Imp. directum suisse ad accusatorem post institutam accusationem de transactione meditantem & super hoc consilientem principes. Tametsi autem non quemvis actorem, crimen non probato, statim talio manet, sed eum duntaxat, quem calumniatum esse judex pronunciaverit, l. 1. §. 3. & 4. ff. ad SC. Turp. sufficit tamen, quod similitudine supplicii obligatus sit, & non probato crimen ut calumniorum damnari possit: etiam si forte falsum crimen non intendenter, sed tantum in probationem defecerit. Sed inquit D. Matthæus rescriptum in l. 2. C. de abolit. non potest intelligi de crimen non capitali, cum eodem rescripto jubeatur in reum inquisitio fieri: de crimen non capitali transigens pro victo habeatur, l. ult. ff. de prævar. At inquam, sic argumentando videtur vir doctus in partes nostras transire, & fateri reum super causa capititis transigentem pro victo non haberri, propterea quod in crimen adhuc inquirendum sit: quod & nos ultro fatemur. Verum & hoc insuper addimus, non continuo etiam reum, qui de crimen capititis poenam non ingerente translegit, ad supplicium rapi: sed quamvis gravissimo se oneret prajudicio & juris presumptione, quod conscientia criminis adversarium corperit, opus ramen adhuc esse ampliori cognitione antequam sequatur damnatio, ut recte Baldus in d. l. transigere. columnault. Borcholt. c. 3. n. 88. fac. l. ejus qui. 19. ff. de jur. fisc. l. 1. §. Divus. 17. de quest.

8. Effectus hujus transactionis est, ut neque reo, neque actori noceat, id est, ut nec reus transigens pro confesso & convicto habeatur (quod alias fieret, l. ult. ff. de prævar.) nec accusator in poenam prævaricantium aut senatusconsulti Turpilianni, talionisve incidat, ut supra dictum est. Deinde reo non modo non nocet transactionis, sed etiam prodest; nimimum ad hoc, ut idem ille accusator repeteret accusationem non possit, sed reus ab illo liberetur: ait enim JC. in d. l. 1. ff. de bon. eor. qui ant. sent. reos sanguinem suum redimere posse, atque ita ab accusatore liberari.

9. Non tamen ob id prajudicium fit causa publicæ, siquidem privata pactione publica coercitio tolli non potest, l. 5. ff. de pac. do. tal. nec patitur publicæ disciplinæ vigor ut delicta maneant impunita, l. ita vulneratus. 51. §. estimatio. ff. ad leg. Aquil. l. locatio. 9. §. quod illicite. ff. de public. Itaque cum hujus transactionis non ea vis sit, ut crimen perimat, sed accusationem duntaxat, & hactenus ut illa ab eodem repeti non

possit, sequitur omnino reum adhuc aliorum accusationi obnoxium manere, cum publicorum judiciorum accusatio cuivis è populo pateat, §. 2. Infl. de publ. jud. At enim, inquires, non minorem autoritatem habet transactio, quam res judicata, l. non minorem. 20. C. de transacti. absolutio autem à judice facta crimen perimit, ita ut nec aliis ad accusandum eum, qui sententia judicis liberatus est, admittatur, nisi novus accusator suum dolorem perseguatur, ignarus accusationis ab alio instituta, aut priorem accusatorem prævaricationis convincat, l. 7. §. 2. de accus. l. 11. C. eod. l. 3. §. 1. de prævar. l. si cui. 7. §. 2. ff. de accusat. l. 9. l. 11. C. eod.

10. Respondeo, comparatio illa transactionis & rei judicata non procedit in omnibus: neque enim ut res judicata pro veritate habetur, l. ingenuum. 25. ff. de stat. hom. ita & transactio. Transactio inter haeredem scriptum & legitimum facta non impedit, quo minus legatarii & fideicommissarii cum haerede scripto in solidum experientur, l. 3. pr. ff. hoc tit. eaque non obstante testamentum in suo jure manet, l. se suspecta. 29. §. 2. ff. de inoff. test. secus est, si contra testamentum pronunciatum sit, l. 8. §. pen. l. cum mater. 28 ff. d. titul. quanquam jure novissimo nihilominus legitima ex eo debeantur, auth. ex causa. C. de lib. præter. De criminibus omnibus judicari potest, transigi non item. Res judicata paratam habet executionem, transactio non habet: ac proinde mirum non est absolutione crimen tolli: quamvis non tollatur transactione.

11. Sed nec abolitione magis, quam transactione crimen perimitur. Nam quod scriptum est in l. 1. C. de abolit. interveniente abolitione crimen sopiri, non hoc significat, crimen perimi aut extingui: quippe sopita suscitari queunt; perempta nunquam reviviscunt. Sed & crimen illic positum est pro criminatione sine accusatione, quod minime est insolens. l. 1. §. 1. ff. de susp. tut. l. propter. 21. ff. de SC. Silan. l. ult. ff. ad leg. Jul. ma est. atque id respectu accusatoris dictum intelligi debet, cui sopitum abolitione crimen, sine supplicatione renovare non licet: ad rerum vero quod attinet, is & ab alio accusatore, & ab ipso quoque judice repeti potest, ut recte D. Matthæus d. c. 7.

12. Quid vero si post transactionem aut pactionem unius accusatoris nemo alias reperiatur, qui accusare velit, an impunitum manebit facinus? Respondemus posse adhuc magistratum ex officio procedere & in crimen inquirere, atque in

convictos animadvertere. per. *l. congruit.* 13. ff. de offic. præf. lib. 1. in pr. Cod. de cuf. reor. l. 7. Cod. de accusat. Nov. 128. cap. 1. Fachin. 1. cont. 34. &c ibi citati. Bene autem idem Fachinæus eodem loco monet, eam inquisitionem non posse inchoari, nisi legitima diffamatione, legitimisque indicis atque argumentis præcedentibus. Jure Canonum res hac plane certa est atque explorata. c. qualiter & quando. de accus. & inquisit.

13. Quoniam autem diximus primam hujus *l. transigere.* partem pertinere ad crimina, quæ mortis poenam inferunt, hinc apparet, transigi non posse de crimine, quod fulligationem continet. Ratio est, quia ea poena non est capitalis, sed toto genere à capitali secernitur. *l. 2. in fin. ff. de publ. judic.* Sed nec in membris mutilatione procedet transactio: quippe membro amputato manet nihilominus homo incolmis: aperenteque labitur Gomez. 3. resol. 3. num. 54. & Clar. §. fn. præf. svim. quest. 58. num. 7. & 8. in quavis corporali poena transactionem admittentes. Deportatio quoque toto gradu à mortis poena distinguitur. *l. capitalium.* 28. in fin. pr. ff. de pœn. & demum in insulam deportato, si interdictis locis excedat, capitinis poena irrogatur. *l. 4. ff. d. tit.* ac proinde dicendum est, nec in crimine, cuius poena deportatio est, licitam esse transactionem; multoque minus licita erit in causa infamiae: nam & ea aperte distinguuntur à capitali. *d. l. capitalium.* §. 1. & quamvis alibi fama vita comparetur *l. justa* 9. ff. de man. vind. vitam tamen secum non trahit: poenæ infamiae non nisi improprie capitalis dicitur, *l. licet.* 103. ff. de verb. sign. In poenis autem propria significatio spectanda. Sed quid dicemus de poena perpetui carceris? Sane quidem carcer interdum poena appellatur. *l. 3. ff. de custod. reor.* *l. 2. Cod. eod.* Cæterum nusquam jure civili poena perpetui carceris, quod ad liberos homines, vel cognita, vel licita. *l. aut. damnum.* 8. §. solent. 9. *l. mandatis.* 35. ff. de pœn. lib. 6. Cod. eod. Quamvis autem jure Canonico, quod mores hodierni sequuntur, talis poena permitta sit. *Cod. quamvis.* & de pœn. in 6. tamen cum hac poena nequam mortem ingerat, nec sanguinis sit, non erit licita hic transactio. Clar. d. quest. n. 9.

14. Majestatis & parcidii crimen quin capitale sit, & poenam mortis inferat, nullum est dubium: sequitur ergo de utroque pacisci vel transigere licere, argumento prima partis *d. l. transigere.* ubi unum dumtaxat adulterii crimen excipitur. Habet quidem perduellionis crimen hanc singularem præ-

cæteris indolem, quod persecutio ejus etiam post mortem rei inchoari queat. *l. ex judiciorum.* 20. ff. de accus. l. ult. ff. ad leg. Jul. Maj. sed singularia non sunt extendenda: & longe diversum est, quo de hic querimus. Non obstat, quod conscientia, qui non detulerunt hæc crimina morte plecti jubentur. *lib. 5. §. 6. & 7. Cod. ad leg. Jul. Maj. l. 2. l. 6. ff. ad leg. Pomp. de parvic.* Etenim conscientiae probationes habeat, sive non habeat, deberet ista crimina detegere ac deferre per dd. II. accusare tamen non tenetur, sive probationes habeat, sive non habeat: nulla enim lex hoc ei injungit; ac proinde standum est regulæ, quod nemo invitus accusare teneatur. *tit. Cod. ut nem. invit. ag. vel accus.* Standum generali definitioni hujus *l. transigere.* quod super crimine capitali transigere prohibitum non sit. Borcholt de transact. cap. 3. num. 81. Pac. ad *l. transigere.* num. 38. Cujac. 6. obs. 11. diff. Delrio ad hanc *l. transigere.* num. 48. D. Math. num. 14. Loci vero in contrarium allegati conscientia criminis puniunt non ob accusationem non institutam, vel pactione aut transactione finitam, sed ob silentium; quia rem occultam habuit. Non tenetur igitur accusare invitus, sed denunciare tenetur, ut judex ex officio suo in denuntiatum inquirat: id enim facere judicem posse nullo existente accusatore supra demonstravimus.

15. Non obstat, quod in crimine majestatis non conceditur abolitio. *l. ult. Cod. de abolit.* Aliud enim longe est, abolitionem, id est, accusationis omittendæ licentiam, aut exemptionem à crimine petere; aliud transigere. Abolitio fit intercedente auctoritate magistratus. *l. 1. & seqq. Cod. de abolit.* vel à Principe aut senatu conceditur ob diem insignem lætitiamque publicam. *l. abolit.* 8. *l. si interveniente.* 12. ff. ad SC. Turpill. res etiam criminis abolitionem continet. Transaction fit pactione privata inter actorem & reum, eo effectu, quem supra indicavi. Imperatores in *d. l. ult.* loquuntur de accusatore & accusato potentibus abolitionem, non de transigentibus aut pacientibus inter se ut omittatur accusatio. Abolitionem in tam immuni crimine petitam jubetur judex denegare: transactio autem non vetatur. Itaque constanter dicimus etiam hic reo sanguinem suum redimenti ignoscendum esse, & actorem, qui cum eo transigit aut pactus est, impune ab accusatione defistere, quia permissu legis defistit, & ideo nec opus habet abolitione, ut paulo ante exposuimus.

16. Quid si delictum tale sit, ex quo quidem ordinarie poena mortis non ingeratur, sed cuius poena ex circumstantiis arbitri-

trio judicis ad mortem usque extendi queat? Quidam putant hic transactioni locum non patere, ne aliqui nimium hoc jus porrigitur, & in plerisque delictis paulo gravioribus ( ex quibus poena extraordinaria ad mortem usque extendi potest juxta communem DD. sententiam ) semper habeat reus, quo se excusat, ne ob corruptum pretio adversarium pro confesso habeatur. Neque vero eandem esse rationem delicti, quod ex se & natura sua poenam capitalem mereatur, & quod ex accidenti, ita arbitrante judge. Ego tamen etiam hoc casu regulæ standum arbitror. Parum enim interest, certo constet poenam capitalem irrogatum iri ante eo dubitari possit; sufficit enim, ut regulæ locus sit, mortis periculum quomodocunque imminere. Itaque cum pactio vel transactione admittatur hujus periculi vitandi causa, *I. 1. ff. de bon. cor. qui ant. sent.* & idem periculum etiam in re dubia immineat, quia fieri potest, ut judex poenam capitalem seu jure sive injuria, sit irrogatus, purarem etiam hoc casu permissam transactionem; & hoc facit arg. in *I. 7. §. 1. ff. quod met. caus.* JC. justum metum mortis, esse ait, si quis occidi poruit, vel non jure. Debet itaque & in nostro casu idem metus pro iusto haberi, & locum veniae facere, ut reus id ipsum, quod in judicantis potestate extrellum est, formidasse intelligatur. Denique illi ipsi, qui ex poena ordinaria duntaxat, quæ sicilicet certo generi delictorum legibus imposita est, astimandum putant, licetane sit transaction, an secus, fatentur ultro licitam hic esse transactionem, si forte circumstantiae tales sint, quæ facile judicem movere possent ad inclinandum in sententiam capitalem, & hæc quoque Julii Pacii sententia est ad hoc *I. num. 14.*

Atque haec tenus quidem explanavimus regulam prima parte hujus rescripti contentam: sequitur, ut ejusdem quoque regulæ exceptionem, quam addunt Imperatores, examinemus. Ajunt exceptio adulterio.

*27.* Hæc exceptio arguit crimen adulterii tempore Diocletiani mortis poena multatum fuisse. Imo etiam multo ante capite id sancitum fuisse evincitur ex *I. castitati. 9.*: *Cod. ad Jul. de adult.* quod rescriptum Alexandri est, qui multis annis Diocletiani Principatum antecessit. Julianianus tamen *Nov. 134. cap. 10.* constitutione demum Constantini capitalem adulterii poenam esse restatur: quod & Brissonius *lib. sing. ad leg. Jul. de adul.* & Don. *ad hanc I. num. 6.* existimant. Cujacius vero *lib. 6. obs. 11.* contendit primos Constantium & Constantem id capitale fecisse per *I. 4. Cod. Theod.* quor.

*app. non recip.* ante tempora quidem Constantini, sed post Diocletiani. Sane ex lege Julia capitalem hujus criminis poenam non fuisse constar ex Taciti annalium, *lib. 1. 2.* & 3. sed neque tempore Alexandri morte vindicari solitum non obscure indicant textus in *I. si quis viduam. 5. ff. de quest. I. Claudius. 13. ff. de his quæ ut indign.* *I. miles. 11. ff. ad I. Jul. de adult. 1. ex eo. 18. ff. de testib.* quæ Pauli est, collegæ Ulpiani, & Alessandro Principi à Consiliis. Divus quoque Augustinus sagacissimus antiquitatis indagator *lib. 3. de civ. Dei.* scribit Romanos fœminas adulteras, quamvis aliqua damnatione, nullas tamen morte punivisse: ut omnino verosimile sit, *d. I. castitati. Cad. ad I. Jul. de adult.* & hoc nostrum rescriptum interpolata esse à Triboniano, quod & Brissonio, Cujacio, Donello ad hanc *I. num. 6.* Delrio *num. 85.* Melch. Klok *part. 2. c. 2. vi-* detur. Sed hoc alias forte latius. Quod si quis jam ex me querat, quidnam causa sit, cur cum de ceteris criminibus capitalibus transfigere fas fuerit, non tamen idem permisum adulteris?

*18.* Respondebo *I. exceptum esse adulterium ob frequentiam flagitii.* Martialis *lib. 6. Epigram.*

*Litus erat sacrae connubia fallere  
tædae:*  
*Litus erat teneros, &c.*

Jam vero frequentia delicti sèpe exigit, ut supplicium exacerbetur, & nimium multis grassantibus opus est exemplo & majore se veritate. *I. aut. fatla. 16. §. ult. ff. de pœn. 2.* Ut tanto magis transactione prohibita matrimoniorum castitati stuperent cives Romanii. *3.* Quia adulterii accusatio non omnibus promiscue patet: nam olim extranei post patrem demum & maritum adulteræ admittebantur. *I. 4. §. 1. & passim. ff. ad I. Jul. de adult.* postea extranei plane exclusi *I. quamvis. 30. Cod. eod.* Quare admissa hic transactione facile futurum erat, ut ejus criminis impunitas sequeretur. *4.* Quia hæc transactione ob conscientiam & patientiam stuprividetur aliquid lenocinit simile habere, & per eum quasi venialia sunt ciuium matrimonia, cum ingenti dedecore ciuitatis, eoque pertinet illud Virgilianum *lib. 12. Aeneid. Deformare domum, & luctu miscere Hymeneos.* *I. mariti. 19. pr. & §. 2. junct. lib. 2. §. 2. & seqq. ff eod. 5.* Quod adulterio turbentur familiæ, quibus per id partus alieni spuriique inferuntur. In summa cum cetera fere delicta propriæ turpitudinis finibus continentur, adulterium quoddam veluti vitorum,

agmen trahit. Diod. Sicul. lib. 1. *Biblioth.* Atque hæ rationes satis graves ac dignæ mihi videntur ut & magnis quoque doctilis que viris, Duarenio, Donello, Mornacio, Bachovio, Ant. Matthæo, ob quas transactio super crimine adulterii, etiam postquam id capitale factum est, non sit admisfa, contra receptam in cæteris causis capitalibus regulam. Et quidem si maritus aut quis alius pecuniam accepit, ne accuset, plectitur: si gratis ante litem contestaram pactus est, ne accuset, non plectitur, l. 2. §. 2. l. si maritus. 15. §. si negaverint. 5. l. mariti. 29. §. 2. ff. eod. Quod si post cœptam accusationem pactus est licer gratis, in poenam SC. incidit, quia desistit sine abolitione. l. de crimin. 10. Cod. eod.

19. Quæsitus memini, cum solum adulterium à regula excipiatur, an de raptu, de stupro, de incestu, quæ tria crimina magnam cum adulterio affinitatem habent, transfigere liceat. Et quidem, ut de raptu incipiam, constat id crimen capitale esse, & ultimo puniri suppicio. lib. 5. §. 2. ff. ad leg. Jul. de vi publ. l. un. Cod. de rapt. virg. Sed crimen expresse vetitum de hoc crimen transfigere; ac proinde dicendum videtur de eo transfigere licer juxta regulam primæ partis hujus rescripti. Tamdiu enim regulæ standum est, donec probetur exceptio. Unde Doctores nostri ajunt, qui profet habet regulam, eum habere intentionem suam fundatam, atque ideo in adversarium exceptionem prætendentem onus probandi transferre, in qua probatione si defecerit, secundum regulam pronuncianendum esse per leg. ab ea. 5. ff. de probat. cum similib. Non est contrarium, quod servus raptum virginis deferens libertate donatur. l. pen. Cod. pro quib. cauf. serv. pro præm. Ex eo enim minime sequitur propter pactionem aut transactionem de raptu pacifcentem puniri aut pro convicto habereri: sicut nec ex eo, quod parentes, qui patientiam præbuerunt, ac dolorem remiserunt, deportatione plectuntur. d. l. un. Cod. de rapt. virg. aliud enim est pacisci vel transfigere super accusatione raptus, aliud dolore, quem raptus attulit, remisso, permettere, ut raptum cum raptore maneat, eique nubat. Nov. 150. Sed neque in Nov. 143. magis, quam alibi, agitur de parentibus pacifcentibus super accusatione raptus; verum de iis, qui dolorem, seu rancanam, ut loquuntur, remiserunt, etiam si in nuptias non consenserint. Quod si hoc non placet, in proclivi est alia responsio, eaque meo judicio probabilior; nimisrum speciali ratione propter turpitudinem pactionis in pa-

rentibus puella transactio cum raptore legibus Justiniani improbatam: nihil autem obstat, quo minus extraneus accusator, cum eo pacisci vel transfigere possit. Enimvero si raptor conveniatur lege Julia de adulteriis, non proprio crimen raptus seu lege Julia de vi, pactionem vel transactionem illicitam esse planum est & ita propemodum Pacius num. 34.

20. Quod stuprum attinet, nego de hoc crimen transfigere licere: non quod, ut putat Pacius, appellatione adulterii etiam simplex stuprum contineatur: sed quia simplicis stupri poena non est capitalis. §. item l. Jul. 4. Inst. de publ. judic. & ideo ad secundam hujus legis partem, qua transactio de criminibus non sanguinariis prohibetur, id delictum pertinet. Non movet quod in l. 6. §. 1. ff. ad l. Jul. de adult. l. 101. ff. de verb sign. dicitur, legem Julianam his vocibus adulterium, stuprum promiscue & indifferenter usam esse, quamvis proprie adulterium dicatur, quod in nuptiam committitur, stuprum, quod in virginem, &c. Nam ex eo recte quidem collegeris verbo stupri etiam adulterium, tanquam speciem stupri contineri, & stuprum quoque simplex eadem lege coerceri eadem poena, qua adulterium. l. 11. §. 1. ff. ad l. Jul. de adult. sed non ex contrario adulterii vocabulo legem complecti & stuprum simplex, aut aucta adulterii poena & stupri cujuvis auctam. Vide post alias Goedd. in d. l. 101. ff. de verb. sign. Plane stupri qualificati, ut nunc loquuntur, five præpostera Veneris, παρθενίας, ἡ ἀκές παρθενίας, poena quidem mors est d. §. 4. Inst. de publ. judic. l. cum vir. 31. Cod. ad l. Jul. d. adult. ubi ἀρτονιγίται exquisitis poenis subjici & gladio puniri jubentur. Sed hic ego admiserim transactionem propter regulam primam nostræ l. à qua adulterium dumtaxat proprias ob causas excipitur. Sed & si propter circumstantias, puta ob vim adhibitam, &c. poena stupri exacerbari & arbitrio judicis ad mortem usque extendi possit, licet quoque hoc casu transactionem dixerim, per ea, quæ supra, atque eo refero l. 1. §. 2. ff. de extraord. criminib.

21. Incestus quoque jure nostro poena capititis non vindicatur. l. si quis. 6. & auth seq. Cod. de incest. nupt. l. si adulterium. 38 ff. ad l. Jul. de adult. Nov. 12. cap. 1. Quamobrem nec de incestu licita transactio, propter regulam secundæ partis hujus rescripti. Quod si incestus cum adulterio conjunctus est, transactioni obstat regulæ primæ partis exceptio. D. Matth. 12.

Sequitur rescripti pars altera. Ajunt Imp. In aliis autem criminibus publicis, quæ

*sanguinis pœnam non ingerunt, transigere non licet, citra falsi accusationem.* De criminibus igitur non capitalibus, id est, quæ ultimo supplicio non puniuntur, sed aut membris mutilatione duntaxat, aut fustigatione, exiliove aut publicatione bonorum, transigere non licet. Ratio est, quia in his nulla tanta occurrit miserationis ratio, ut à tenore juris legumque severitate visum fuerit descendam esse. Tantum de vita sua periclitantibus & sanguinem suum qualicunque pacto redimentibus ignoscendum putaverunt legum conditores. *d. l. i. ff. de bon. eor. qui ant. sent. l. ult. ff. de prævar.*

22. Huic autem secundæ scripti regulæ objicitur, quod ab Ulpiano *l. i. §. 3. ff. de calunnia.* traditum est, si quis pecuniam dederit adversario suo ( intellige sive in publicis, sive in privatis causis, ut *d. l. i. §. 1. & pr. d. §. 3.*) transigendi animo, cessare eas constitutiones, quæ ex hac causa item perire jacent; & additur pro ratione, quia non sit interdictum transactionibus, sed solidis concussionibus. D. Pacius putat solutionem hujus objectionis esse facilem, nempe textum istum accipendum esse in terminis habilibus, cum transigitur de crimen capitali, juxta distinctionem hujus *l. transigere.* quod & vir clarissimus Petrus Cœneus Collega quondam meus probabat. Sed quid si potius textum hunc juvemus distinctione, quæ non est in ipso textu, dicamusque eum locum accipendum esse de eo actore, qui criminaliter agere proposuerat, cum & civiliter agere posset: huic enim in casu nondum copti judicii nihil obstat e videtur, quominus pecunia accepta accusationem nondum institutam remittat: quippe quem confilium mutasse, & pro eo, quod civili judicio consequi potuisset, seu pro damno sibi dato, pecuniam accepisse credendum sit, & ita non pugnabit *l. ult. ff. de prævar.*

23. De pactione nihil exprimitur postiore regula: An igitur pactio hic licita? Non puto, sed quod in priore parte expressum est, in sequenti ex sententia & mente legislatorum repetendum, arg. *l. Titia. 134. §. 1. ff. de verb. oblig. & fac. l. i. §. si quis. 7. ff. ad SC. Turp. & pass. eod.* Proinde non minus pactio, quam transactio hic illicita: idque verum est sive ante item contestatam, sive post eam interposita sit.

24. Et quidem si post item contestatam interposita sit sive transactio sive pactio, actor incidit in pœnam SC. Turpiliiani, tot. tit. ff. & C. ad SC. Turp. nec petere potest quod transactiois causa ei promissum est. *l. siquidem. 9. C. de contrah. stipul.*

Quod vero repetere accusationem adversus eundem non potest, non ex eo est, quod valet transactio: sed quia se indignum accusatione fecit. *l. 2. l. 6. pr. ff. ad SC. Turp. l. 5. ff. de prævar. l. abolitionem. 16. C. ad leg. Jul. de adult.* Reus autem post judicium coemptum transigens habetur pro confessio & convicto, *l. 4. l. ejus qui. 29. ff. de jur. fisc. l. ult. ff. de prævar.* & multatur etiam pecunia fisco inferenda. *l. Imperatores. 34. ff. de jur. fisc.* Cæterum hoc ita si pretio pactus sit, ut dixi, post judicium jam inchoatum: nam ea transactio habetur pro confessione facta in judicio. At si ante coemptum judicium facta sit transactio, est quidem & ipsa invalida in crimen non capitali, sed non inducit certain confessionem.

25. Porro etsi transactio pendente judicio facta habeatur pro rei confessione, quæ fictio est: non tamen hinc sequitur altera fictio, nempe ut reus ita per fictionem pro confessio habitus, simul etiam ante sententiam habeatur pro judicato & condemnato: nam ita fictio geminaretur, quod fieri non potest. Vere confessus in jure haberetur pro judicato. *l. post rem. 56. ff. de re jud.* sed ibi una tantum fictio est. Et quoniam, ut diximus, reus transigens de crimen non capitali post institutum judicium pro confessio tantum, non etiam pro judicato habetur, inde est quod judex in *l. 2. C. de abolit.* jubetur adhuc in crimen inquirere & sententiam ferre: eodemque pertinet, quod Ulpianus in *l. ejus. 19. ff. de jur. fisc.* ait, oportere prius constare, & de crimen pronunciare, & alioqui si poena adjecta sit confiscatio, reusque ante sententiam morriatur, confiscationi non erit locus. *d. l. ejus. de jur. fisc.* Neque obstat. *l. Cajus Sejur. 22. ff. ad SC. Silan.* nam cum admissum tale est, cuius causa tantum pecuniaria sit, seu in quo quæstio principalis de pecunia moveatur, ejus cognitio morte rei postulati & pro confessio habiti non extinguitur: imo de novo causam deferre licet. *l. ult. ad leg. Jul. pecul.*

26. Quid in pactione gratuita? hæc quidem non efficit, ut reus pro confessio habeatur, licet post item contestatam pactus sit. *l. 4. ff. de jur. fisc.* utique tamen pactio invalida est, quia accusator, si nondum destitit, potest porro accusare: si autem destitit, in pœnam incidit SC. *l. i. §. si quis. 7. l. 16. ff. ad C. Turp.*

27. Invalida quoque est in crimen non capitali transactio & pactio facta ante item contestatam. Nam etsi hic accusator omissa accusatione ex causa transactionis non incidit in pœnam SC. quoniam videri

non potest defirisse, qui non accusavit. *I. 5. ff. ad SC. Turpill.* tamen id quod transactionis causa ei promissum est, non potest petere. *I. si quidem. 9. C. de contr. stip.* atque ita hæc transactio non prodest accusatori. Sed nec reo prodest: nam accusator non obstante transactione poterit accusationem inchoare, remque in judicium deducere, neque ei ulla obstat exceptio. Idemque est, si accusatur ante judicium coemptum pactus sit gratis, ne accuseret: neque enim postea accusanti obstat poterit pacti invalidi exceptio: siquidem accusatione demum coepita id observatur, ut qui ab instituta accusatione desistit ex causa transactionis aut pacti, postea non admittatur ad repetendam accusationem, & præterea incidat in poenam SC. *I. 1. pr. & §. 7. ff. I. 2. I. 6. C. ad SC. Turpill.* Illud certum est, sicut is, qui ante institutam accusationem transagit aut pactus est, potest nihilominus accusationem inchoare, si velit; ita posse eundem etiam eam omittere, si accusare nolit. *arg. tit. C. ut nem. invit. ag. vel accus.*

28. Singulare est in crimen adulterii, quod maritus vel pater si negaverint se accusatores, non possunt postea accusationem instituere, & extranei tunc admittuntur. *I. si maritus. 15. §. si negaverint. 5. ff. ad leg. Jul. de adult.* Ratio est, quia extranei non admittuntur, si velit accusare pater aut maritus. *I. 4. §. extraneis. ff. eod.* Quod si illi expresse negaverint se accusatores, jam jus extraneis nascitur, quod iis auferri non debet. Quod si maritus non negaverit accusatum, sed facto ipso non occupaverit accusationem, hoc casu extraneus eum præveniens nihil ipsi præjudicat. *d. I. 4. §. si ante.*

29. Ajunt Impp. In aliis publicis criminibus. An igitur de privatis criminibus, quæ sanguinis poenam non continent, licita transactio? Nequaquam. Ceterum adhibenda hic est distinctio: nam de privatis delictis & civiliter agi potest, & criminaliter. *I. ult. ff. de injur.* Cum civiliter agitur, licita est in hujusmodi delictis pactio & transactio, obstatque actori nihilominus agere volenti pacti aut transactionis exceptio. *I. si pro fure. 7. pr. ff. de condit. furt. I. interdum. 56. §. qui tutelam. ff. de furt. I. post decisionem. 13. C. eod.* At enim si pretio quis pactus sit, id est, transigerit, obstat quidem & hic actori transactionis exceptio: ceterum pacientem pecunia data, seu confessum sequetur infamia. *I. 4. §. ult. I. 5. I. 6. §. 3. ff. de his qui not. infam.* Cum autem criminaliter de furto puta aut stellionatu, aut aliis hujusmodi

*Vinn. Tract. Varii.*

privatis delictis agitur juxta d. *I. ult. ff. de furt. & I. ult. ff. de injur.* non est admissa transactio: sed reus hic etiam pro confesso habetur. *I. ult. ff. de prævar.* & accusator, licet non incidat in poenam SC. Turpilliani, officio tamen judicis coercetur. *I. si quis. 7. §. 1. ff. ad SC. Turpill.* Itaque quod Imperatores ajunt, in publicis criminibus poenam sanguinis non ingerentibus transactio esse illicitam, id non ideo ab iis dici intelligendum est, quia de privatis transactione sit licita, sed quia non semper illicita, non tunc cum de his agitur civiliter: ita ferme post Accurs. Bart. Jaf. Alciatum, &c. Fachinæus lib. 1. *controv. 9.*

Supereft clausula rescripti ultima. Ajunt Impp. *transfigere non licet citra falsi accusationem.*

30. His verbis veteres interpretes à secunda rescripti regula excipi putant crimen falsi, ut hic sit sensus, de criminibus, quæ sanguinis poenam non ingerunt, prater falsi accusationem aut excepta falsi accusatione, transfigere non licet: ut quemadmodum de prima regula excipitur adulterium, sic de secunda excipiatur crimen falsi: & ita quoque Graci hanc clausulam acceperunt: sic enim illi βασιλεύ. II. secundam rescripti regulam reddunt; ἡ δὲ τοῦ Ιωάννη τὸν πρωτότοκον, εἰς τὸν πρῶτον ἀποστόλον Ἰωάννην, τοῦτος οὐδὲ προσέταξεν αὐτῷ, ἀλλὰ τὸν πρῶτον ἀποστόλον, atque hanc sententiam etiam neotericorum plurimi secuti sunt. Cujac. 6. obs. 11. Borcholt. c. 3. de transact. n. 92. & seqq. Fachin. 1. contr. 6. Perez. C. de transact. num. 12. Delrio ad I. transfigere. num. 141. & seqq. Pac. num. 47. & seqq. Matth. num. 18. Mornac. ad fin. Rationem exceptionis primam hanc esse putant, quod crimen falsi plerumque ad privatum commodum spectet: ac propterea transfigentem non videri crimen esse confessum, sed rei sua consuluisse. Deinde quod olim regulariter de falso potuerit transfigi, utpote crimine tunc temporis capitali & poena mortis ingerente: sicut & hodie interdum ultimo suppicio plectatur. *I. 1. I. 5. I. ubi falsi. 22. C. ad leg. Corn. de falsi.* ac proinde arbitrium esse falsi judicium: quæ fortasse vera ratio sit, cur super falsi crimen transfigere liceat, quippe in arbitriis, quoties etiam ad mortis poenam progredi judex potest, transactionem non esse prohibitam arg. regulæ primæ hujus I. transfigere. Afferunt denique & textus, quibus hæc sententia adstrui videtur. *I. ipse. 7. I. de his. 16. I. pen. I. ult. C. d. tit. I. pen. C. hoc tit. I. 2. de his quæ ut indign.*

31. Ego tamen cum Donell. in d. l. transfigere. n. 14. & seqq. Klock. p. 4. per tot. Alciat. sub fin. Ant. Fab. 2. conject. 20. Bachov. ad h. tit. n. 15. Tulden. ad C. ad SC. Turp. n. 9. contendō, neque hoc usquam prodicūt esse, neque constitui posse, nisi vaide absurdē. Nam aut gravius ceteris crimen falsi esse volumus, aut par, aut levius. Si gravius, tanto magis coercendum: quanquam sunt alia graviora. Si par, cur distinguimus, quā eadem ratio conjungit? Levius autem dicere non licet. Fieri enim potest, ut testes falsum dixerint adversariū aliquem in causa capitī, ut innocentem opprimerent; aut ut probatum sit instrumentum falsum in causa, in qua de omnibus fortūnis agebatur. Atque ut agatur tantum de re pecuniaria; non ideo tamen de eo transtigere permittendum. Quam multa enim sunt alia crima de re pecuniaria, de quibus tamen transfigere non licet. Est igitur absurdum, cum par aut etiam major sit ratio in falso, quam in ceteris, plus quam in ceteris, licere in falso. Antequam quæstionem ipsam plenius excuriam, dico citra in hoc rescripto positum esse pro fine; quasi Imperatores scripsissent, sine falsi accusatione, vel nisi falsi accusationem subire velit accusator: ut non aliis horum verborum citra falsi accusationem sensus sit, quam quod accusator transfigens de crimine non capitali incidat in accusationem falsi constitutam SC. Turpiliā.

32. Etenim verbi *citra* duplex tantum est significatio, interdum idem significat, quod ab hac parte, *citra* in *l. 2.* cuius contrarium est *ultra*. Horat. *Quas ultra citraque nequit confidere rectum* aliquando idem, quod *fine* sive *absque* *l. 2.* nec tunc verbum est ambiguum quod interdum vim excipiendi habeat, sed rem unam duntaxat significat, idemque perpetuo valet, quod *fine*: nesciā autem apud ullum idoneum scriptorem pro *præter* accipitur. Sueton. in *Cæs.* *citra senatus populique auctoritatem*. Quintil. lib. 1. *citra musicen grammaticē perfecta non est*. Papinianus *l. ult. ff. de publ. judic.* *citra periculum*. Idem *l. 1. §. 1. ff. de pign.* *citra conventionem*. Idem *l. ult. ff. de indiem add.* *citra delegationem*. Ulpianus *l. ut sit. 31. ff. pro soc.* *citra societatem*. Idem *l. observare. 6. ff. de curat. furios.* *citra cause cognitionem* Idem *l. 1. §. si quis. 7. ff. ad SC. Turpili.* *citra abolitionem*. Idem passim *l. 8. ff. hoc tit.* *citra auctoritatem*, *citra cognitionem prætoris*, *citra prætorem*. lib. 3. Cod. de *usur.* *citra vinculum stipulacionis*. *l. 1. C. de jure fisc.* *citra fraudem creditorum*.

33. Apud auctores quoque hujus rescripti *citra* semper pro *fine*, numquam pro *præter*. vid. *l. cum super 10. l. nullo. 24. C. de rei vind.* *l. nec filius. 7. C. de reb. cred.* *l. si ex pretio. 6. C. si cert. pet.* *l. si pretium. 19. C. de procur.* *l. cum citra. 15. C. de iur. dor.* *l. pen.* *C. de pign.* *l. 2. C. sent. resc.* non poss. &c. Quis autem credit, eosdem, qui tot locis de pluribus aliis, quos congesit Klock, *citra* constanter usi sunt pro *fine*, uno in loco pro *præter* & exceptive usurpare? Sane in *l. un.* §. *accedit. 13. C. de rei uxor.* act. vers. *extraneum*, vox *citra* pro *præter* accipitur, sed ista lex Justiniani est, & compositione Tribonianī, quos nemo dixerit bonos esse Latinitatis auctores, nisi qui lingua Latīna plane sit rudis, ut ipse Tribonianus fuit.

34. Tempore autem Diocletiani sua adhuc contabat Latīna lingua puritas, ut appareat ex omnibus ejus rescriptis. Quod vero Papinianum etiam eadem voce pro *præter* & exceptive uti ajunt in *l. ult. ff. de calunnia*, id ex eo loco minime evincitur. Imo si quis attendere velit, *citra* *pretii estimationem* illuc nihil aliud valet, quam *fine* *pretii estimatione*. Sunt enim Papinianus dominum servi in casu ibi proposito sic agere de calunnia accusatoris, ut agat de calunnia solum, id est, separato judicio de calunnia, ut simul non agat de *damno* & *pretii* servi *estimatione*; idque sequentia verbaclare ostendunt: subiicit enim de calunnia agi *citra* hanc *estimationem*, id est, *fine* *hac estimatione*, quia separatum sit calunnia crimen à *damno*, sive quia de calunnia crimen separatim & *fine* *damni* *questione* agi potest. Si *citra* pro *præter* hic accipias, hic erit sensus, posse agi cum isto accusatore de utroque simul & de calunnia & de *damno*: quod adveratur sententia Papiniani, qui ait separata esse judicia calunnia & *estimationis*: aut si pro exceptione accipias, excipiet Papinianus de criminis calunnia *estimationem* servi, quod esset hominis non intelligentis, quid sit exceptio. Ceterum et si *citra* pro *præter* Papinianum dixisse ponamus, eumque ita scripsisse: Sed & *præter* *pretii estimationem*, queritur de calunnia ejus: tamen id nihil eos juvare poterit, qui contendunt *citra* aliquando denotare exceptionem.

35. Nam nec *præter* semper est exceptio-  
nis nota. Si dicam, *Multa sunt præter*  
*hæc*, *qua objici merito potuissent*: aut ut  
Plinius. lib. 10. nat. hist. *præter hominem*  
*sonniare equos, boves, canes, pecora, cat-*

*præs palam est*: nemo, cui sana mens est, dixerit verbo *præter* hic excipi quæ objecta sunt, aut hominem. Sic et si Papinianus ita scripsisset; *præter estimationem pretii ejus*, quo servus ob quæstionem deterior factus est, & de calumnia accusatoris queri potest: nemo nisi fungus, dixerit Papinianum hic excipere estimationem servi.

36. Postremo, quod apprime notandum est, his verbis rescripti; *In aliis autem publicis criminibus, quæ sanguinis poenam non ingerunt*, non statim, & immediate sub-jungitur, *citra falsi accusationem*; sed eam clausulam antecedit, *transfigere non licet*; ita ut postrema illa clausula sanctionem continere omnino sit verisimile.

37. Sed omisis rescriptis verbis, Græcorumque auctoritate in quæstione de usu verbi Latini faciliere iusta, videamus de jure: & primum an sufficiens sit illa exceptionis ratio, quæ vulgo afferri solet, nempe quod licet crimen falsi publicum sit, plerumque tamen pertineat ad causam & utilitatem privatorum. Mihi sane non videtur: sunt enim & alia hujusmodi, ut crimen violentie: sed nec super privatis delictis, si criminaliter agatur, transfigere licet, ut supra probatum est. Denique si hæc ratio valerer, non simpliciter excipi crimen falsi debuisset, sed tunc solum, cum privatum commodum respicit.

38. Quod affertur pro ratione secunda, olim hoc crimen regulariter poenam mortis habuisse, falsum esse appetet ex *I. i. in fin. l. ult. ff. ad leg. Cor. de falsi. Paul. 5. sent. 25. §. item lex. 7. Inst. de publ. judic.* unde discimus poenam falsi ex lege Cornelii fuisse deportationem. Quamvis autem ex circumstantiæ & pro gravitate criminis hæc poena exasperari queat, adeo ut etiam ad poenam mortis procedere judex possit, *I. i. l. 5. l. ubi falsi. 22. C. ad leg. Corn. de falsi.* tamen id non solum in falsi crimen, quod per se capitale non est, obtinet, sed in aliis quoque criminibus, quorum poena ordinaria ex circumstantiæ aggravari potest. Nam ubicumque circumstantiæ delictum aggravare possunt, & mortis poena dignum efficere, ibi etiam mortis poena irrogari potest: quoniam poenæ & culpa inter se debet esse proporcio: & sic eadem ratione plura alia crimina per se non capitallia excipi deberent. Concedamus autem, quando tales sunt delicti circumstantiæ, ut constet posse reo ob falsum commissum poenam irrogari capit, atque hoc casu etiam permittam super falso transactionem, arg. *I. i. ff. de bon. eor. qui ant. sent.* At hoc posito jam crimen falsi in tali casu non ex-

cipimus de regula *I. transfigere secunda*, sed ad primam referimus. Denique extra hunc causum sub regula secunda contineri profitemur.

39. Loci, qui ad adstruendam contrariam sententiam afferuntur, nihil minus probant, quam quod de accusatione falsi transfigere liceat. In *I. ipse significas. 7. C. ad leg. Corn. de falsi.* scriptum quidem est, eum, qui de instrumento, quod falsum esse dicebatur, transfigit, non esse audiendum, si id, cui semel acquievit, tanquam falsum velit accusare. Ceterum de falso instrumento illic transactum proponitur, nimurum in causa pecuniaria, cum forte creditor peteat centum, & in eam rem proferret instrumentum, quod in dubium vocabatur à reo: id reus postea, ajunt Imperatores, tanquam falsum accusare non potest. De falso igitur instrumento illic transactum est, non de falsi crimen seu accusatione, quæ instituta non fuit. In privata lite de falso transfigere licet, neque hoc dicimus nostra *I. transfigere*, prohiberi. Eademque responsio aptanda *I. pen. C. hoc tit. in fin.* ubi dicitur controversiam de instrumento, quod falsum dicebatur, ortam transactione decidi posse. Sed & ceteris locis, quibus super falso transactum esse legimus, non de falsi crimen transactum esse intelligere debemus, sed de causa falsi in lite privata & judicio civili. In quo reprehendendi sunt, qui scribunt se non intelligere, quid sit de crimen falsi transfigere, si aliud sit, quam de falso instrumento transfigere. Longe enim differunt transfigere de falso instrumento prolati forte in causa civili, & transfigere de crimen falsi sive falsi accusatione instituta judicio publico aut criminali: aut si hæc non differunt, ego plane non intelligo, quid illud sit, quod Imperatores rescribunt *I. de fide. 16. C. ad leg. Corn. de falsi.* ei, qui de fide instrumenti querat, duplice litigandi viam tributam esse, per accusationem, & per privatam dilceptionem; quod & pluribus aliis locis proditum. *I. 5. l. si docueris. 9. l. si lis. 11. l. sicut falsi. 17. I. pen. & l. ult. C. eod. tit.*

40. Quod si quis jam querat, si verba illa, *citra falsi accusationem*, sic accipientur; non licere de criminibus non sanguinariis transfigere, quin parata sit adversus eum, qui transfigit, falsi accusatio, quodnam hic falsum committatur, quod vindicetur lege Cornelii: Respondemus nos non dicere tale quicquam hic committi, quod incidat in legem Corneliam de falsi: sed quod incidat in accusationem falsi, qua constituta est in eos, qui ex conventione item & accusationem deserunt: & nimurum accusato-

ris item ex pactione aut transactione defensantis hanc esse poenam, ut incidat in SC. Turpilianum. l. 1. §. accusationem. 10. vers. at quin Papinianus. l. 6. l. in senatusconsultum. 15. ff. eod. Nullus enim dubitat, quin rescriptum hoc directum sit ad accusatorem, & postremis rescripti verbis sanciantur poena in litis desertorem. Reus autem transigens, ut supra demonstratum est, pro confesso hic habetur. Quod ergo genus falsi est, quod SC. coercetur? Prævaricatio & tergiversatio. Prævaricari est colludere cum adversario, genus falsi in eo manifestum, quod qui prævaricatur, veras probationes falso dissimulat, falsas adversariorum admittit. l. 1. §. 1. & 6. ff. d. tit. Tergiversari est ab accusatione desistere d. §. 1. quod qui facit, haud secus ac prævaricator vera crimina abscondit, quanquam fuga & silentio, non ut prævaricator simulara accusatione, facit hoc l. de criminis. 10. C. ad leg. Jul. de adulterio.

41. Franciscus Hotomannus, vir magnus sane & bene præclareque de Jurisprudentia meritus, transpositione verborum totam nostræ hujus l. transigere, sententiam invertit murayitque, ac converso plane modo Imperatores rescripsisse autumat, de crimini bus non capitalibus transigere licere præterquam de adulterio: ceterum de crimini bus poenam sanguinis ingerentibus transigere nefas esse, ac proinde textum l. transigere, ita concipiendum esse; Transigere vel pacisci de crimen non capitali, excepto adulterio, prohibitum non est. In aliis autem publicis criminibus, que sanguinis poenam ingerunt, transigere non licet citra falsi accusationem. Ita Hotomannus lib. quest. illustr. c. 23, ubi septem fere argumenta primæ hujus legis definitioni objicit, quibus inductus hanc metathesin excogitavit. Sed profecto non tantum contra fidem omnium exemplarium, & constantem Græcorum interpretum versionem lib. 11. βέντα. tit. οὐδὲ πλεύσας. ubi ait, εἰς τὸ διάγνωσθαι τὸ πνεύμα τοῦ μηδεμίου ἐπιφέρει τὸ πλεύσας. Haimenop. lib. 1. tit. 10. εἰς τὸ διάγνωσθαι τὸ πνεύμα τοῦ μηδεμίου πλεύσας. verum etiam contra tot locorum, quæ supra memoravimus consonantem concordemque sententiam. Argumentis Hotomanni facile ex iis, quæ jam disputata sunt, occurri poterit: singula enim repetere, ac denuo configurare nec luet nec vacat.

42. Hodie dispositio l. transigere, 18. celsat fere. & inutilis est, cum non cuivis è populo, sed procuratori fisci, aut Schultetis, Balivisve locorum persecutio criminum competat. Atque hi quidem si in accusatione succumbant, aut crimen non probent, non incident in poenam talionis: ac tametsi de-

fistant ab accusatione sine abolitione, non tamen in his locum habet tit. ff. & Cod. ad SC. Turpill. nec tit. Cod. de abolit. Ceterum nec inconsulto Princeps, cujus vicem apud nos hac in parte Camera rationalis gerit, Merul. prax. civ. 4. tit. 14. cap. 2. & 6. de ullo crimen transigere cum reo possunt: quoniam impunita manerent crimina nullo alio accusante. Quam ob causam nihil hic restat quam ut Princeps crimen condonet: id autem non fit, nisi prius placatis amicis. Vid. Gomel. 3. var. resol. 3. num. 56. & seqq. Clar. lib. 5. §. fin. quest. 58. Christ. vol. 1. decif. 152. Tulden. ad Cod. tit. de transact. num. 6. Matth. de crim. ad lib. 48. ff. tit. 20. c. 4. Groeneyv. de ll. abrog. ad l. transigere..

## C A P U T V I I I

De vi &amp; effectu transactionis.

## S U M M A R I U M.

1. *Transactio non aliis nocet, aut prodest, quam qui eam interposuerunt.*
2. *Casus speciales, quibus transactio ab aliis facta aliis prodest, aut nocet.*
3. *Transactio non retractatur.*
4. *Cur exceptions rei judicatae, jurisjurandi, transactionis, dicantur exceptiones litis finita.*
5. *Non retractatur transactio, etiam si facta sit de causa, ex qua transigens non erat obligatus.*
6. *Quid si nova instrumenta reperta sint:*
7. *Mutuo consensu transactio dissolvi potest.*
8. *Unius poenitentiæ non potest.*
9. *Quando facta cum minore 25. annis rescindi posse.*
10. *Rescindi potest, quæ ex falsis instrumentis interposita.*
11. *An beneficio l. 2. C. de resc. vend. ini transactio locus.*
12. *Explicatur l. si superstite. §. C. de dolo.*
13. *Dubii eventus certa estimatio constitui non potest.*
14. *Rescindi potest transactio dolo malo facta, & quæ hic juris remedia.*
15. *Juratæ transactionis non servatae quæ poena: & an id pertineat etiam ad jure invalidas juramento firmatas.*
16. *Quæ sit vis ac potest clausulæ generalis subjetta transactioni de aliqua controversia factæ.*
17. *Emendatur vitiosa lectio in l. 5. ff. h. t.*
18. *Tollitur vitium in l. 14. §. 7. ff. de religios.*

29. Explicatur §. ult. l. 122. ff. de verb. obligat.

30. Quando generalis clausula subjelta transactioni generalem recipiat interpretationem.

**S**UPEREST, ut videamus, quæ transactionis vis ac potestas. Et quidem illud in primis pro explorato habendum, transactionem iis dumtaxat nocere aut prodere, à quibus interposita est, alii nequam. v. c. Duo rei promittendi pepigerunt, aut transferunt, inter se, ut unus totam summam persolvat: creditor nihilominus cum altero experiri potest, l. debitorum. 25. C. de pæt. Qui tres habuerat tutores aut curatores, cum duobus transexit, transaction cum duobus illis facta tertio ad exceptionem non prodest. l. 1. C. hoc tit. atque hoc generaliter locum habet in pactionibus omnibus. l. si unus. 27. §. ff. de pæt. l. 2. Cod. res int. al. act. l. quo tutela. 73. §. ult. de reg. jur. l. 3. pr. ff. hoc tit. ubi Imperatores Antonius & Verus rescriptisse dicuntur, privatis pactionibus jus aliorum non laedi extradubitationem positum esse. Ajunt pactionibus privatis, quia publicæ plerumque aliis & prosunt & nocent, cum quibus tamen factæ non sunt.

2. Occurrunt quidem & in privatis pactionibus casus, quibus transaction ab aliis facta aliis aut prodest aut nocet, sed non nisi ubi manifesta id suaderet æquitas aut utilitas; veluti in l. ult. ff. eod. ubi debitori adversus emptorem hereditatis accommodatur exceptio transacti cum herede eoque venditore negotii, ne sc. justa ignorantia debitori noceat. fac. l. 3. C. de novat. Item in l. controversia. 14. ff. eod. ubi hereditate interscriptum & legitimum heredem per transactionem divisa, creditores hereditarii, quamvis cum iis transactum non sit, utrumque propidis partibus convenire debent: sed hoc utilitatis causa propter incertitudinem successoris receptum dicitur.

3. Caterum transactio inter ipsos transigentes eandem vim habet, quam res judicata. l. non minorem. 20. Cod. eod. Et propterea causa transactione decisæ & finita non magis, quam sententia lib. 1. Cod. sent. resc. non poss. retractatur, nec aliqui nullus sit litium finis. l. fratris. 10. Cod. eod. Paria habemus apud Demosthenem in exceptione contra Pantænetum, & pro Phormione. item apud Symmachum lib. 7. epist. 108. & seq. Atque hoc adeo verum est, ut nec rescripto Principis cause transactione terminare resuscitentur, l. causas. 15. Cod. hoc tit. sicut nec res judicatae, l. ult.

Cod. sent. resc. non poss. nec jurejurando decisæ. l. admonendi. 31. ff. de jurejur. l. 1. Cod. de reb. cred.

4. Unde tres hæc exceptiones transactionis, rei judicatae & jurisjurandi, appellantur exceptiones litis finitæ. cap. 1. & 2. X. de lit. contest. nimur quia impediunt litis ipsius ingressum, id est, quia repellitur actor agere volens post transactionem factam, item jurejurando aut sententia judicis decisam per finem non recipiendi, ut in foro loquuntur pragmatici: cum aliæ exceptiones, quamvis peremptoriae sint, veluti dolimali, pacti conventi, litis ingressum non impediant.

5. In tantum autem transactione lis finitur, ut etiam si transactione facta sit de causa, ex qua is, qui transexit, non erat obligatus, tamen non audiatur allegans causam transigendi nullam fuisse. l. nec intentio. 23. C. hoc tit. sera quippe illa post transactionem allegatio est. Quinimo qui transactionis nomine promisit aut solvit, non recte dici potest sine causa promisisse aut solvisse, quia hoc ipsum ut à lite discedatur satis justa causa videtur. l. in summa. 65. §. 1. ff. de cond. indeb. atque hoc etiam pertinet. l. si non. 6. C. de jur. & fact. ign.

6. Quid si nova instrumenta postea reperta sint, quibus adversarius ostendere possit se non fuisse obligatum, ejusque rei judicis fidem facere? Ne hoc quidem prætextu transactionem bona fide factam magis quam remjudicatam lib. 4. Cod. de re jud. rescindi jura nostra patiuntur. l. sub prætextu. 19. & 20. Cod. hoc tit. quamquam initam ex falsis instrumentis retractari jubent. l. penult. Cod. eod. sed hoc etiam obtinet in re judicata. titul. Cod. si ex fals. instrument. jud. sit.

7. Quamvis autem verum sit, quod dimicimus causam transactione decisam retractari non posse, non est tamen usque adeo perpetuum, ut nullam habeat exceptionem. Neque enim dubitandum est, quin mutuo utriusque transigentis consensu dissolvi transactione possit. l. si diversa. 14. Cod. hoc tit. l. nihil. 35. ff. de reg. jur. atque hoc procedit non modo re adhuc integra, verum etiam re secuta, & reddita: quoniam partium consensu vis omnis transactioni abrogata est. d. l. si diversa. fac. l. ab emptione. 58. ff. de pæt.

8. Unius autem poenitentia rescindi non potest, nec si res adhuc integra sit. l. si major. 36. l. quamvis. 39. Cod. hoc tit. Nam et si reus quæ transactionis causa placita sunt, præstare recusat; tamen si aliqua actio ex conventione nata sit actori, qua quod pro-

missum est, persequi possit, ea experiri debet, item decisam nihilo magis instaurare potest. *I. si pro fundo* 33. *C. eod.* Idemque est, si reo promissa transactionis causa non implente, poena in stipulationem deducta sit. *I. promissis.* 37. *C. eod.* Quod si nulla eo nomine actori sit actio, poterit quidem ille jam veterem actionem instaurare. *I. si instituta* 27. *ff. de inof. testament.* *I. sive apud.* 28. *Cod. hoc tit.* *I. cum proponas.* 21. *Cod. de pass.* Ceterum qua non absolute consequatur, quod ea actione perit, sed alterutrum, vel quod petit, vel quod reus transactionis causa promisit, d. *I. sive apud. Cod. hoc tit.* bene & plene Donell. *in d. I. si major.* 36. *eod.*

9. Præterea rescinditur transactio facta cum minore viginti quinque annis. *I. non minorem.* 20. *in fin.* *I. si maiores.* 25. *I. si major.* 36. *Cod. hoc tit.* à contrario sensu. Sed non aliter, quam si hæc tria à minore doceantur. 1. se minorem 25. annis esse. 2. se læsum aut captum. 3. se imbecillitate consilii & ætatis lubrico in eam captionem incidisse: hoc enim & in aliis causis omnibus obtinet, adversus quas restitucionem postulat. *I. verum.* 11. §. 3. & 4. *I. intra.* 39. *I. de ætate.* 43. *ff. de minor.* 1. 4. *I. 5. C. eod.*

10. Ad hæc & eam transactionem retractari posse placet, qua ex falsis instrumentis interposita est, id est cui falsa instrumenta causam dederunt, cum quis videlicet falsis instrumentis ab adversario prolati, horum metu inductus translegit. *I. pen.* *C. hoc tit.* quippe cum eadem ex causa etiam res judicata rescindatur, ut modo diximus. *I. 1. & pass.* *C. si ex fals. instrum.*

11. Non ignobilis hic occurrit quæstio, an ob enormem læsionem rescindi debeat transactio beneficio *I. 2. C. de refc. vendit.* puta si quis dicat se duplo minus ex causa transactionis accepisse, quam ei debebatur, aut quam in petitione deduxerat. Ego simplificiter id negandum existimo, nec unam ob rationem. Etenim transactio comparata est ad lites finiendas. *I. fratris.* 10. *C. hoc tit.* sicut & jurandum, cui transactio æquiparatur. *I. 1. & I. 2. ff. de jurejur.* Et ideo quemadmodum dato jurejurando non aliud queritur, quam an juratum sit, omisso quæstione, an debeatur, *I. 5. 6. 2. ff. eod. tit.* sic hæc transactione bona fide sumpita nihil amplius querendum quam an transactum sit: ne aliqui remedium finiendarum litium, fiat earumdem seminarium: estque in eam rem textus notabilis in *tit.* 1. x. *hoc tit.* nec aliam rationem habet, quod placuit nec principali quidem rescripto item transactione legitima finitam resuscitari oportere. *I.*

*causas.* 16. *Cod. hoc tit.* Sed nec minorem auctoritatem habet transactio, quam res judicata *I. non minorem.* 20. *Cod. eod.* At res judicata prætextu læsionis non retractatur. *I. 4. C. de re judicat.* Et sicut ex causa judicati solutum non repetitur condicione indebiti, *I. 1. C. de cond. indeb.* ita nec solutum ex causa transactionis, et si debitum non sit, *I. in summa.* 65. §. 1. *ff. eod. tit.* *I. 6. Cod. de jur.* & fact. ignor. Quid quod pecunia, qua transactionis causa solvit, non datur tanquam in præteritum debita; sed ob causam futuram, ut aliquid sequatur. *I. nec intentio.* 23. *Cod. hoc tit.* quod apprime notandum est. Et satis abundeque magna causa est, cur detur, quod à lite disceditur. *d. I. in summa.* §. 1. *ff. de cond. ind.* *I. gagne affez.*, ajunt Galli, qui se met hors de procès. Adhoc nec ob reperta postea instrumenta transactio rescinditur. *I. sub. prætext.* 19. *Cod. hoc tit.* At qua justior causa læsionis, aut qua gravior læsio? Poteſt enim instrumentum ostendere liquidum & integrum jus, quod forte accepta decima parte remissum fit. Scævola in *I. Lucius Titius.* 78. §. ult. *ff. ad SC. Trebell.* casum proponit, quo reperta sunt instrumenta, ex quibus apparuit quadruplo amplius in hæreditate fuisse, quam hæres fiduciarius ex causa fideicommissi restituerat: & tamen negat, si transactio intervenit, amplius fideicommissi nomine peti posse: qui sane locus non potest intelligi de transactio interposita postquam jam instrumenta reperta essent: ut putat Christinæus vol. 3. decif. 67. num. 3. alioqui non transactio ea, sed gratuita pactio & liquidi juris remissio esset: & quid si postea transactum, an ideo minus audiendus, qui causabitur enormem læsionem? adde quod apud Scævolam non illud queritur, an rescindenda sit transactio propter instrumenta postea reperta, ex quibus apparuit quadruplo amplius, quam restitutum erat, in hæreditate fuisse; sed illud tantum, an in reliquum fideicommissi nomine hæres conveniri queat. Unde intelligimus tanto minus transactionem bona fide interpositam prætextu læsionis rescindi oportere, cum ne id quidem Scævola admittat, ut si transactum sit in reliquum fideicommissi nomine hæres conveniat. Etenim palam est transactione rescissa omnia in pristinum statum restitu: secus autem esse, si quis in reliquum dumtaxat conveniri possit.

12. Non movet *I. si superstite.* 5. *Cod. de dol.* ubi filia emancipata qua cum patre super causa gestæ tutelæ bona fide transegerat, ob immodicam læsionem actio in factum adversus patrem datur. Nihil enim minus ex

isto loco colligi potest, quam transactionem bona fide interpositam solo lassionis praetextu posse rescindi. Ajunt. Imp. si filia immodice lassa fuerit ex liberatione quæ transactionem secuta sit novatione & acceptatione solemniter interposita, ei non quidem de dolo propter paternam verecundiam, sed in factum actionem tribuendam esse. Hic igitur locus de alio casu accipi non potest, quam quo immodica illa lassio intervenerit dolo patris, liberatione per fraudem filia expressa, & nimurum, quo si adversus extraneum ageretur, competeret actio de dolo. Dolum legibus vindicari nemo negat: sed illud quoque in confessu est de dolo agi non posse nisi cum eo, in cuius persona dolus arguitur. Nam cum hæc actio sit in personam, non in rem scripta, atque adeo famosa (quam ob causam nec inter extraneos competit, si de ea re alia sit actio, l. 1. §. pen. & ult ff. de dol. mal. nec inter patrem & liberos, etiamsi alia actio non sit, l. non debet. 11. ff. eod. i non aliter dari potest, quam si persona designetur, cujus dolo malo factum sit, l. sed & 15. §. ult. eod. numquam alio colore, aut lassionis quantacumque obtenuit. Nam quod enormissima, ut à pragmaticis vocatur, lassio, V. C. quæ ultra bestiem sit, dolum rei ipsa inducat, paremque cum dolo ex proposito vim habeat, commentum est interpretum in l. si quis. 36. ff. de verb. oblig. vid. Ant. Faber. Cod. suo for. hoc tit. def. 4. & de resp. vend. def. 3. Cur igitur constitutio objecta requirit lassionem immodicam? Respondeo, id non debet interpretationem recipere ex l. 2. C. de resp. vend. quoniam dolus non ex quantitate damni, sed ex qualitate facti estimatur, l. dolus. 10. C. eod. tit. nec unquam esse potest *admodum* l. 1. §. 2. ff. de dol. mal. sed ideo adjectum est, quia si modica tantum lassio interveniret, non facile adverius partem actio in factum subsidaria actionis de dolo datur; sicut nec dari solet actio ipsa de dolo pro modica summa adversus alium quemlibet, l. si quis. 9. §. ult. cum. l. seq. d. tit. ut bene Ant. Faber. dec. 1. err. 7. adde eund. dec. 8. err. 10.

13. Denique ratio cur actori transigenti hoc beneficium concedendum non videatur, sita est in dubio litis eventu. Quid enim? forte illi non debebarur, quod perebat; & dato debitum fuisse, quod perebatur, fortasse tamen probare non poterat, aut propter impensas dubium litis eventum noluit expectare. Quæ autem certa erit rei tam in certa estimatio? Quæ dubia sunt, ea certam estimationem non recipere ait Ulpianus, l. 29. §. 3. ad leg. Aquil. imo vix est, ut ra-

tione comprehendi queat certa dubii litis eventus estimatio: fateor dubium eventum estimari posse l. 23. ff. fam. erc. l. 12. ff. de act. empt. l. 11. de hær. vend. sed nego dubii eventus certam posse constitui estimationem, d. l. 29. §. 3. l. quod deberur. 51. de pecul. ac proinde nec circa lassio dici potest, quæ ex hujusmodi eventus dubii estimatione inducatur: & tamen certam esse lassionem oportet, & quidem contractus tempore præcisè inspesto, ut locus sit l. 2. l. 8. C. de resp. vend. quam ob causam etiam recte defenditur, remedium d. l. 2. locum non habere in venditione hereditatis aut nominis, cum nec evictio hic præstetur. l. 8. §. 1. ff. de cont. empt. l. 2. §. 3. l. 4. l. 11. l. 14. §. 1. ff. de hær. vend. l. si plus. 74. §. ult. ff. de evict. l. 1. §. r. C. eod. In reo transigente non videtur huic questioni locus esse, quippe cum nemo plus dare soleat, quam ab ipso petitur: sed tamen potest locum habere: nam etsi nemo plus solvit, quam petitur, potest tamen dicere se nihil debuisse, & nihilominus ad vitandam litem aliquid dedisse: quo tamen casu cum cesseret conditio indebiti, quæ & ipsa ex humanitate & bono atque æquo introducta est, l. pen. ff. de cond. ind. etiam cessare debet remedium d. lib. 2. Scio Pinellum ad d. lib. 2. pag. 1. cap. 3. num. 5. & bonam cum eo partem interpretum, beneficium d. lib. 2. porrigitur ad quoscumque contractus, etiam stricti juris, ipsamque adeo transactionem: sed sane beneficium contra communes regulas juris in bonæ fidei contractibus ex humanitate concessum, haud temere ad stricti juris judicia producendum est; utique non ad transactionem, quæ ad liberationem & lites sopenidas comparata est; quamvis id quoque faciat idem Pinellus ibid. num. 10. audaci sane interpretatione & multarum litionum semina. continente optime. D. Andr. Gail. 2. obs. 70. Damhoud. Prax. civ. cap. 200. num. 6. & seqq. Ant. Faber. dec. 8. err. 10. Diod. Tudden. ad tit. Cod. de resp. vend. num. 5. add. Christin vol. 1. decif. 288. & vol. 3. decif. 67. & ibi alleg.

14. Poltrimo etiam transactio dolo malo facta rescindi potest. lib. 4. l. sub praetextu. 19. Cod. hoc tit. Non est hic ipso jure nulla, etiamsi dolus causam transactioni deridit: Nam in solis bonæ fidei judiciis hoc receptum est, ut dolus dans causam contractui eum reddat ipso jure nullum. lib. 7. pr. de dol. l. in causa. 16. §. 1. de minor. in strictis judiciis non item l. si quis. 36. de verb. oblig. l. 5. C. de inut. stip. cuius generis constat esse transactionem. Et ideo quod in l. in summa. 65. §. 1. ff. de cond. indeb. di-

citur, ubi evidens calumnia detegitur, transactionem imperfectam esse & repetitionem dari, ad effectum & exitum referri debet, non ad jus summum: hoc enim ipsum, quod repetitio dari dicitur, satis arguit pecuniae ob transactionem datae dominium esse translatum, & summo jure processisse, quod gestum est. Cæterum qui dolo adversarii deceptus est, & circumventus, in hoc, ut transigeret; si quidem actor est, eique adhuc superfit actio, veluti si tantum pactus est se non petiturum, poterit instaurare actionem, reumque excipientem de pacto doli mali replicatione removere. *d. l. sub prætextu.* 19. *C. hoc tit. l. 5. C. de pac*t*.* Si autem vetus actio sublata est, ut sit cum actor reum interposita stipulatione Aquiliana, & secuta acceptilatione liberavit, poterit intra tempus constitutum exercere actionem de dolo *d. l. sub prætextu.* *l. 4. C. eod.* Reus deceptus si nondum præstitit, quod transactionis nomine promisit, habet, si conveniatur, exceptionem doli: si præstiterit, habet ultra conditionem sine causa, qua repeatat datum ob eam causam, quam jure non subesse postea apparuit. *l. 1. ff. de cond. fine caus.* *Don. ad d. l. sub prætextu.* & *l. pen. C. hoc tit.*

15. Jurata transactione non tantum servari jubetur, sed etiam in eum, qui non servat & contra eam venit, poena statuitur, eaque duplex. 1. infamia. 2. ut poenam conventionem solvat, & tamen agere non possit. *l. si quis major.* 41. *C. hoc tit.* Loquitur autem hæc lex nominatim de majore 25. annis, ac proinde ad minorem porrígenda non est, maxime cum sit penalís. *fac. l. fere in omnibus.* 108. *l. factum cuique.* 155. §. 2. *de reg. jur. c. in pénis. x. eod. in 6.* Sed an ita constitutio etiam pertineat ad transactiones ipso jure invalidas, juramento tamen firmatas, quæsitum est. Respondeo tales transactiones jure civili per iurandum non confirmari. *l. si ex falsis.* 42. *C. hoc tit. l. 5. C. de legib.* 1. 7. §. 16. *ff. de pac*t*.* *l. si quis.* 111. §. ult. *de legat.* 1. Iecus autem esse de jure Canonum, per *l. cum contingat.* 28. *x. de jurejur. c. quamvis. de pac*t.* in 6.* Exempli gratia, non valet jure civili transactione de alimentis testamento relictis facta circa cognitionem prætoris, etiamsi jurata sit: jure tamen canonico tamē transactionem jurejurando firmatam valere satis superque credo me ostendisse *sup. c. 5.*

16. Circa effectum transactionis etiam queritur de vi ac potestate generalis clausulae, quæ nonnumquam transactioni de re una, aut etiam pluribus expressim factæ, subjici solet: quia scilicet cayetur, *omnia*

*esse & nicabiliter transacta & terminata, atque nihil amplius ab eo, cum quo agebat, petiturum.* Respondeo, eam hujus generalis clausulae interpretationem faciendam esse, ut non de aliis causis transactum videatur, quam quæ specialiter deductæ fuerunt in præsentem: neque generalem hujusmodi clausulam, quamvis adjectum non sit, *eo nomine*, trahi debere ad controversias, de quibus speciatim dictum aut cogitatum non fuit. *l. qui cum. 9. in fn. ff. h. 1. l. si de verba.* 31. *C. eod.* & ibi post alios pulchre Mornacius. Quod adeo verum est, ut tametsi stipulatio Aquiliana perimat non modo omnes obligationes, *l. 4. ff. eod.* sed etiam actiones in rem; *l. ut responsum.* 15. *Cod. eod.* attamen generalis clausula stipulationis Aquilianæ hujusmodi transactioni subjecta non alias quæstiones perimat, quam de quibus actum & cogitatum fuit. *lib. 5. ff. eod.*

17. Ubi pro eo, quod vulgo legitur, *Liberalitatem enim captiosam interpretatio prudentum fregit.* Grotius in *spars. flor.* post Desiderium Heraldum deponit, *Liberationem enim captiosam interpretatio prudentum fugit.* Et recte: neque enim de donatione agit jurisconsultus, sed de liberatione, quam afferri novatio, quæ sic per Aquilianam stipulationem & præcedentem obligationem permittit, quod & Pet. Faber jam antea animadvertisit in explicatione *l. Divus Pius.* 28. *de reg. jur.* Quidam vir doctus *c. 24. ad jus Afric. legi vult, Liberalitatem enim, &c.* quam vocem apud bonos auctores, certe apud nostros haud temere reperias: & videtur auctor iste parum æquus in Heraldum judex: aut certe aliquid humani passus contradicendi studio.

18. Nam & *c. 25. ubi cum in l. & si quis.* 14. §. *sed interdum. 7. ff. de religios.* Ita scriptum sit, *utrum negotium quis vel defuncti, vel hereditis; vel ipsius humanitatis, &c. eam scripturam mordicus retinendam censem, cum Heraldus pro humanitatis, legendum hereditatis judicasset, quo nec verius restitus ullus locus;* nec menda illa acutius animadversa est: quod & Grotio in *flor. spars. vilum.* Nam humanitas ad sequens & oppositum membrum pertinet; nec aliud est, quam misericordia. Hereditatis autem negotium gerit, qui heredem non novit, atramen ei vult imputare, quod facit. Sed hoc leve est. Rara enim magna ingenia sine istiusmodi nævulis: quibus nec ipse Aristoteles caruit; nec veteres JC. præsertim Labeonis Epitomares, Javolenus & Paulus, ut alibi ostendo.

19. Cæterum quod diximus, etiamsi transactioni

factationi de controversia aliqua factæ subiecta sit clausula, *nihil amplius peti*, non addito *eo nomine*; tamen eam clausulam trahendam non esse ad eas res aut causas, de quibus actum non est, ei obstat videtur locus Scævolæ in *I. qui Romæ. 122. §. ult. de verb. obl.* ubi talis species proponitur: Duo fratres confortes paternam hæreditatem inter se diviserant, transfigendi, ut plerumque fieri solet, causa. *I. tres fratres. 35. ff. de pact.* & caverunt invicem, *nihil se contra eam divisionem facturos*, & si contra quis fecisset, pœnam alter alteri promisit. Errant autem testamento patris invicem rogati, ut qui prior sine liberis vita fungeretur, partem suam fratri superstiti restitueret. Uno igitur ex iis sine liberis defuncto aliis scriptis hæredibus, ab his superstitis frater hæreditatem petuit ex causa fideicommissi. Ait jurisconsultus adversum eum pronunciatum esse, quasi de hoc quoque in divisione transactum fuisset; nempe eum repulsum esse exceptione transactionis, cum tamen, si vera sunt, quæ diximus, divisione illa per se non sit idoneum argumentum remissi fideicommissi. Respondeo, judicem, ut ita pronunciaret, alia argumenta mouere potuerunt: neque enim verisimile est eo solo motu fuisse, quod fratres bona paterna transactione interposita divisissent, sed quia aliunde ei liquebat & satis probatum erat, de fideicommisso quoque fratres interesse transfigisse. Quod si hæc responso, quæ Cujacii est, non placet, dicam perperam illic à judice pronuntiatum fuisse, quod & aliquo modo ipse Scævola innuere videtur. Notum autem rem judicatam pro veritate haberi, eique standum esse, etiam si male judicatum sit: & ob id etiam poena in casu proposito censetur commissa. *d. §. ult. in fin.* & ita judicatum in supremo senatu Hollandiæ decis. 43. & curia Frisiæ. Sande *I. 4. t. 5. defin. 14.*

20. Plane si tam aperta & enixa sint verba generalis clausule, ut dubitari nequeat, quin de quæstionibus omnibus fuerit cogitatum, idque inter transfigentes actum appareat, ne qua litis materia superesset, neu quid relinquatur indecimum, tunc non debet illa generalis clausula coangustari ad rem certam, de qua nominatim etiam actum & transactum sit, & quæ transactioni occasionem causamque dederit: sed generalis decisio generalem quoque recipiet interpretationem, ne qua litis materia inter transfigentes superfit, qui non à lite tantum, verum etiam ab omni litis metu discedere voluerunt; Glossa notabilis in *I. sub prætextu. 29. Cod. hoc tit. Duar. ad hoc tit. cap. 4. in fin.* Mornac. in d. *I. 29.* Idque est, quod veteres quidam dicere solebant, caveant sibi contrahentes à stipulatione Aquiliana. Antonius Faber. *Cod. suo for. hoc tit. defin. 6.* & 12. Illud autem extra omnem controversiam positum est, transactionem generalem factam super petitione generali officere transfigentibus etiam quoad species postea repertas; quæ tempore transactionis latebant, dummodo ad idem genus pertineant. *d. I. sub prætextu. 29. Cod. hoc tit.* & ibi Gloss. & DD. ut idem hic sit effectus transactionis qui & sententia super petitione generali latæ: constat autem sententiam conformem esse debere libello, id est, petitioni & contestationi. *I. ult. Cod. de fideicomif. libert.* & ita cape Mornacium in d. *I. 29* cum ait hujusmodi transactionem etiam ad ea pertinere, de quibus cogitatum non est; quod alloqui falsum est. Numquam enim transactione, quantumvis generalis, trahenda est ad eas res, de quibus inter transfigentes nec actum nec cogitatum est, *tib. 5. I. qui cum tutoribus. 9. paragraph. 1.* & *ultim. ff. hoc titul.* bene & distincte Donell. dict. lib. 29.

# INDEX RERUM ET VERBORUM.

## A

**A**ccusatori demum inchoata accusa-  
tione licita de crimine capitali tran-  
sa<sup>tio</sup>. <sup>154 & seq.</sup>  
Actio alia non datur ex pacto in continentia  
bona fidei contractui apposito , quam ejus  
contractus , cui appositum. 39. Nisi tendat  
ad dissolutionem contractus. <sup>40</sup>  
Actio quæ præscriptis verbis & nomine & re  
incerta est , an concurrat cum actione nomi-  
nata. <sup>39</sup>  
Actu plus est in specie , quam in genere. <sup>2</sup>  
Actus agentium non operantur ultra eo-  
rum intentionem. <sup>54</sup>  
Actio confessoria aut negatoria an compe-  
tit pro tuenda jurisdictione. <sup>98</sup>  
Actio ex maleficio orta an admittat trans-  
factionem , cum civiliter agitur. <sup>143</sup>  
Actiones hereditariae post collationem de-  
mum cum effectu exerceri possunt. <sup>130</sup>  
Actiones omnes tam in rem , quam in  
personam transactionem admittunt ; etiam  
præjudiciales. <sup>142</sup>  
Actus jurisdictionis & mixti imperii pla-  
ne diversi. <sup>83</sup>  
Additio in diem & lex commissoria vi-  
dentur pacta legitima. <sup>10</sup>  
Adminicula contractus. <sup>31</sup>  
Administratio negotiorum puberis etiam ad  
res contrahendas pertinet. <sup>51</sup>  
Estimatoria actio an nominata. <sup>22</sup>  
Adventitia jure novissimo in collationem  
non veniunt. <sup>113 & seq.</sup>  
Adoptio , manumissio , emancipatio apud  
eum , cui mandata est jurisdictione , exerceri  
non potuerunt. 87. Nec potuerunt apud le-  
gatum proconsulis. <sup>ibid.</sup>  
Adulterium an tempore Diocletiani capi-  
tale fuerit , obiter. Cur de eo transfigere ve-  
titum quamvis capitale factum. <sup>158</sup>  
Alienandi jus qui non habet , nec obli-  
gandi habet , & contra. <sup>51</sup>  
Alienationis prohibitio conventionalis &  
testamentaria. <sup>34</sup>  
Alimentarii transactio sine prætore facta ,  
sed juramento firmata an valeat. <sup>151</sup>  
Alimentis homini locupleti relictis an trans-  
actio citra prætoris cognitionem valeat. <sup>149</sup>  
Alimentorum appellatione quid conti-  
nearur. <sup>148</sup>  
Alimentorum causa non semper relictum in-

telligitur , quod in annos singulos relinquitur. <sup>149</sup>

**A**ut<sup>m</sup>isia. <sup>6</sup>

**A**ut<sup>p</sup>ri<sup>m</sup>a. <sup>8</sup>

Argentariis usuræ debentur ex nudo pacto. <sup>10</sup>

Argumentatio à conventione nominata ad  
innominata non procedit. <sup>27</sup>

Argumentum à pignore generali ad pignus  
illatorum non procedit. <sup>44</sup>

Argumentum à majori ad minus non pro-  
cedit in iis , quæ sunt meri imperii. <sup>76</sup>

## B

**B**onæ fidei judiciis exceptiones pacti &  
doli insunt. In bonæ fidei judiciis usuræ  
etiam ex pacto debentur. <sup>35</sup>

Bona collata sunt effectu hereditaria. <sup>130</sup>

Bona , quæ filius in potestate patrī non ac-  
quirit , ea emancipatus non confert , quæ  
ille acquirit , hic confert. <sup>112</sup>

Bona castræ & quasi , non conferuntur. <sup>113</sup>

Bonorum possessionem dare licet voluntar-  
iæ jurisdictionis , mandari tamen potest. <sup>83</sup>

## C

**C**apitale crimen quid , & unde dicatur.  
<sup>153 & seq.</sup>

Casus , quibus procedit transactio de ali-  
mentis citra prætoris auctoritatem. <sup>152</sup>

Causa etiam frivola excludit præsumptio-  
nem donationis. <sup>46</sup>

Causæ nomine quid veteres intelligant ,  
cùm ajunt ex conventione innominata , cui  
causa subest , actionem nasci. <sup>23</sup>

Causa plerumque pro impleta habetur cum  
casu factum , ut impleri nequeat. <sup>19</sup>

Causæ cognitionis prætoriz an mandari  
possint. 88. An mandata simpliciter jurisdi-  
ctione transeant. <sup>89</sup>

Quid si quis ob inopiam cavere nequeat. <sup>ibid.</sup>

Cautione quomodo collatio fiat. <sup>128</sup>

Chirographum reddens creditor tacite pa-  
cisci videtur , ne petat. 44. Quid si cum  
duo haberet , unum tantum reddiderit. <sup>45</sup>

Civilibus causis qui præstet , ex prorogatio-  
ne de criminalibus cognoscere non potest , &  
contra. <sup>94</sup>

Civitatibus ex nudo pacto debentur usuræ. <sup>9</sup>

Codicillis factis etiam olim procedebat  
collatio , sive de toto sive de parte dispo-  
nerent. <sup>111</sup>

Codicillis relicto contentus ad collationem  
non urgetur. <sup>ibid.</sup>

Cœrcitiones quædam mixto & mero im-

## INDEX RERUM

- perio communes. 83  
 Cognitio de transact alimentorum non est jurisdictionis, sed specialis concessionis. 148  
 Cognitio & pronunciatio super quæstione suspecti tutoris jurisdictionis est. 88  
 Collatio quomodo fiat. 125  
 Collation. definitio vulgata reprehensa. 102  
 Alia ab auctore substituta & exposita. *ibid.*  
 Collatio fit deductis impensis necessariis, & fine usuris & fruilibus. 128  
 Collatio fit pro portionibus hæreditatis, eum insigni circa hanc rem distinctione ex ratione juris veteris. 128 & seq.  
 Collationis produc̄tio ad donationem properter nuptias, ad nepotes & nepes cum thii suis avo & avicæ succedentes, ad successionem ex testamento. Ejusdem juris restrictio. 101  
 Collatione fungi jure novissimo etiam qui diverso jure veniunt. 108  
 Collationi, quæ alias cessaret, toties locus est, quoties citra eam nimia oriretur inæqualitas. 118  
 Collationi obnoxia ea solum, quæ tempore mortis parentum jam quæsita sunt conferenti. 122  
 Collatio inter adscendentess locum non habet, nec inter laterales. 106  
 Collatio interdū officio judicis inducitur. 107  
 Collatio olim locum non habuit, ubi unus à filiis institutus, alter ex hæredatus erat. *ibid.*  
 Collationis varia significaciones. 100  
 Collationis necessitas quam ob causam primum introducta. *ibid.*  
 Collationem excludit defuncti voluntas non tantum expressa, sed etiam ex evidenteribus conjecturis elicita. 109  
 Collationi non est obnoxium, quod datum est ultra portionem hæreditariam. *ibid.*  
 Commodum simul & ex pacto & ex stipulatione pœnali ferre æquum non est. 135  
 Condicio ob causam dati perpetuo separatur ab actione praescriptis verbis. 18  
 Constitutum, quod pactum honorarium, pro legitimo habendum. 10  
 Continens quid. Continentes provinciæ. Continentia urbis ædificia. Ex continenti, sive in continenti. 33  
 Contractus quid. Contractus nominati. 22  
 Contractuum innominatorum genera. 23  
 Conventio de pignore, quæ pactum prætorium, pro legitima habenda. 10  
 Conventio gratuita de remittendo legato conditionali an valeat. 60  
 Conventio nuda. 11  
 Conventio privata, legitima. 8. Publica. 6  
 Conventio temeraria, simulata, jocularis non meretur nomen conventionis aut pacti. 21  
 Conventiones innominatae, quæ terminos nudi placiti non egrediuntur, non sunt contractus. Non competit ex his actio solo jure

## ET VERBORUM. 171

- conventionis. Non potest his accommodari formula actionis praescriptis verbis. Non nascitur ex his duplex actio, una jure conventionis, altera ex perfectione & secundum perfectio nem contractus. Obligatio in his non habet vim implementi. 23  
 Conventionis nomen generale. 2  
 Conventionis vox πληνεψις, nunquam usurpatur in specie pro conventione aliqua opposita pacto. 14  
 Crimen non perimitur abolitione. 156

## D

- Dcidere pro transfigere. 133  
 Defensores civitatis non iidem, qui syndici aut curatores civitatis. 138  
 Depositum aut precarium ante tempus repetens non facit contra obligationem. 28  
 Discrimen circa modum conferendi inter jus vetus & novum. 129  
 Divisio jurisdictionis in civilem & criminalem à juris Romani usu aliena. 72  
 Dolus malus est, qui post fidem datam adhibetur. 7  
 Donare pro in peculium dare apud nostros non inusitatum. 124  
 Donatio simplex filio emancipato facta ad conferenda. 125 & seq.  
 Donatio simplex hodie quorundam moribus confertur. *ibid.*  
 Donatio uni ex liberis ob singulare meritum facta an collationi obnoxia. 119  
 Donatio simplex quibus casibus conferatur, regulariter non confertur, non facta filio in potestate constituto. 123  
 Donationis pactum in præsens conceptum est conventio legitima. 9  
 Dos & donatio propter nuptias quando quibus casibus conferantur. 120  
 Dotis pollicitatio pactum legitimum. 9  
 Dux bellum citra speciale mandatum pacem facere non potest. 6  
 De quibus rebus recte paciscatur. 7

## E

- Ecclesiastici proprios judices habent. Jure Can. penitus exempti jurisdictioni magistratus politici. 96  
 Contra in ditionibus foederati Belgii. *ibid.*  
 Edictum de pactis pertinet ad conventiones omnes. 2  
 Effecta naturalis obligationis pupilli. 50  
 Effectus jurisdictionis prorogatae. 97  
 Effectus transactionis super crimine capitali facta, per hanc transactionem non sit præjudicium causa publicæ. Non eadem hujus transactionis vis, quæ rei judicatae. 156  
 Emancipatus ei soli confert, cui aliquid aufert. 103  
 Emancipatus quo casu ad collationem vo-

- cetur ex sententia editi. *ibid.*  
 Emancipati soli ex edito ad collationem vocantur. *ibid.*  
 Emancipati hodie non conferunt, quæ ipsi alii quæcumque à patre obvenerunt. *ibid.* & 104. ex testamento hæreditatem obtinentes ex edito non conferunt suis hæredibus. 104. ex edito sibi invicem non conferunt. 103  
 Error in persona impedit consensum. 96  
 Exceptio dilatoria opposita an tacite prorogata intelligatur jurisdictio. *ibid.*  
 Exceptio doli subsidiaria pacti. 54  
 Exc ptio fidejussori semel quæsita an ei adi-mi possit pactione debitoris. 55  
 Exceptio per prius pactum quæsita per posterius non ipso jure, sed per replicationem eliditur. 69  
 Extraordinariæ jurisdictio quæ sunt, man-data jurisdictione non transeunt. 87
- F**Actum in pactis versari quo sensu dicatur. 69  
 Falcidia an vivo testatore privata con-ventione remitti queat. 59  
 Familiae substantiæ gratia data in colla-nem veniunt. 119  
 Fideicommissum interdum in contractibus constituitur. 54  
 Fidei observatio est ex jure gentium. 7  
 Fides data servanda etiam hostibus, prædo-nibus, &c. *ibid.*  
 Fidejussoris pactum non prodest reo, nisi persona rei expresse comprehensa. 55  
 Fides sanctissimum humani pectoris bonum. 16  
 Filii. item filiæ emancipatae quam dotem quibus conferant. Quid jure veteri hic obti-nuerit. 116  
 Filii. ex edito nihil conferunt. 101. filia-fam. dotem confert ex rescripto. D. Pii. *ibid.*, Filii & servi pactum prodest patri & domino. 53  
 Filio in potestate hærede instituto, & eman-cipato præterito, si emancipatus acceperit contra tabulas, conferre debet, licet frater ex testamento hæreditatem obtineat. 105  
 Filio & nepote ex eo hæredibus institutis cestiat collatio. 109  
 Filia statuto à successione patris extantibus masculis exclusa, si cum fratribus hæres scripta sit, immunis est collationis. 110  
 Filius non tenetur conferre dotem uxoris suæ, nec dotem, quam filiæ suæ dedit, nisi ad eum reversa sit. 116  
 Filius tenetur conferre pecuniam, quam sibi studiorum causa missam dissipavit. 119  
 Fisci procurator generalem in causis civili-bus jurisdictio n. habet. 95  
 Forma prorogandæ jurisdictio. 91  
 Forma prorogationis de persona ad perso-nam. 95  
 Fructus adventitiorum an ab emancipatis conseruantur. An horum fructus percepti à fi-liosam. conferendi. 114

## R E R U M

- Frugum estimatio subinde mutatur. 9  
 Frumenti mutuo dati, usuræ debentur ex padio. *ibid.*  
 Fundo ad alimenta legato, utrum proprie-tas, an ususfructus debeatur. 15  
 Furiosorum & mente captorum pacta. 48

## G

- Genus non est particeps differentiarum. G De specie sua prædicatur, & non conver-titur. <sup>n</sup>

- Geometrica æqualitas in collatione specta-tur. 130  
 Gratuita pactio de controversiis, quæ ex testamento oriuntur, an valeat citra inspec-tionem tabularum. 60. De alimentis testa-mento relictis sine prætore. 61

## H

- Hæreditas vendi potest & quæ nondum de-lata est. 64. An pactis conservari queat. 65  
 Hæritate divisa non interveniente colla-tione potest nihilominus collatio peri. 116

- Hæres ultra portionem hæreditariam obli-gari non potest. 109  
 Hypothecam inter & pignus quid interfit. 5

## I

- Imprium merum cur sic dictum. 73. Quid sit. *ibid.* An condemnatio ad perpetuos carceres sit meri imperii. *ibid.*  
 Infans & infantæ proximus parum à furioso distat: & quibus in causis dispar eorum con-ditio. 49

- Infantæ proximi & proximi pubertati com-paratio. 50

- Ingressus, initium contractus. 33  
 Instrumento redditio, quo aliis quoque obligatus, quid juris. 45

- Intentionem ambiguam pro auctore inter-pretamur. 67

- Interdictio bonorum non juris est, sed ju-risdictio. 49

- Intervallo, ex intervallo. 33  
 Invecta & illata in prædium urbanum, nata in fundo tacite sunt pignori locatori. 42

- Illata in prædium rusticum non aliter, quam si id nominatum convenerit. 43

- Jubere cavere prætoria stipulatione & in possestionem mittere jurisdictio adscriben-da, non mixto imperio. 84

- Judicii à principe dato etiam jurisdictio man-data intelligitur. 90. Quæ hujus rei effecta. *ibid.*

- Judicis dandi licentia ad quam speciem jurisdictio pertinet. 81

- Judicibus pedaneis male comparantur J.C. quos judices subalterni hodie fere consulere solent. 88

- Jurata transactio vis. 168

- Jure naturæ & gentium etiam ex nuda con-ventione obligamus. 19

- Jure gentium mero nulla in civitate vivi-

jurisdictio nulla simplex, si consideretur in  
concreto. 17  
Jurisdictionem qui habet etiam mixtum  
habet imperium. 85  
Jurisdictionis in genere acceptae definitio  
cum exegesi. 80  
Jurisdictionis autem est, non mixti imperii. 84  
Jurisdictione quot modis accipiatur. 80  
Quando tacite prorogata censeatur. 96  
Jurisdictione contentiosa quid, & quæ eo  
spectent. 82. Voluntaria, & quæ ejus gene-  
ris. ibid.  
An semper extra provinciam explicari pos-  
sit. ibid.  
Jurisdictione ordinaria, & quæ eo pertinent.  
Extraordinaria, & quæ hujus generis. 80  
Jus civile non debet exigi ad mera juris  
gentium præcepta. 17  
Jus dicere & judicare diversa. 81  
Jusjuraandum omne sponte præstitum serva-  
ri debet, si non redunder in præjudicium al-  
terius, aut dispendium salutis. 62

## L

Legata & fideicomissa non subjiciuntur  
collationi. 122  
Legatum filio relictum cum pater morie-  
tur, an contributioni obnoxium. ibid.  
Legatus proconsulis propriam jurisdictione  
non habet; nec est magistratus. 86  
Legitimatio non pertinet ad jurisdictione-  
ria. 82  
Legitima conventio. 8  
Legitima pacta & in continentia adjecta  
diverso respectu & nuda & vestita dici pos-  
sunt. 29  
Liberatorium pactum ipso jure naturalem  
obligationem tollit. 69  
Liberi inter se collatione funguntur, quam-  
vis cum his extraneus haeres scriptus sit. 109  
Liberi, qui sunt in adoptiva familia quan-  
do conferant fratribus naturalibus. 105  
Liberi invicem conferunt, etiam si ex capi-  
te unde liberi exclusi ex sequentibus admittan-  
tur. ibid.  
Liberi ex inferiore ordine venientes, nihil  
ominus jure liberorum succedunt. ibid.  
Libri à patre filio literis operam navanti  
suppeditati an conferantur. 113. An dati filio  
titulum Doctoris adepto. ibid.  
Libri, instrumenta Mathematica &c. filio  
data an collationi subiecta. 118  
Locupletior nemo fit ex sola promissione  
aut susceptione alienæ obligationis. 50  
Lucrum industria filii ex re patris partum,  
an & quatenus conferendum. 121  
Lytron quod pro filio ab hostibus redimendo  
pater solvit, non venit in collationem. Quid  
si solverit quid pro filii delicto. 119

M agistratus nullo existente accusatore in  
crimen inquirere potest. 157  
Magistratum non facit quævis jurisdictione,  
sed ea, in qua principem locum obtineat. 86  
Magistratus soli propriam jurisdictionem  
habent. 85  
Mandare jurisdictionem is solus potest, qui  
eam suo jure habet. 86  
Mandari jurisdictione non potest iis, qui judi-  
ces esse non possunt. 87  
Mandata jurisdictione quando intelligatur.  
Quatenus transeat. 90  
Mandata à Principe ejus propria efficitur,  
cui mandata est: & ejus rei effecta. 89  
Mandata jurisdictione quid. 86  
Mandatarius jurisdictionis simplex & purus  
est vicarius non magistratus. Sententiam,  
quam dixit, exequi potest: judex datus non  
item. ibid.  
Mandator & mandatarius obligantur sub  
disjunctione, hic ut mandatum impleat, aut  
tempestive renuntiet, ille ut impleri patiatur,  
aut revocet. 88  
Matrimoniales causæ an transactionem ad-  
mittant. 144  
Matrimonii nobilioris personæ conciliandi  
gratia datum an conferendum. 119. 120  
Matrimonio contante si de collatione aga-  
tur quid juris. 117  
Merces indicii peti non potest ante indi-  
cium. 18  
Merum imperium non idem, quod jus viræ  
ac necis: nec idem, quod summum. 79  
Merum imperium suo iure solus habet Princeps,  
magistratus nudum ejus exercitium,  
contraria Azonis sententia quomodo defendi  
queat. 78  
Merum imperium mandari non potest extra  
causam necessariæ absentiæ. 76 ne ab eo qui-  
dem, cui Princeps causam criminalem com-  
misit. 76. Quid in causa infirmitatis. 77. An  
delegabile jure Can. ibid. Quid in toparchis.  
Meri imperii exercitio qua ratione ad bru-  
ta quoque animalia extendatur. 74. Item ad  
noxiorum hominum cadavera. ibid.  
Meri imperii appellatione contineri etiam  
jus de criminibus cognoscendi. ibid.  
Merum imperium qui olim habuerint; qui  
post Principem constitutum: qui apud nos. 75  
Militia verbo quid passim apud nostros sig-  
nificetur. 120  
Militia ex casu nullæ sunt. ibid.  
Mixtum imperium an mandari queat. 89  
Mixtum imperium quid sit, & qua in re à  
jurisdictione differat. 82  
Mixti imperii divisio in id, quod jurisdic-  
tioni inest, & cui insit jurisdictione, commen-  
titia est. 85

Mos dandi judices apud Belgas fere exo-  
levit.  
Municipales magistratus non habent omnes  
partes mixti imperii. Non possunt facere,  
quæ imperii magis sunt, quam jurisdictio-  
nis.

84

## N

**N**atura contractus.  
Negotiationis &c. exercenda causa  
data certo jure conferuntur.  
Nepotes & neptes quando & quibus dote-  
aut donationem propter nuptias conferre de-  
beant.  
Notio quid, & quam varia hujus vocabuli  
significatio.  
Nuda pacta non sunt contractus: nec legi-  
tima aut incontinenti adjecta.  
Nudum pactum est, cum quis pollicitus est  
emere aut vendere.  
Nudum pactum eriam jure Romano obliga-  
tionem naturalem parit. Aliarum gentium &  
notris moribus ac jure Can. etiam actionem  
producit.  
Nudum pactum quid.  
Nudum non est vox alienans, sed discer-  
nens.  
Nudum pactum tam proprie Pactum, quam  
vestitum. Nudum etiam, quod serium.

79 &amp; seq.

29

26

10 &amp; seq.

12

ibid.

15

## O

**O**bligatio à defuncto cœpta hæredibus om-  
nibus acquiritur pro portione hæredita-  
ria.  
Obligatio naturalis ex pacto, nisi personæ  
qualitas obstat, eadém effecta jure civili ha-  
bet, quæ mixta, dempta una actione.  
Obligationes nudi consensus rebus integris  
ipso jure contrario nudo consensu tolluntur.  
Obligationi semel suscepitæ invito adver-  
sario renuntiare non licet.  
Obligationis origo in conventionibus inno-  
minatis non à nudo consensu, sed à datione  
aut facto ad consensum accedente profisci-  
tur.  
Officia, quæ aat vendi possunt, aut ad  
hæredes transmitti, conferri debent.  
Oratio etiam generalis accipienda de his,  
de quibus actum est.  
Orationes principum cur etiam senatus-  
consulta appellantur.  
Ordinaria jurisdictionis quæ sunt, sola  
mandari possunt.  
Ordo naturæ non idem semper, qui  
scripturæ.  
Ordo judicium in decurias descriptorum  
discretus à consilio centumvirali.

38

147

87

37

75

## R E R U M

## P

Paciscens cum maleficio qua tali, de re-  
mittenda poena agere cenfetur.

8

Pacta adjecta traditionibus rerum quid  
operentur.

36

Pacta circa adminicula, circa naturam,  
circa substantiam contractus. Naturam con-  
tractus egredientia.

31

Pacta circa successionem viventis impro-  
bata, etiam reciproca: exceptis militum.  
An statuto confirmari possint; an juramen-  
to; an quando, & quatenus de hæreditate  
tertii.

61 &amp; seq.

Pacta contra jus publicum, vel de statu  
personæ facta non valent.

59

Pacta ex continenti facta de re quæ in stip-  
ulationem deducta est, stipulatione conti-  
nentur.

35

Pacta incontinenti adjecta in bona fid-  
judiciis etiam ex parte actoris insunt, actionemque  
pariunt: ex intervallo facta soli  
reo prosunt ad exceptionem.

30

Pacta apposita stricti juris judiciis à parte  
actoris non insunt.

35

Pacta in personam non egrediuntur per-  
sonam pacientis.

47

Pacta in rem: quibus profint. ibid.

1

Pacti definitio.

1

Pacti generali significatione contractus

z

quoque contineri.

z

Pacti obscuri vel ambigui interpretatio pro  
quo facienda.

67

Pactio an uni ex hæredibus consuli  
possit.

53

Pactiones ad liberandum comparatae, item

z

de emendo, permutoando &c. non sunt  
contractus.

z

Pactio, quæ per se non valet, an vires  
accipiat à jurejurando.

61

Pactum conventum, & pactum figurate  
pro instrumento pacti.

4

Pactum conventum idem quod pactum  
simpliciter.

4 &amp; seq.

Pactum conventum non est propriæ pa-  
ctum scriptum.

3 &amp; seq.

Pactum & pactio idem.

z

Pactum filii personale quatenus profit  
patri.

53

Pactum majoris partis creditorum an &  
quando aliis noceat. 57 An & quando ab-  
sentib. ibid. An & privilegiariis & hypothecariis. 58 Quid hic nostris moribus.

ibid.

Pactum nudum, licet serium, jure Romano  
actionem non producit.

16

Pactum nudum non explicationis tantum  
sed etiam discretionis causa dicitur.

12

Pactum nudum producit obligationem na-  
turelam.

20

Pactum passim pro pacto nudo. 3 & seq.

Pactum , quo futuræ successioni renun-	
tatur. <sup>65</sup>	
Pactum reale filii aut servi quando patri	
aut domino nocet. <sup>52</sup>	
Pactum unius ex correis debendi aliis non	
prodest , nisi sint socii. <sup>55</sup>	
Pactum unius ex reis stipulandi an alteri	
nocet. <sup>67</sup>	
Pactio an criminibus non capitalibus pro-	
hibita. <sup>160</sup>	
Poenitentiam non admittunt contractus	
innominati , qui finiendarum litium gratia	
ineuntur. <sup>27</sup>	
Patris pactum quando & quatenus filio	
profit. <sup>53</sup>	
Patris transactio de bonis filii an & quare-	
nus procedat. <sup>138</sup>	
Peculii filiorum fam. distinctio. <sup>112</sup>	
Permutatio an contractus nominatus. <sup>22</sup>	
Personale pactum rei an hodie proficit si	
dejuslori. <sup>47</sup>	
Pignore ultro & simpliciter redditio , vide-	
tur vinculum pignoris remissum. <sup>44</sup>	
Pignus remittere videtur creditor reddens	
chyrographum. <sup>ibid.</sup>	
Placiti fine stare quid. <sup>15</sup>	
Pollicitatio. <sup>3 &amp; seq.</sup>	
Potestas cognoscendi de causa civili cur	
sola jurisdictionis nomen acceperit. <sup>73</sup>	
Poena de crimine non capitali post lit. cont.	
transfigentium. <sup>160</sup>	
Prædones communionem habent juris na-	
ture. <sup>8</sup>	
Præfectus urbi cuius rei causa creatus. <sup>76</sup>	
Præfetti prætorio officium ut variaverit. <i>ibid.</i>	
Præscriptione an acquiratur jurisdiction. <sup>98</sup>	
Præses provinciæ jus deportandi non habuit.	
<sup>76</sup>	
Prætor non idem , qui judex questionis. <i>ibid.</i>	
Prætoris tucelaris jurisdiction ad alias causas	
prorogatione extendi non potuit. <sup>95</sup>	
Præscriptis verbis actio non datur , nisi ex	
contractu. <sup>24</sup>	
Præscriptis verbis actio potest concurrere	
cum alia : licet vulgari & bon. fid. <sup>40</sup>	
Prætori in transactione alimentorum exami-	
nanda. <sup>151</sup>	
Prætor pacta servat data actione aut excep-	
tione. <sup>2 &amp; seq.</sup>	
Prætor pro tribunali de transactione ali-	
mentorum cognoscere debet. <sup>148</sup>	
Princeps pacem faciendo privatorum inju-	
rias per causam belli acceptas remittere po-	
test , contrahendo cum subditis privatorum	
jure utitur. <sup>6</sup>	
Procurator Cæsaris transfigere omnino non	
potest. <sup>138</sup>	
Procuratoris pactum prodest domino ad ex-	
ceptionem doli. <sup>54</sup>	
Procuratoris pactum quando nocet domi-	
no <sup>52</sup>	
Prodigi cum minore collatio. <sup>48</sup>	
Prodigi & furiosi similitudo & dissimilitu-	
do. <i>ibid.</i>	
Prodigo an bonis interdicatur ipso jure , an	
decreto magistratus. <sup>49</sup>	
Promissio impunitatis aut præmii facinus	
aliquid detegentibus servanda. <sup>8</sup>	
Propria jurisdiction quid , & qui eam ha-	
beant. <sup>85 &amp; seq.</sup>	
Propria jurisdiction quibus modis finiatur. <sup>98</sup>	
Proroganda jurisdictionis modus de loco ad	
locum veteribus incognitus. <sup>93</sup>	
Prorogari an possit jurisdiction mandata <i>ibid.</i>	
Prorogari an ita jurisdiction possit , ut judex	
quolibet loco in suo territorio jus dicat. <i>ibid.</i>	
Prorogatio de tempore ad tempus an veteri-	
bus cognita. <sup>94</sup>	
Prorogatio de re ad rem , & quæ ad eam	
necessaria. <i>ibid.</i>	
Prorogata jurisdiction quid , & quo colore	
sustineatur. <sup>91</sup>	
Prorogata jurisdiction quando finiatur , quan-	
do mandata. <sup>97</sup>	
Prorogatio fieri non potest in rebus diversi	
generis. <sup>92</sup>	
Prorogatio de persona ad personam. <sup>95</sup>	
Prorogationi non est locus nisi inter eos ,	
qui communis imperio subjecti. <sup>92</sup> nec in diver-	
sis magistratus , qui simul sunt domini terri-	
torii. <i>ibid.</i> In prorogatione solus partium con-	
sensus requiritur. Eum , in quem consensum	
est , aliquam jurisdictionem habere debere. <i>ibid.</i>	
Prorogatio quando procedat , si de aliis cau-	
fis judex aditus sit , quam quibus praefectus	
est. <sup>95</sup>	
Pubes curatorem habens an ex contractu	
sine curatore obligetur. <sup>50</sup>	
Pupillus puperti proximus an ex con-	
tractu sine tutori initio naturaliter obliga-	
tur. <i>ibid.</i>	
Pupillus licet pubertati proximus , sine	
tutore non recte transit. <i>ibid.</i>	
<b>Q</b>	
Quantitatis ad quantitatem prorogatio. <sup>95</sup>	
Quærela inofficiosi testamenti à defunc-	
to omissa ab herede instaurari non potest. <sup>110</sup>	
Quomodo quo effectu sequis subjiciat juris-	
ditioni alicujus , & quid hic apud Batavos. <sup>95</sup>	
<b>R</b>	
Eges Siciliæ , Neapolis , &c. Duces , &c.	
Germaniæ , veros esse principes , jura re-	
galium habentes. <sup>77</sup>	
Repudiationis & pacti differentia. Nostris	
moribus insuper habetur. <sup>60</sup>	
Res dubia in causa transactionis quæ di-	
catur. <sup>134</sup>	
Res geri coepit à delegato quando di-	
catur. <sup>98</sup>	

- Re quomodo collatio fiat. 128  
 Res ipsa, de cuius collatione agitur, an in specie conferenda. Quid si alienata sit. Quid si rei ipsius collatio conferenti damnosa, aut cohæredum nihil interfit rem ipsam conserui. *ibid.*  
 Restitutio in integrum est jurisdictionis, sed eminentioris cujusdam. 84  
 Revocatione finitur jurisdictionis mandata. 97  
 Reus criminis capitalis quovis tempore impune transigit. 155  
 Reus transigens de crimine non capitali pendente judicio an habeatur pro condannato. 160

## S

- S**Altus hiberni & æstivi certis temporibus relinquuntur. 35  
 Scriptura interveniens non efficit, ut pacatum definat esse nudum. 11  
 Socius socio societatem renuntians non renuntiat constitutæ obligationi. 28  
 Speciei tota essentia non est in genere. 2  
 Stipulatio an sit conventio legitima. 10  
 Studiosorum libri illati an legem taciti pignoris sequantur. 44  
 Substantia contractus & natura contractus an semper idem. 31  
 Successionem non affectans ad collationem urgeri non potest. 129  
 Sui nec inter se, nec emancipatis ex edicto conferunt. 108

Sumptus præter dotem &c. facti an conferendi, an facti à patre studiorum filii gratia. 118

Quando hi sumptus patre mortuo ad commune onus pertineant. *ibid.*

Sumptus pro filio facti dignitatis consequæ gratia non conferuntur. 120

Supremæ potestatis est leges condere, bellum indicere, &c. non meri imperii. 79

## T

**T**acitum pignus illatorum an locum habeat in bonis minorum illatis sine consensu curatoris. 43

Testamento facto olim non procedebat collatio, nisi id per bonorum possessionem cont. tab. eversum esset, an idem testamento per querelam rescisso. 113.

Transactio an licita in crimen maiestatis & parricidii. 157. Quid si delictum tale, sit quod ordinarie poena mortis non punitur, sed cuius poena ex circumstantiis ad mortem usque extendi possit. *ibid.*

Transactio de controversiis ex testamento descendantibus non procedit sine inspectione testamenti. 144. Quid si facta transactio sine clausula cognitis verbis. &c. 145. Quid si quantum nata ex testamento nuncupativo. *ibid.* Quid si transigentes inspectioni renuntiaverint. Quid si huic renuntiacioni accesserit jusjurandum. 146. An sufficiat generalis renuntiatio

## ET VERBORUM.

- falsum jurata. 157  
 Transactio per calumniam expressa non valet. *ibid.* & seq  
 Transactio nulla nisi de re dubia. 134  
 Transactio quomodo & quo effectu fiat per contractum in nominatum. Quomodo & quo effectu per stipulationem Aquilianam. Per stipulationem simplicem. Per conventionem subiecta stipulatione poenali. 135  
 Transactio super instrumento garantigato, post rem jure iurando decisam, post confessionem judiciale interposita an valeat. 142  
 Transactio in casu sanguinis permitta, & tam actori, quam reo. 157  
 Transactionis nuda conventione facta quævis. 135

Transactio de raptu an licita. An de stupro. An de incestu. 159

Transactio de crimen non capitali prohibita. 160

Transactio an licita in privatis criminibus. 161

Transactio neque contractus proprii nominis, neque contractus species. 22

Transactio patris de bonis filii immobilibus an procedat sine decreto. 138

Transactionis definitio. 132

Transactionis & pacti discrimin. 133

Transigere an liceat de crimen falsi. 162

Transigere de alimentis præteritis absque prætore licet, non de futuris suprema voluntate relictis, & quid si ex conventione debeat. 147

Transigere non potest de re judicata. Quid si sententia jure non subsistat. Quid si ab ea appellatum, aut appellari possit, aut in dubium vocetur, an judicatum. Quid si in integrum restitutio impetrata aut postulata, ubi quædam notabilia in praxi. 140 & seq.

Transigere non potest super crimen fustigationem, membra mutilationem, deportationem, aut poenam perpetui carceris continentem. 157

Tutoris & curatoris pactum quando non ceat pupilo vel adulto. 53

Tutoris & curatoris pactum prodest pupillo, adulto, &c. *ibid.*

Tutoris datio non est jurisdictionis proprie acceptæ & ordinaria. 81

Tutoris dandi potestas mandata jurisdictione non transit. 88

## V

- V**Afallus de feudo transigere an possit in consulo domino. 139  
 Verbi transigere varius usus. 132  
 Viatus verbo quid continetur. 148  
 Viatus ex libera potius voluntate, quam ex coactione penitentia. 17  
 Usuræ pecuniae trajecitiae debentur ex pacto. 91

**SIMONIS VINNII**  
**ARNOLDI FILII**  
**ORATIO**

DE CONSTANTIA JURIS NATURÆ,

*Recitata, cum Doctor U. J. Publicè renuntiaretur postridie Kalend.  
Decemb. 1648.*

**S**i eorum, quæ oratione tractantur, magnitudo & præstantia non aliunde, quam ex ejus, qui de iis differit, doctrina & dicendi copia ponderetur, magnopere mihi verendum esset, Auditores, ne hodierno die in hoc augustinissimo & ad dicendum amplissimo loco splendor ac dignitas maximarum pulcherrimarumque rerum ingenii mei tenuitate & sermonis inopia minueretur. Nam cum more majorum verba ad vos facturus oratione mea adorari constituerim magnos illos Philosophos, Protagoram, Aristonem, Pyrrhonem, nec non Trasymachum illum Platonis, & cæteros, qui contendunt jus nullum esse re ipsa, nullum, quod naturæ Decreto constitutum sit, sed iustum omne & æquum à sola hominum opinione & potentiorum placito profectum esse; facile animadverti longe gravissimam oblatam mihi esse materiam & ad falsam hanc sententiam, ut magnam veri præfert speciem, confutandam ac profligandam, & ad ostendendum quid revera sit jus, quid æquum & bonum, quid iustum & honestum. Hac autem omnia si quis ita se tractare posse confidat, ut rerum magnitudini orationis pulchritudo respondeat, eum oportet aut ita exercitatum esse in dicendo, ut facultate sua freatus nihil sibi difficile atque arduum putet; aut ita imperitum, ut errore ductus rerum pondera & momenta satis acute atque intelligenter perspicere ac dijudicare non possit. Neque mihi nunc ulla alia res perculsum ac debilitatum in hac cogitatione animum Vinn. Tract. Varii.

erigit ac confirmat, quam quod apud eos viros loquendum est, qui & ea sapientia sunt, ut quanti quæque res sit, ex natura ipsius, non ex iis, quæ de ea dicuntur, ponderent, & ea lenitate ac mansuetudine, ut iis, qui potius, quam officium deferant, ejus onere opprimi malunt, facile ac libenter ignoscant.

Non sine causa à docto quodam viro dictum est, opinionem sacrum morbum esse: quippe quæ adeo potens est in rebus humanis, ut nocta semel consuetudinem abeat in mores, & diuturnitate temporis vim obtineat naturæ. Hinc fluxit vetus eorum error, qui putaverunt sola opinione, non etiam natura jus omne constare. Videbant enim non idem apud omnes jus esse, non idem æquum & bonum, sed alium alio jure populum, & fere suo quemque uti. Apud Persas & Macedonas constituta fuit adversus ingratos actio: cum apud alios populos malum hoc fuerit impunitum. In seditione populari, qui neutralium erat partium, tenebatur lege Solonis, cum is cæterarum civitatum institutis, probi quietierem civis laude cumularetur. Lacedæmonii & Ægyptii furta permisérunt, quæ apud alios passim prohibita; apud Athenienses ex lege Draconis etiam poena capitum multata sunt; sicut & hodie nonnumquam furca laqueoque fures ulciscimur. Ex rapto olim vixerunt Cilices: Massagæ communes uxores habuerunt: apud Persas matribus & filiabus misceri jus fasque fuit; quæ res aliis non horrenda modo, sed etiam odio digna, crudelique suppicio visa est.

Possem sexcenta alia id genus exempla proferre, nisi id & otiosum esset & infinitum.

Non est autem quod hæc valde miremur in tanta populorum multitudine, quorum fere singulorum varia est & diversa indoles: in una atque eadem sœpe civitate & per brevi tempore videmus leges ipsas mutari, corrigi & antiquari. Hinc tam multæ & frequentes earam abrogationes, derogationes, obrogationes, tot plerunque earum inter se repugnantæ & dissensiones. Sed in rebus honestis, quarum proxima est cum iustis cognatio, animadvertere est, more tantum & consuetudine quadam hominum inductas esse, cum nullum earum sit in natura discriminis. Persis turpe habebatur spuere, quod in reliquis populis non sit inhoneste. Corporis nonnullis partibus tantus additus est pudor, ut quædam omnino non appellantur suis nominibus: aliae appellentur quidem, sed ita, ut honoris præfandus sit: at istam verborum verecundiam, ut stultam & puerilem, exploserunt Stoici, qui nihil putabant turpe esse dictu, sed omnem turpitudinem in rebus ipsis & factis, non in verbis & voce confitente. Ex his omnibus jam effici videtur, totam istam justi & injusti, turpis & honesti distinctionem nullam re ipsa esse, sed injusta & turpia ea tantummodo duci, quæ legibus aut moribus cuiusque populi prohibentur: quæ prohibitio si tollatur, aut contrario hominum usu paulatim antiquetur, jam vel naturæ consensu justa fore & honesta. Et est profecto hæc opinio non ficta, aut disputationis dumtaxat causa in scholis Philosophorum agitata, ut plerique aliae; sed habuit assertores suos plurimos, eosque magnos viros & doctos imprimis, à quibus diu multumque serio defensa est. Habuit Protagoram, magis etiam Aristonem & Pyrrhonem, qui hoc non disputationis gratia assenserunt, verum quod ita se rem habere plane sibi persuaserant. Habuit & Trafymachum illum Platonis, qui jus nihil aliud esse dicebat, quam quod placet & utile est potentiori: ac proinde quodcumque is, qui plus posset, lege sua juberet & yetaret, jus esse & quidem solum jus, neque ullam in eo esse naturæ veritatem.

Jam vero quod ab ipsa natura proficiuntur, constans est & æternum, semper & ubique idem, numquam sibi repugnans, numquam contrarium, nullo temporis cursu mutabile. Ignis ubique gentium & semper urit, nix apud omnes & omnibus alba est. Non magis Germanis & Gallis symphonie jucundus auditus, non rerum bene olentium odor magis suavis, quam Indis & Gara-

mantibus, aut contrariorum sensus magis contrarius. Hoc modo si jus non institutum, sed natum esset, quod quibusdam iustum est, id apud omnes pro iusto haberetur colereturque, & sicut iisdem sensibus, iisdem etiam iussis vetitisque omnes uteremur. Itaque cum multi summo ingenio singularique doctrina homines semper in hoc studio elaborant, ac plures fortasse etiam quam in alia sententia, nemo tamen inventus est veteribus est, qui eam arte concludere conatus fuit, sed tamen quisque ex dispersis & disjectis partibus decerpit, quantum potuit aut iudicio suo assequi, aut memoria comprehendere. Unde ut videre est in eorum libris, non tam artificio ullo instructi, quam adjuti à natura, & legum, quam habebant, veterum memoria, quid iustum vel injustum sit, respondebant. Et tamen quam plausibile & gloriosum autori suo id opus futurum fuisset, argumento est libertus Appii Claudio Cn. Flavius, qui ob expositas populo actiones, tantam in civitate gratiam est consecutus, ut Ædilis Curulis crearetur. Sed bene viderunt viri excellen tes & callidi, non posse in formam artis jus civile redigi, cum totum situm sit in hominum institutis, quæ & incerta semper, & ad discendum cuique sunt facilissima. Quare Jurisconsultorum memoria omnium in ore est, tanquam quæ ipsis aut sola sit, aut maxime necessaria, cum in ceterarum artium professoribus artificium quoddam & acumen ingenii desideretur: ut qui iura & instituta, quibus privati in quaque civitate utuntur, & actionem judiciorumque formulas memoria teneat, is in medio foro versari, atque in judicium tribunalibus regnare possit, magna cum opinione juris scientiæ. Quod ipsum & multis olim, ut Aculeoni aliisque, de quibus testatur Cicero, & nostra quoque tempestate usu venisse constat, qui in turba illa Forensi, & litigiosa multos annos versati nomen habuerunt magnorum patrornorum & Jurisconsultorum, cum essent omnium litterarum rudes, & hujus civilis scientiæ ignorantissimi.

Atque hæc ferre sunt argumenta eorum, qui opinione hominum jus esse constitutum putant, non decreto naturæ. Equidem fateor belle hæc ab iis, & vere etiam magna ex parte dici, ad probandum vero id quod volunt, accommodate nequaquam. Ajunt jus natura nullum esse, idque ostendunt ab institutis hominum, quæ inter se sunt dissimilia, cum natura sui sit semper similis, quasi vero id quod iustum est, ex solis legibus & scitis populorum estimandum sit, ac non potius ex eo,

quod justum esse dicitat ipsa naturalis ratio , seu insita animis hominum ac divinitus impressa iusti & injusti notitia . Est sane id jus , quod positum est in legibus & populorum institutis , varium & incertum , atque ad quamlibet rerum opportunitatem mutabile . Nam cum ad cuiusque populi indolem ac mores pro loci & temporum ratione accommodetur , fieri aliter non potest , quin diversum diversis civitatibus & populis statuatur : tum & ipsa temporum mutatio ac necessitas sepe justam affert mutanda legis occasionem . Pulchre Cæcilius Jctus apud Agellium , ab optimis , inquit , Rerumpub. gubernatoribus legum opportunitates & medelæ pro temporum & Rerumpub. generibus , ac pro utilitatum præsentium rationibus , proque visionum , quibus medendum est , fervoribus mutantur atque fluctuntur , neque uno statu consistunt : quin ut facies Coeli & Maris , ita rerum arque fortuna temporibus variantur . Lucius Valerius apud Livium , quas tempora , inquit , aliqua desideraverunt leges , mortales & temporibus ipsis mutabiles esse video : quæ in pace latæ sunt , plerumque bellum abrogat : quæ in bello , pax . Prudentes & eruditæ Medici non eadem omnibus ægrotis , sed aliis alia , atque adeo contraria plerumque pharmaca applicant : ad eundem modum sapientes quoque legum conditores leges ipsis ad indolem & mores cujusque populi adaptare debent , personarum , causæ , loci , temporisque semper habita ratione : nam si nullo judicio , nulloque rerum , personarum , locorum & temporum habito delectu actiones humanæ five publicæ , five privatae ordinentur , acri fame dignaque reprehensione carere non possunt . Neque enim probanda est Cleonis apud Thucydidem sententia , qui melius agi cum Republica aut civitate dicebat , quæ malis legibus , dummodo constanter , quam cum ea , quæ bonis , sed inconstanter , utatur . Quod vero jus ipsa humana ratio constituit , id ut per se justum & æquum est , ita & per se & suapte natura constans , perpetuum atque unum est . Sed & quamvis non omnes legislatores idem semper statuant , idem tamen omnes sibi propositum habent salutem scil . civium & Réip. utilitatem . Una inquam , semper est aut esse debet legislatorum omnium mens , ut æquitate constituenda cives suos ad primam illam & immutabilem naturæ justitiam revocent , quam si legibus scriptis exprimere nequeant , voluntate certe proxime accedunt . Ac ne illud quidem existimandum est , omnia esse justa , quæ sita sunt in populorum institutis aut legibus . An si quæ leges essent Tyrannorum , si triginta

illi Athenis leges imponere voluissent , aut si omnes Athenienses tyrannicis legibus delarentur , num idcirco hæ leges justæ haberentur ? Si furta , si adulteria aliave flagitia apud quosdam populos impunita fuerunt , si sint gentes , in quibus & nato genitrix & nata parenti jungitur , an harum gentium barbari mores & pravum judicium efficere possunt , ut id , quod natura justum aut inustum est , tale esse definit ? Quid quod neque illi ipsi , quos diximus Lacedæmoniis furta rerum omnium permiserunt , sed ediliorum tantum , neque omnibus furari , sed junioribus dumtaxat , quos furtim sibi alimenta comparare voluerunt , ut acuerent industria , discerentque à pueris noctu vigilare , interdiu fallere , infidias struere , exploratores habere , ita adultos bello meliores fore existimantes , testibus Xenophonte & Agellio , quamquam in eo stulti , quod furorum consuetudine potius , quam virtutis amore & studio veram ingenerari fortitudinem crediderunt .

Quæ justorum eadem & honestorum distinctione est ; quædam enim natura talia sunt , quedam vitæ communis usu introducta . Illæ perpetua sunt , apud omnes ubique & semper honesta . In iis autem , quæ hominum consuetudine inductæ sunt honestates , tanta variatio est & dissimilitudo , quanta est in ipsis moribus , qui pro cuiusque gentis disparity cultu & viâ , varii & dispares constituantur .

Quod vero de sensibus afferunt , cunctis eos hominibus & quocunque in loco eisdem esse , verum est cum sani sunt & valentes , nec ulla re alia impediuntur . At remum in aqua judicamus inflexum esse , & nimio æstaborantibus tenet frigida , & febre correpti vini suavitatem non sentiunt . Sunt & in hominibus qui clarius cernunt , sunt qui liquidius audiunt , sunt qui odorantur sagacius , nec quisquam fere est , qui non proprii aliquid habeat in sensibus : & tamen eadem & una sensuum vis omnibus ingenita est , quamvis ea in unoquoque valeat pro sua dumtaxat facultatis ratione .

Similiter mens humana multis sepe est occasata erroribus , nec semper verum à falso potest discernere , sed in eo subinde fallitur non tam rerum ipsarum incertitudine , quæ nulla est , quam judicij imbecillitate & ignorantia . Neque tamen propteræ putandum est mutari naturam ; sed cum una sit & simplex , diversa nihilominus & multiplex affectus diverse animis appetit . Qui plus ingenio & doctrina possunt , rectius omnia judicant ; qui utroque aut altero destituntur , offendunt sepiissime . Ut in cantu multa exaudiunt

Musici, quæ fugiunt ejus artis imperitos; & plurima non videmus in picturis, quæ vident Apelles & Parthesii: neque tamen alia est pictura indoctis, alia doctis hominibus, sed ab iis, cum sit eadem, non eadem illorum aspectu sentitur.

Jus ipsum quidem per se nudum & aperatum est, sibi constans, & jam tum à principio sui generis æterna lege definitum: sed id ad usus hominum & mores, qui varii sunt & incerti accommodare & difficile est & arduum. Atque ex eo fit, ut non idem sit de eo omnium judicium, aliudque alii faciendum videatur, aut non faciendum. Id vero accidere in rebus tam obscuris nemini mirum videri debet, cum ipsi sensus, quorum adeo clara sunt & certa judicia, persæpe hallucinentur. Nam Protagoræ jam pridem explosa sententia est, quicquid videtur tale esse dicebat, quale videretur: remum in aqua inflexum esse, quia talis apparet; & vinum ægrotato acerbum, valenti suave esse, quia iis eiusmodi esse videatur. Idque probabat à rebus justis, quasi non alia de causa justæ essent, quam quod legislatoris opinione pro justis haberentur, abrogata lege tales esse & haberi desinerent; quo nescio an quicquam dici possit absurdius: neque enim juris aut rerum stabilitas vacillat, sed fallimur opinione & sensibus, dum illa prava est, hi corrupti. Quod si removerentur omnia, quæ obstant & impediunt, quo minus suo quodque naturali munere fungi perfecte possit, neque nobis unquam falsa persuasio imponeret; neque depravatus sensus deciperet, & omnium esset de omnibus certum & idem judicium: denique jus æque coleretur ab omnibus. Postremo nec illud satis argumenti est sola hominum inventione jus excoxitatum esse, quod nulla dum arte sit conclusum. Multa enim sunt in rerum natura, quæ partim adhuc ignorantur, partim dissipata jacent & dispersa sine artificio, quæ tamen proptereà dici non possunt vere non existere. Ac ne illud quidem verum est, non posse jus alicujus populi in artem redigi: nam si, ut ait Tullius, quæ longo negotiorum usu & Rerum publ. administrationibus observata sunt; hæc ab hominibus peritis animadversa & notata, verbis designata, generibus illustrata, partibus fuerint distributa, non intelligo qua-

mobrem non, si minus subtili quadam definitione, aut utique vulgari opinione ars esse videatur, aut certe artis quædam similitudo & simulacrum. Quamobrem, ut ut ista quæ objiciuntur, qualem fucum habeant, non adeo tamen plausibilia videri debent, ut à Platonis, Chrysippi, Ciceronis, aliorumque sapientissimorum hominum sententia dimoveamur, qui non ab hominum opinione, sed à naturæ decreto jus fluxisse rectissime censuerunt. Nimirum fons legum omnium morumque natura est; finis ad quem ducimur ea ipsa natura est, natura, inquam, hominis, quam rectam rationem appellamus: nihilque revera justum aut honestum est, nisi quod huic rectæ rationi sit consentaneum; quamquam quid opus est rectum addere, cum quæ non sit recta ratio, eadem ne ratio quidem sit. Ut simia semper est simia, etiam purpura induatur, sic injustitia semper est in justitia, et si ex legis autoritate similitudinem quandam gerit speciemque justitiae. Omnium, inquit M. Tullius, quæ in doctissimorum hominum disputatione versantur, nihil est præstabilius, quam plane intelligi nos ad justitiam esse natos, neque opinione, sed natura jus constitutum esse, atque hujus rei evidentissimum esse argumentum, quod etiam homines nullis artibus edocti, sed sola notione quam eis indidit natura, rationis sunt participes: cui autem rationem natura dedit, ei, inquit, & rectam rationem contulit, ergo & legem, cum lex nihil aliud sit, quam recta & à Numine Deorum tracta ratio, præcipiens honesta, & vetans contraria. Omnibus igitur ratio, omnibus lex, & omnibus jus à natura datum est. Hoc autem jus semper & ubique justum est & fuit: nec aliud Romæ, aliud Athenis, aliud nunc est, aliud posthac erit: nam ut recta ratio insita à natura & diffusa in omnes constans est & sempiterna, ita & quod ea prescribit semper atque ex se justum est atque immortale. Quamobrem nec quod hoc jure prohibetur, juberi potest, nec quod jubetur, vetari, vimque suam perpetuo retinent in obligandis conscientiis anticipatæ in animis nostris communis illæ, quas diximus, notiones, in quibus hæc constantia atque immutabilitas præcipue elucet.



---

*ERUDITISSIMO JUVENI,*  
**S I M O N I V I N N I O,**

C U M

SUMMORUM, QUI JURISCONSULTIS DEBENTUR,  
honorum gratia, de divinis humanisque rebus in Illustri  
LEIDENSI BATAVORUM Academia graviter responderet, ac  
eisdem, more majorum, merito ornaretur.

*Quod Themidi promit Vinni facundia, Magni hoc  
Et Patris & Nati filius instar habet.*

V. C L.

**A R N O L D I V I N N I I, J. C.**  
& hujus Academiæ Ornamenti incomparabilis, Collegæ  
mei Filio unico, & in aliorum exemplum nato eductoque

L. M. Q.

Posui

**MARCUS ZUERIUS BOXHORNIUS.**

**SIMONIS VINNII**  
**ARNOLDI FILII J.U.D.**  
**O R A T I O**  
**D E S A P I E N T I A R O M A N O R U M ,**  
*In jure constituendo, reddendo, interpretando, habita Idib. Januarii*  
**M D C L L**

**F**UIT olim proverbium hoc, Auditores Spectatissimi, tota Græcia celebrarium maximeque usurpatum, *λογιστας κράτεων, οὐ τοις*, Spartam nactus hanc exorna. Cujus proverbii origo primum ab ipsis Spartanis civibus nata sese inter se ad civitatis suæ dignitatem pro virili amplificandam communi ista & populari voce cohortantibus, post vero ita celebratum est, ut ad quasvis honestas & probatas functiones accommodaretur. Quam ego vocem cum ad me quoque pertinere existimarem, non committendum putavi, ut eam omnino neglexisse, aut pro nihilo habuisse videri possim. Concessa mihi potestas est à Nobilissimis inclytæ hujus Academiæ Curatoribus, nec non collegis eorum florentissimæ hujus urbis Consulibus, duos illos Pandectarum seu Digestorum juris epilogos, quorum alteri titulus est de verborum significatione, alteri de diversis regulis juris antiqui, publice interpretandi, iis nempe diebus, quibus Clarissimi Professores à lectio-ribus publicis abstinere solent. Ceterum ne illotis, quod ajunt, pedibus hanc provinciam dicat ingressus, pro ea, quæ moribus usuque recepta est, consuetudine, priusquam ad ipsam interpretationem accedam, verba ad vos ex hoc loco mihi facienda duxi, de que illustri aliquo argumento more à majoribus per manus tradito differendum. Putavi autem non usque adeo alienum ab instituto hoc nostro fore, si de singulari illâ pop. Rom. sapientia, qua usus est cum in legibus ferendis, & iure constituendo, tum in eo reddendo interpretandoque, in præsentia

dissertarem. Quam utique admirabilem fuisse necesse est, cum etiam nunc, quotquot sunt respictræ bene constitutæ, leges & jus civile Romanorum venerentur, atque ad hujus normam ultero se hodie componat orbis Christianus. Non repetam rem à primordio, urbis, à legibus Romuli aut Numæ, verum à decemvirali illa, quam merito fontem dixeris omnis publici privatique juris.

Exactis urbe regibus pop. Romanus aliquamdiu incerto magis jure & consuetudine usus est, quam legibus latis, urypose legibus regiis una cum tyrannide pulsis, abolitisque lege Tribunitia, lata à Junio Bruto Tiburno Celerum, eo ipso, qui & reges ejecerat. Sed cum ea res materiam licium civibus præberet, magnasque sèpe excitatæ contentiones, placuit tandem, nec ira multo post certas ferri & stabiles leges, ad quarum præscriptum tum publice universi, tum privatim singuli se conformarent.

Seiebant prudentissimi mortales, non quicquid ubique egregium est, id in unius populi legibus aut moribus reperiri: quam ob causam nec unius tantum civitatis jura cognoscere voluerunt, sed plurium, earumque sapientissimarum, atque ex omnium harum institutis, quod usquam speciosum, decerpere atque ad se transferre. Quia in re imitati videtur exemplum Zeuxidis Heracleotæ pictoris nobilissimi, qui cum Helenam Crotoniatis pingendam suscepisset, petiit ab iis, ut virginum, quas haberent formosissimas, sibi inspiciendarum copia fieret, ex quibus, de publico consilio omnibus in unum locum

conductis, ille quinque excellentis formæ de legit, ut quod in singulis laudatissimum erat, pictura redderer, neque enim putabat omnia quæ ad venustatem quereret, uno in corpore se reperire posse.

Miserunt igitur legatos in Græciam ad illas omnium doctrinarum inventrices Athenas, qui inclytas Solonis leges describerent, quas ille unus è septem sapientibus Græciæ, & eorum facile princeps Atheniensibus scripserat, sublatis prioribus Draconis, in quibus nihil fuisse fertur memorabile præter poenatum acerbitatem. Misere Lacedæmonia qui ediscerent leges Lycurgi, quas ille Spartanis tulisse fertur, adhibito prius in consilium Deo. Misere & ad alias urbes Græcas, non modo quæ in Græcia, sed & quæ in Italia erant, ut omnium harum civitatum leges, instituta, moresque explorarent. Misere in Hetruriam, quæ religiosa Tuscorum cognoscerent, quo ritu urbes condantur, aræ, aedes sacrentur, qua sanctitate muri, quo jure porta fint, aliaque ejusmodi, quæ libris ritualibus religiosissime gentis continebantur. Ex tot clarissimarum civitatum institutis & legibus, simul ex eo jure, quod civitatis Romanæ proprium fuerat delectis quæ usquam egregia, conflatum à Decemviris est jus civile Quiritum, compositæque illæ tantopere celebratae leges XII. tabularum. Nos quidem harum legum nihil præter fragmenta quædam & rudera habemus. Ceterum hoc constat, tripertitam fuisse XII. tabularum divisionem: prima parte comprehensum id jus, quod ad sacra & religiones pertinet, veluti Pontificium, & augurale: altera jus publicum, spectans ad summam Reip. potestatem populi in bello paceve decernenda, in magistratibus creandis, legibus jubendis aut antiquandis, privilegiis irrogandis: tertia, jus privatum, hoc est, id jus, quod cuiuscumque civis utilitatem privatim respicit, atque in hanc partem, quæ longe maxima fuit, jura rerum acquirendarum, possessionum, hereditatum, obligationum, actionum, cæterorumque, quæ ad rem familiarem cuiuscumque pertinent, relata fuisse. Non temere igitur Marc. Tullius in persona Luc. Crassi disputans dixit, totam civilem sapientiam bene descriptis omnibus civitatis utilitatibus ac partibus XII. tabulis contineri: adeoque si quis cum Græcorum Lycurgo, Dracone, Solone Romanas leges conferre voluerit, eum facilime intellecturum, quam jus omne civile præter unum Romanorum, inconditum sit ac pene ridiculum.

Procedente tempore jus civitatis adauctum, latæ & aliæ leges & plebiscita pro legibus accepta. Ceterum etiam in hoc legum cumulo

fons omnis sacri & humani juris mansit lex XII. tabularum. Porro ad commendationem juris Romanorum plurimum valuit ea pars, quæ posita est in jure dicundo interpretandoque. Jus dicentis officium latissime patere voluerunt, nec consistere tantum in jure constituto privatim singulis postulantibus reddendo, verum etiam in jure edictis publice universis proponendo, ac velut constituendo, facta magistratibus potestate, ea, quæ à legibus & jure civili proficiscebantur, mitigandi, supplendi, adjuvandi, corrigendi, prout aut naturalis æquitas, aut utilitas publica postulare videretur, salva populi legumque maiestate; quod jus honorarium appellaverunt, & vivam esse vocem juris civilis Marcius Juriscons. scripsit. Illud vero præcipue & auctoritatem legibus Romanor. attulit, & stabilitatem, quod magno in honore ac pretio apud eos semper fuit juris constituti cognitio atque interpretatio. Sciebant enim non satis consuli civibus sola legum sanctio ne, nisi sint in civitate qui vim legum intelligant, easque interpretari, atque in infinita rerum & negotiorum varietate populo de jure respondere possint: qui quasi custodes sint juris civilis, quorumque auctoritate sua conservetur legibus auctoritas, atque ad posteros transmittatur. Itaque huic muneri præesse voluerunt amplissimos quoque & clarissimos viros, ipsa civitatis lumina, Claudio, Scipiones, Mucios, Catones, Brutos, Crassos, Lucilios, Gallos, Sulpitios, aliosque plures, quos omnes constat juris civilis sententiam professos esse, interpretando, respondendo, plerosque etiam docendo, disputando, scribendo. Ecquam autem aliarum gentium commemorare possumus, non dico quæ in hoc genere certare cum populo Romano possit; sed in qua studium juris civilis aliquo in pretio habitum & vel negligenter excultum fuisse videtur? ubi tandem aut institutas de jure disputationes, aut scriptos libros fuisse legimus? ubi denique nomen ipsum vel Jurisconsultorum vel Jurisprudentum nisi apud populum Romanum auditum? Utique non eadem apud Græcos pragmaticorum, quæ Jurisconsultorum apud Romanos vel facultas vel dignitas fuit. Apud Græcos, qui sese privatorum negotiis, rebusque agendis interponebant, non Jurisconsulti, sed pragmatici nominabantur, quasi dicas negotiosi formularii, homines, ut Crassus apud Ciceronem ait infimi & mercenarii, qui se ministros in judiciis oratoribus præbebant. Non sum inquit Fabius, moris nostri ignorans, oblitusve eorum. qui velut ad arculas sedent, & tela agentibus subministrant: neque idem Græcos quoque nescio facitasse,

unde nomen his Pragmaticorum factum est. Et Antonius 1. de Oratore; Itaque Græci, inquit, disertissimi homines, ministros habent in causis Jurisperitos, cum ipsis sint imperitissimi, & qui pragmatici vocantur, in quo nostri omnino melius multo, quod clarissimorum hominum auctoritate leges & jura recta esse voluerunt. Et recte profecto. Non enim Romani item ut Græci, Jurisconsultorum suorum manus in tam exili & tenui opera consumi voluerunt, ut actionibus tantum ac formulis, cautionibusque præsenterent; sed in æquo bonoque civibus omnibus respondendo. Quapropter præclare mihi Celsus artem juris definivisse videtur, artem æqui & boni. Siquidem officium JCti & prudentia illius maxime in eo consistit, ut quid in unaquaque re æquum, quid iniquum sit videre, tum discernere, & de eo respondere possit consilium sibi exparentibus. In recti, inquam, pravique discrimine: cum illi, qui se ad album luminumodo ac rubricas transferunt, formula-rii, vel, ut Cicero ait, leguleii quidam efficiantur. Igitur Romæ amplissimi quique cives & nobilissimi viri, quasi iuris civilis custodes, in hoc munere, tanquam in præsidio aliquo locabantur à quibus ceteri cives, quid æquum bonumque esset, cum usus ventiret, exquirerent. Atque hi non contenti communii quadam legum & consuetudinis intelligentia, omnes bonarum literarum opes, cunctas eruditio[n]is justa ac legitima[re] partes sibi comparabant, disciplinam Reipubl. causam Imperii cognoscere, omnem denique bene vivendi rationem tenere & perseguiri satagebant. Jam vero quantum illud est, quod Justitiæ sacerdotes sese profiterentur, veraque & non simulata Philosophiæ sectatores, nimis necesse est eos fuisse viros graves, sanctos, severos, incorruptos, inadulabiles, vi & majestate æQUITATIS veritatisque terrificos. Ad hos vel transverso obambulantes foro, vel in folio sedentes domi sic adibatur, non solum ut de jure civili ad eos, verum etiam de filia locanda, de fundo emendo, de agro ecclendo, de omni denique aut officio aut negotio referretur. Quod sane præclarum ac majestatis plenum fuisse constat; vel cum alacri illi ac prompto ore hic atque illuc intuentes vagabantur magna cum caterva toto foro, præsidium clientibus, atque opem amicis & prope cunctis civibus lucem ingenii & consilii sui porrigitates atque tendentes, vel cum in ea domus parte, ubi majorum imagines asservabantur, quasi augusto aliquo loco sella posita Divæ justitiæ oracula enunciabant atque fundebant. Quare non immerito Marcus Tullius dixit, domum Jurisconsulti oraculum esse totius civitatis, unde sibi, si

non populi & Reges, ut ab illo apud Ennium Pythio Apolline, at omnes sui cives consilium expertant, suarum rerum incerti, quos ille ex incertis certos, compotesque consilii dimittat, ut ne temere res tractent turbidas. Præclare igitur sapientissimus Poeta, qui cum suas cuique genti laudes attribuisset, pingendi, sculpendi, observandi cœli, Romanis reipublicæ constituendæ scientiam adjudicavit, Tu regere, inquit, imperio populos Romane mente: Ha tibi erunt artes, pacisque imponere morem, & qua sequuntur.

Accepto Principe ingens accessio facta, ac tum demum hoc civile studium ad summum perducum est. Nam cum vitio sæculi paulatim invaluissest, ut passim & promiscue cuiusvis, qui modo studiorum suorum fiduciam haberet, fas esset JCtum se profiteri, & publice de jure respondere, ne vel multitudo profitentium, vel quorundam imperitia, ignavia, fôrdibus res tanta vilesceret, atque ut Pomponius noster in historia de origine juris scribit, quod major esset juris auctoritas, Divus Augustus constituit, ut ex sua auctoritate de jure responderetur, nec quemquam ex eo tempore passus est juris scientiam profiteri, publice de jure responsitate, nisi cui id beneficii loco, ob insignem virtutem, singulari eruditio[n]em ac cognitionem juris ciuilis ipse concessisset. Quod institutum atque exemplum Augusti reliqui deinceps Principes secuti sunt. Postiores etiam hoc addiderunt, ut ne quis JCti titulo prius insigniretur, quam jurati Doctores, quorum opera usus esset, teltati fuissent, dignum esse atque ea eruditio[n]e jurisque intelligentia præditum, ut in numerum recipi & matriculæ Togatorum inferri posset.

Sed quod omnium maximum est, ipsis Principiis, quibus nunc sole commendantur disciplines Mathematicæ, non aliud studium magis, quam juris civilis excolebant. Apud Historia Augustæ scriptores, nihil occurrit crebrius, quam quod ipsis Principiis jus assidue, laboriosissime ac severissime dixerunt. Cum autem jus dicarent aut judicarent, adhibebant in consilium non amicos aut comites suos, sed viros sapientes & clarissimos ex ordine JCtorum, sicut Alius Spartanus de Hadriano refert, eum cum judicaret, in consilio habuisse Iulium Cellum, Salviūm Julianum, Neratium Priscum, nec alios adhibuisse, quam quos universus Senatus probavisset. Testes sunt idem Augustæ historiæ scriptores hunc veterum Principum morem fuisse, ut Justitiæ solium quotidie frequentarent, non solum ut id nuda sua decorarent præsentia, sed ut ipsis civibus de jure responderent, causas cognoscerent, partes audirent, sententiam pronuncia-

puntarent. Cujus rei luculentum exemplum nobis exhibet Marcellus libro Digestorum vigesimo octavo. Prolatum erat in auditorio Principis testamentum, in quo hæredum nomina testator induxerat: quam ob causam bona à fisco vindicabantur, scriptis hæredibus indignitatis insimulatis. De legatis tamen diu dubitabatur. Advocatus fisci dicebat, Vos, scripti & induci habetis judices vestros, præfectos æarii, non est quod Imperatorem de ea re sollicitetis. Vivius Zeno dicebat, Rogo, Domine Imperator, audias me patienter, quid de legaris statues? Cui Antonius Cæsar (Nam apud Marcum Antonium Philosophum hæc causa agitabatur) videtur tibi voluisse testamentum valere, qui nomina hæredum induxit? Respondet Cornelius Priscianus Advocatus Leonis, nomina hæredum tantum inducta sunt, Domine Imperator. Replicabat Longinus advocatus fisci, non potest ullum testamentum valere, quod hæredem non habet. Priscianus dicebat, manumisit quosdam, Domine Imperator, & legata dedit. Tandem Antonius Cæsar remotis omnibus cum deliberasset, & admitti rursus eosdem jussisset, sententiam ipse proferens dixit: Causa præsens videtur admittere humaniorem interpretationem, ut ea dumtaxat existimemus testatorem irrita esse voluisse, quæ induxit. Hoc exemplum & formam nobis exhibet, qua in cognoscendo & judicando Principes olim usi, & simul ostendit bonos Principes in re dubia contra fiscum pronuntiare solitos, cuius causa nunquam mala est, nisi sub bono Principe.

Sed nec hoc prætereundum, quod nunquam temere aut inconsulto, nunquam sine manifesta civium utilitate quicquam novi juris constituebant, sed explorato prius iudicio & sententia virorum prudentium, tenserente illi id posse recipi salva ratione juris constituti, tum an in eo tam evidens ac justa civium utilitas versaretur, ut auctores sibi essent rei novæ constituendæ. Sic legimus Divum Augustum prudentissimum Principem, non ante irrepentem in Rem publicam codicillorum usum sua auctoritate confirmare voluisse quam convocati viri sapientes (inter quos Trebatius tunc erat maxima dignitatis) censuerint, morem illum civibus & utilissimum esse & pernecessarium. Imperator Alexander ipse Princeps JCTissimus nullam legem sanxisse fertur, nisi adhibitis prius in consilium xx. Jurisperitis, & id quidem ut iretur per sententias singulorum, scribereturque quod quisque dixisset, dato etiam spatio ad disquirendum cogitandumque, priusquam dicerent, ne incitatata dicere cogerentur de sebus tanti ponderis & momenti. Hoc jus

Vinn. Tract. Varii.

tam prudenter tam pensiculate constituta non potuit non se latitudo diffundere per universum orbem Christianum. Diffudit autem se ac propagavit non tam potentia imperii Romani, quam legum à Romanis latarum evidentissima æquitate, utilitate ac justitia: adeo ut hodieque tanquam jus aliquod gentium ubique tere locorum colatur, atque in omnibus bene constitutis Academias publice doceatur.

A Justiniano sacratissimo Principe etiam hoc habemus, quod is immensa veteris prudenter volumina in unum corpus contraxit, atque ea, quæ diffusa & dissoluta fuerant, certo volumine comprehendit, atque arte quadam sic conglutinavit, ut jam etiam multo facilior, quam antea fuerat, cœperit esse juris civilis cognitio. Hoc autem volumen, quia ordine quodam dispositum est, omnisque generis veterum consultorum sententias & responsa complectitur, Digesta aut Graeca voce *Pandætas* appellari voluit. Huic porro tanto operi ut colophonem adderet, duplum ei subjecit epilogum, quorum prius est verborum, quibus passim in jure utimur; alter rerum, qui ex regulis juris conficitur. Uterque meat ac fæcē diffundit per universum juris corpus, haud secus ac venæ atque arteriæ per corpora nostra atque aliorum animalium diffusæ & dispersæ sunt. Uterque tam in foro quam in scholis versantibus cognitu non modo perutiles, verum etiam necessarius. Uterque commentarii vicem tyronibus in studiorum primordiis utilissimi exhibere potest. Evidem non ignorare esse nonnullos, qui contendunt verborum significaciones nihil ad eos, qui juris scientiam profitentur, pertinere, sed hoc torum esse professionis Grammaticæ; sed profecto illi homines toto errant iudicio. Quid enim juvabit vel in scholis vel in medio foro versari, si ea, quæ dicuntur aut proferuntur, non intelligamus?

An non in omni disciplina prima est verborum & dictiōnum ac phrasium disputatio? an non verba ad hoc inventa ut sententiam & voluntatem dicentis declarant? Ideoque Plato princeps ingenii & doctrinæ dicere solebat, primam esse debere verborum curram, licet rerum potissima sit: quippe verba notas esse rerum, omnemque orationem à rebus oriri ac dependere, ut qui in hisce notis ac symbolis erraverit, necessario etiam ipsis in rebus sit hallucinaturus. Atque ut omnes artes ac disciplinæ proprias & peculiares habent voces, citra quarum intelligentiam ad rerum cognitionem nullo modo perveniri potest, ita & vel maxime disciplina juris. Certis & solemnibus verbis con-

Aa

ceptæ leges, Senatusconsulta, edicta, certæ  
hæredum institutionis, legatorum, cautio-  
num, stipulationum, actionum, aliorumque  
id genus formula, in quorum omnium in-  
terpretatione veterum JČtorum versatam esse  
industriam minime ignotum est. Lepidum est,  
quod Aulus Gellius de quodam celeberrimi  
nominis Grammatico refert, qui interroga-  
tus à Gellio, quid esset ex jure manum con-  
sertum, respondit se rem Grammaticam do-  
cere, non jus respondere. Sed inquit si quid  
ex Virgilio, Plauto aut Ennio quædere ha-  
bes, quæras licet: atqui inquit Gellius, ex  
Ennio est quod quero. Sic enim Ennius,  
Non ex jure manum consertum, sed mage ferro  
Rem repetunt, &c. & simul ire jussit homi-  
nem, ac discere unde Ennius didicerat, ad  
juris aliquem peritum. Alter Epilogus, qui  
rerum est, ut dixi, atque ex regulis juris  
conficitur, rejectus est in locum extremum,  
& sane quidem merito. Quid enim aliud sunt  
illæ regulæ, quam velut rivuli quidam ex  
fontibus juris constituti manantes ac diducti,  
quam velut porismata quædam ordine con-  
federationis universali legum doctrina posterio-

ra? Unde illud hujus epilogi initio: Non ex  
regula jus sumatur, sed ex jure, quod est,  
regula colligatur & fiat. De hujus epilogi  
sive tituli utilitate nihil aliud in præsentia di-  
cam, nisi quod Ulpianus noster commenda-  
turus titulum de in integrum restitutionibus:  
hic titulus, inquit, commendatione non eget,  
ipse enim se satis ostendit. Nam sive eos spe-  
ctamus, qui jus civile interpretantur docendo  
scribendove, aut qui in foro reos tuentur  
atque defendunt, & de jure consultoribus respon-  
dunt, vel denique qui jus dicunt reddunt  
que, ut magistratus & judices, hi, inquam,  
omnes, nisi in mundo atque in promptu ha-  
beant copiam quandam harum juris regula-  
rum ac præceptorum, vix est, ut munere suo  
recte defungi queant. Sed de his latius differen-  
di, Deo volente, dabitur occasio, quando, quod  
nunc supereft, manum operi suscepto admove-  
bimus, Spartamque quam nauci sumus, pro-  
virili rebus ipsis & factis exornare conabimur.  
Faxit Deus Opt. Max. Præses & Tutor in-  
clytae hujus Academiæ, ut hæc rès mihi  
vobisque omnibus, & Reipublicæ literariæ  
bene feliciterque eveniat.



IN EXCESSUM  
SIMONIS VINNII, A. F. JC.  
JUVENIS EXIMII.

*V*nniadem rapuit juvenem florentibus annis  
Mors. Cur sed juvenem? Credit esse senem.

Manibus Memoriaeque

S I M O N I S V I N N I I ,

Magni Patris Magni Filii, ut præstantis jam magna, ita majora  
pollicentis; Eruditione, Ingenio, Judicioque, & rara morum  
comitate ornatissimi, in ipso Ætatis flore rapti, parentum  
pluriumque jam desiderii,

T. M. Q.

S.

BOXHORNIUS.

---

A D  
P A T R E M D E F U N C T I ,  
S E N E M M O E S T I S S I M U M .

*V*estitur arbor mille sepe floribus,  
Fructusque nullus mille sepe est floribus.  
Ridere cum jam spes videtur, decipit.  
Animum pater, totumque te, VINNI, erige.  
Fortuna fortes opprimit numquam viros;  
Humoque tollit, sævior cum jam fuerit.

BOXHORNIUS.

## A D

**A M P L I S S I M I   E T   C L A R I S S I M I   V I R I ,  
A R N O L D I   V I N N I I ,**

In Celeberrima LUGDUN. BATAV. Academ. Juris Professoris  
Primarii, unici Filii,

**S I M O N I S   V I N N I I , J . U . D .**

Inopinum Funus.

**Q**U*ia* nuper dirus luxit, Linemanne, Cometes,  
Veri præfigum Te probat esse Virum,  
Sublimi ingenio natis juvenilibus annis  
Dixisti; vereor, Magne, malignus erit.  
Eft ita, lethiferum hoc lumen vix condidit æther;  
Sidereæ mentis lumen & ecce cadit.  
Aspice Belgarum Virtuti nata juventus,  
Occidit ecce tui lux veneranda chori.  
Ille juventutis Princeps, flos ille virescens  
Musarum, verno tempore morte perit.  
Vergentis Patriæ columen, fulcrumque senebæ,  
Hercs præclari Nominis, atque decus.  
*VINNIUS* ille riget, quem nuper rostra, Cathedræ,  
Portarunt, hunc nunc atra feretra ferunt.  
Germanis effertur amor, Belgisque voluptas;  
Cor matri, juri gloria, vita patri.  
Mento canescant, mente hic, multique Capillo,  
Pectore, sed juvenis mortuus hicce senex.  
Et Germanos æstimare Belgas, & esse Belgis quod ament,  
& mirentur Germani exemplo vita functi Cl. Viri amici  
quondam sui Col. L. M. Q. innuere voluit.

D. L. B. L.

F I N I S.

















